snaa sniavaaaNi » voiivwooa

JL3

SVWOH1 SHAia

School of Divinity library
.Si -Louis. Missouri -B.1TΛ5

*SIIrrkrh **A l** ^rAo. P. (F*

Fr. NORBERTUS DEL PRADO, O. P.

IN UNIVERSITATE PRIBURGENSI APUD HELVETIOS PROFESSOR

DIVUS THOMAS

ET

Bulla Dogmatica « Ineffabilis Deus

« In Christo et in Virgine Maria nulla omnino macula fuit. » (D. Thomas, *Exposit. in Ps. 14.)*

« Magis standum est auctoritati Ecclesiae, quam auctoritati vel Augustini, vel Hieronymi, vel cuiuscumquc Doctnris. »

(D. Thomas, *Summ. Thcol^* Π-II, q. io, a. 12.)

« Neque enim defensio D. Thomae, et vindicatio eius ab erroribus, et ab improbablliute sentiendi, est solius privatae personae vindicatio, sed totius Ecclesiae iudicii et Apostolicae approbationis assertio. Quare maius aliquid in Sancto Thoma, quam Sanctus Thomas suscipitur et defenditur. »

(Ioannes a Sancto Thoma, *Cursus Theol.,* tom. I, tract. *De approb. et auctoriL· doctrinae D. Thomae,* introduct.)

■ELLARMINE LIBRARY
St. Mary's College
ST. MARYS, KANSAS

Friburgi Helvetiorum
EX TYPIS CONSOCIATIONIS SANCTI PAULI

'9>9

I 75-, LICENTIA ORDINIS

De mandato Reverendissimi Patris L. Theissling, Magistri Generalis Ordinis Praed. attente perlegimus opus cui titulus : *Divus Thomas et Bulla « Ineffabilis Deus »* ab Adm. R. P. Mag. Norberto del Prado conscriptum, illudque plane dignum iudicamus ut typis mandetur.

Friburgi Helvetiorum, die n* Junii 1918.

Fr. J. de LANGEN-WENDELS, O. P.,
Sacr. Theol. Mag.

Fr Marcus M. SALES, O. P.,
Sacr. Theol. Mag.

Imprimatur :

Ixmzo f Sigilli,

Fr. Leonardos LEHU,
Vic. *Magistri Generalis O. P.*

309 18

te

SEP » 1947

LICENTIA ORDINARII

Imprimatur :

Fnburgi Helv., a5 Octob. 1918.

L + s

L. EMS,
Vic. Gen.

En, optime Lector, ultimum opus quod R. P. Norbertus dei Prado, dum adhuc viveret, in lucem edendum curavit. Hoc egregium volumen, quod prae oculis habes, non solummodo scriptum atque correctum, sed etiam fere totum impressum iam extabat, cum cl. Auctor, Deo volente, die 13 Julii praesentis anni 1918, parum ante mediam noctem, ad mercedem laborum suorum, repente vocatus est. Heu ! dolet scientia theologica, dolet et Ordo Praedicatorum necnon Alma Mater Universitas Friburgensis quae tanti viri excelsam doctrinam sanctaeque vitae exempla tam diu lucrata sunt.

Equidem nobis propositum non est praeclari magistri vitam hic enarare, iliumque promeritis cumulare laudibus. Decet tamen ne ultimus eius foetus e prelo exeat omnino omissis tum vitae, tum operum auctoris aliquibus documentis, cum ipse de se suisque actis altum, etiam apud fratres suos, semper tenuerit silentium.

P. Norbertus dei Prado natus est in partibus Hispaniae, in loco Lorio ad pagum Concejo de Laviana Provinciae Asturiarum, die 4 Junii, anno salutis i85a. Adhuc juvenculus, anno videlicet 1868, vestem Ordinis Praedicatorum assumpsit in Collegio S. Dominici Ocanensi, quod est Seminarium Provinciae SS. Rosarii, Missionum scilicet

Philippinarum, ibique prima vota religionis, post annum elapsum, in festo Immaculatae Conceptionis B. M. V., emisit. Sub illustri Patre Zephirino Gonzalez, postea Archiepiscopo Toletano atque Hispalensi, necnon S. R. E. Cardinali, Frater Norbertus Ocaniae philosophiae cursum absolvit, ac dum studio Theologiae intenderet, anno 1873, superiorum jussu, Insulas Philippinas petivit.

In Civitate iManila, studia theologica in Universitate S. Thomae, quam Ordo Praedicatorum saeculo XVII instituerat et adhuc regit, feliciter perfecit. Anno 1875, dignitate sacerdotali mense Junii iam auctus, officium professoris in Collegio S. Johannis Lateranensis assumpsit, eoque munere per aliquos annos functus est usquedum nempe ad cathedram Universitatis, anno 1878, vocatus fuit. Eodem anno, lauream doctoralem philosophiae adeptus praelectiones philosophiae atque, ut aiunt, locorum theologicorum tradere coepit, ac tandem, anno 1887, dignitatem magistri in theologia consecutus, cathedram theologiae moralis ascendit.

Cum iam per septemdecim annos P. Norbertus in insula permansisset, illius valetudo, tum regionis intemperie, tum indefessi laboris pondere, graviter pessumdari coepit; unde anno 1890 ad occidentales partes remeare debuit. In patria redux et viribus fere restitutis, anno sequenti, missus est Friburgum in Helvetia, ut munus professoris in Universitate iterum assumeret. Quomodo illud officium per viginti septem annos feliciter adimpleverit, sciunt omnes qui, vel ut confratres, vel ut discipuli, illum quotidie viderunt atque audierunt usquedum a Domino, fidelis servus et prudens, ad aeternam mercedem vocatus est.

Pater Norbertus fuit vir a rebus externis fere alienus,

totusque studio, lectionibus et orationi intentus atque deditus, unde vix quidquam de rumoribus humanis noscere curabat. Rexit Facultatem theologiae ut Decanus, anno scolastico 1894-95, fuitque Definitor Provinciae Philippinarum in Capitulo generali ordinis Viterbii, anno 1907, celebrato. Quolibet anno, tempore vacationum aestivarum, libenter solum natale repetebat, quippe quod erga patriam amorem fervidum nunquam desinit nutrire, vixque in itinere, data oportunitate, omittebat peregrinationem ad Dominam nostram *de Lourdes,* vulgo dictam.

Qualis fuerit facie optimus Pater, ecce nunc habes photographica arte delineatum, quae quidem delineatio sane nobis defuisset, nisi tempore praesentis et immanis belli, sibi de ea providere debuisset ad muniendas itineris litteras commendatorias, quando ultima vice in Hispaniam profectus est.

Erat P. Norbertus incessu gravis cum aliqua maiestate, vestitu nitidus atque compositus ; animo ingennus et candidus; parcus verborum, discretus in loquendo, prudens in agendo et consulendo ; mansuetus erga omnes, misericors in peccatores ;'sibi pauper, ceteris magnificus; totus supernaturalis et semper humanus; saepe taciturnus, sed haud raro facetus atque hilaris; vitae regulari addictissimus, suorumque officiorum observator diligentissimus ; pietate profunda, sincera atque sana dotatus; B. V. Mariae devotissimus ; omnia sub specie aeternitatis perspiciens atque diiudicans.

Vir erat acri ingenii, animi alti et conscientiae illibatae; veritatis amator strennus, studii cultor indefessus, professor assiduus atque eximius, suorum discipulorum quasi deliciae atque amor; grata facundia donatus, alta semper petens; intricatas quaestiones acie sui ingenii facile dissol-

vens, et ad suprema Metaphysicae principia frequenter ascendens, indeque omnia illustrans atque illuminans.

Quantus fuerit in doctrina philosophica atque theologica, maxime vero in rebus thomisticis, sat declarant illius scripta, e quibus sufficit hic recolere grandia volumina « De Gratia et libero Arbitrio », « De Veritate fundamentali Philosophiae Christianae », necnon et illud quod prae manibus habes « Divus Thomas et Bulla Inefabilis Deus ». Multa alia exaravit, maxime in lingua hispanica quam enixe callebat eleganterque scribebat, sicut et apud suos praeclaram oratoris atque concionatoris famam sibi acquisiverat.

Faxit Deus ut ille Pater sanctus suis scriptis Ecclesiam catholicam, quam super omnia in terra diligebat, illuminare non desinat et, licet defunctus, adhuc inter nos diu loquatur.

Friburgi Helvetiorum, die 2* Novembris 1918.

Fr. P. MANDONNET, O. *P.*

Sacr. Theol. Mag.

INTRODUCTIO

« Sub Christo, qui salvari non indiguit, tamquam universalis Salvator, *maxima* fuit Beatae Virginis *puritas.* » (111. q. 27. a. 2. ad 2.)

« Credendum est ei collatum esse quidquid conferri *potuit.* » *(///. Sent.* dist. 3. q. i. a. t.)

« In Christo et in Virgine Maria *nulla omnino macula* fuit. » *Exp. in Ps. 14.1*

Opus enim aggredimur, quod iam theologi non pauci, et quidem doctrina ingenioque praestantes, ante et post dogmaticam Immaculatae Beatae Virginis Conceptionis definitionem, conati sunt absolvere atque in perspicuo ponere ; illud, nimirum, quod in ipso huiusce *Libri* titulo indicare intendimus, dum simul mentis considerationi offeruntur D. Thomas et Bulla dogmatica « Ineffabilis Deus ». Scimus equidem, docente nos ipsomet D. Thoma, quod « maximam habet auctoritatem Ecclesiae consuetudo, quae semper est in omnibus aemulanda ; quia et ipsa doctrina catholicorum Doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet. Unde magis standum est auctoritati Ecclesiae, quam auctoritati vel Augustini, vel Hieronymi, vel cuiuscumque Doctoris »[1]. Doctrina autem Angelici Doctoris talem ac tantam ab Ecclesia habet auctoritatem, ut loannes a sancto Thoma scribere non dubitaverit : « *Neque enim defensio D. Thomae, et vindicatio cius ab erroribus, et ab improbabilitate sentiendi, est solius privatae personae vindicatio, sed totius Ecclesiae indicii ct Apostolicac approbationis assertio. Quare maius*

1 *Sum. Theol.* II -II. q. 10. a. 12. — Et *Quodl.* 2. a. 7.

aliquid in Sancto Thoma, quam Sanctus Thomas suscipitur et defenditur »1 ; dum, videlicet, D. Thomae doctrina ab Ecclesia tot laudibus et approbationibus commendatur. Commendatur profecto veritas in Doctoris Angelici scriptis, et veritas mira perspicuitate tradita sine ullo prorsus errore. Unde Innocentius VI. : « Huius Doctoris, inquit, doctrina prae coeteris, excepta Canonica, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum ; ita ut qui eam tenuerit, nunquam inveniatur a veritatis tramite deviasse, et qui eam impugnaverit, semper fuerit de veritate suspectus. » Et Clemens VIII. ad Neapolitanos : « Pie, ait, prudenterque cogitatis de novo Civitati Patrono adseribendo, cive vestro, divinae voluntatis Angelico interprete, vitae sanctitate et miraculis claro, Thoma Aquinate. Hic siquidem honor eius virtutibus, cum admirabili doctrina coniunctis, iure optimo debetur. Ac doctrinae quidem testis est ingens librorum numerus, quos ille brevissimo tempore, in omni fere disciplinarum genere, singulari ordine ac mira perspicuitate sine ullo prorsus errore conscripsit. » Quas sane laudes, aliasque plurimas Romanorum Pontificum approbationes una complectitur simul ac longe praetergreditur Leo XIII. in Encyclicis praesertim Litteris *Aeterni Patris,* in quibus de Philosophia Christiana peragitur ad mentem Sancti Thomae Aquinatis Doctoris Angelici in Scholis Catholicis instauranda. — Verumtamen, testimonium veritati perhibente Angelico ipso Doctore, « *magis standum est auctoritati Ecclesiae, quam auctoritati vel Augustini vel Hieronymi vel cuiuscumque Doctoris* », etiam Doctoris Angelici S. Thomae Aquinatis ; si fortasse inveniretur quod tantus Doctor a veritatis tramite deviaverit, et a veritate inprimis, quam Ecclesiae Caput loquens ex cathedra iam tamquam fidei dogma definiverit et utpote veritatem a Deo revelatam proclamaverit. Quae cum ita sint, diligenter est inquirendum et attente determinandum, utrum doctrina D. Thomae circa primam Beatissimae Virginis sanctificationem sit contraria doctrinae ab Ecclesia traditae ac definitae ; vel, e contra, planam potius aperiat viam ad veritatem ipsam revelatam et definitam recte intelligendam, ac luminosum insuper doctrinale consti-

1 *Cursus Theol.* tom. I, tract. Dc approbat, ct auctorit. doctrinae D. Thomae, introduct.

tuat praeambulum ad Bullam Dogmaticam *Ineffabilis Deus* theologice exponendam. Hanc quippe materiam de *prima Beatissimae Virginis sanctificatione* semel atque iterum ex professo Angelicus Doctor tractavit diversis in locis suorum operum ; quorum testimonia ad litteram in decursu huius *Libri* fideliter transcripta ac per ordinem declarata suis propriis videbit oculis studiosus ac prudens lector. Hic tamen anteponere oportet, quasi lapides angulares totius controversiae, duos articulos quorum alter ex ***III.*** *Sententiarum,* alter vero ex III. Parte *Summae Theologicae* desumitur, et uterque eodem prorsus titulo insignitus, videlicet : *Utrum ante animationem Beata Virgo sanctificata fuerit.*

Doctrina D. Thomae circa primam Beatissimae Virginis sanctificationem.

Utrum Beata Virgo ante animationem sanctiiicata fuerit.

(77/. *Sent.,* dist. 3. q. i. a. i. q. 2.)

1. Videtur, quod ante animationem sanctiiicata fuerit. Ambrosius enim dicit, Lucae, i, 15. de loanne Baptista : « *Nondum illi erat spiritus vitae, et iam inerat spiritus gratiae.* » Sed spiritus anima est. Ergo in loanne Baptista gratia animam praevenit. Sed quod loanni Baptistae concessum est, dubitari non debet Beatae Virgini concessum esse. Ergo et ipsa ante animationem sanctiiicata fuit.

2. Praeterea : Hiercm. 1, 5. dicitur : *Priusquam te formarem in titcro, novi te;* nec loquitur ibi de notitia qua bonos et malos cognoscit ; quia per hoc nulla praerogativa ostenderetur ipsius Hieremiae, ad quem dicta verba proferuntur. Ergo oportet intelligi de notitia approbationis. Sed haec notitia est solum bonorum et habentium gratiam. Ergo Hieremias antequam formaretur, gratiam habuit ; ergo et antequam animaretur ; quia anima non infunditur nisi

formato puerperio. Ergo multo amplius ante animationem Beata Virgo sanctificata fuit.

3. Praeterea : Anselmus, libro *De Conceptu Virginis,* cap. 18. dicit : « Decebat ut illius hominis Conceptio de Matre purissima fieret, quae ea puritate niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi. Sed maior puritas fuisset, si anima eius nunquam infectionem peccati originalis habuisset, quam si ad aliquod tempus habuerit et postmodum mundata fuerit. Ergo anima illa nunquam originali peccato infecta fuit. Aut igitur caro sanctificata fuit ante animationem ; vel saltem in ipso instanti infusionis anima gratiam suscepit, per quam immunis a peccato originalis esset.

Sed contra : in partibus hominis est talis ordo, quod anima est Deo propinquior quam corpus. Sed virtus alicuius agentis prius pervenit ad ea quae sunt sibi propinquiora, et per ea ad magis distantia. Ergo gratia sanctificationis a Deo venit ad corpus per animam. Ergo antequam animaretur, sanctificari non potuit.

Praeterea : Contraria nata sunt fieri circa idem. Sed gratia sanctificationis originali peccato opponitur. Cum ergo ante animationem in prole peccatum originale esse non possit ; quia proprium subiectum culpae est anima rationalis ; videtur quod ante animationem Beata Virgo sanctificata non fuerit.

Solutio II. Ad secundam quaestionem dicendum, quod sanctificatio Beatae Virginis non potuit esse decenter ante infusionem animae, quia gratiae capax nondum erat ; sed nec etiam in ipso instanti infusionis, ut sc. per gratiam tunc sibi infusam conservaretur ne culpam originalem incurreret. Christus enim hoc singulariter in humano genere habet ut redemptione non egeat, quia caput nostrum est ; sed omnibus convenit redimi per ipsum. Hoc autem esse non posset, si alia anima inveniretur quae nunquam originali macula fuisset infecta. Et ideo nec Beatae Virgini, nec alicui, praeter Christum, hoc concessum est.

Ad *primum* ergo dicendum, quod haec verba de loanne Baptista dicuntur pro tempore illo quando ad ingressum Matris Dei exultavit in utero : quod fuit in sexto mense a conceptione eius, ut verba Angeli ostendunt Lucae 1. Unde

constat quod tunc animam rationalem habebat ; et ideo vel per *spiritum vitae* non intelligitur anima rationalis, sed respiratio exterioris aëris ; vel dicitur *spiritus vitae,* si de anima intelligitur, nondum inesse, quia nondum manifestabatur, per modum quo dicuntur res fieri quando innotescunt.

Ad *secundum* dicendum, quod loquitur de *notitia approbationis,* quae quamvis sit tantum habentium gratiam, non tamen est eorum solum quando gratiam habent, sed ab aeterno. Unde talis notitia potuit esse Hieremiae ante eius formationem ; non tamen sanctificatio ; quae tamen esse potuit ante egressionem ex utero. Et ideo tempus notitiae et sanctificationis distinguit Dominus dicens : *Priusquam te formarem in utero, novi te ; et antequam exires de ventre, sanctificavi te.*

Ad *tertium* dicendum, quod haec puritas soli homini Deo debebatur, ut ipse quasi unicus Redemptor humani generis nulla peccati servitute teneretur, cui competebat omnes a peccato redimere. Unde non hanc puritatem, sed sub hac maximam Virgo Mater eius habere debuit.

I 2

Utrum Beatissima Virgo Mater Dei fuerit sanctificata ante animationem.

(Sum, Theol., III. q. 27. a. 2.)

Ad *secundum* sic proceditur.

1. Videtur, quod B. Virgo sanctificata fuerit ante animationem, quia, ut dictum est (art. praec.), plus gratiae est collatum Virgini matri Dei quam alicui sanctorum. Sed quibusdam videtur esse concessum quod sanctificarentur ante animationem : quia, ut dicitur lercm. I, 5, « *Priusquam tc formarem in utero, novi te* »; non autem infunditur anima ante corporis formationem ; similiter etiam de loanne Baptista dicit Ambrosius, quod « nondum inerat ei spiritus vitae, ct iam inerat ei spiritus gratiae ». Ergo multo magis B. Virgo ante animationem sanctificari potuit.

2. Praeterea, conveniens fuit, sicut Ansclmus dicit, « ut illa Virgo ea puritate niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi » ; unde ct *Cant.* IV. 7 dicitur : « Tota pulchra es, amica mea, et macula

non est in te ». Sed maior puritas fuisset B. Virginis, si nunquam anima eius fuisset inquinata contagio originalis peccati. Ergo hoc ei praestitum fuit ut antequam animaretur caro eius sanctificaretur.

3. Praeterea, sicut dictum est (art. praec. arg. *Sed contra),* non celebratur festum nisi de aliquo sancto. Sed quidam celebrant festum Conceptionis beatae Virginis. Ergo videtur quod in ipsa sua Concep-

I
h

tione fuerit sancta ; et ita quod ante animationem fuerit sanctificata.

4. Praeterea, Apostolus dicit : « Si radix sancta, et rami ». Radix autem filiorum sunt parentes eorum. Potuit ergo B. Virgo sanctificari etiam in suis parentibus ante animationem.

Sed contra est, quod ea quae fuerunt in veteri Testamento, sunt figura novi, secundum illud I. Cor. x. 12 : « *Omnia in figura contingebant illis* ». Sed per sanctificationem tabernaculi, de qua dicitur Psal. Psal. XLV, 5 : « Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus », ridetur significari sanctificatio matris Dei, quae tabernaculum Dei dicitur, secundum illud Ps. XVIII, 6 : « In sole posuit tabernaculum suum »; de tabernaculo autem dicitur Exod. ult., 31 : « Postquam cuncta perfecta sunt, operuit nubes tabernaculum testimonii, et gloria Domini implevit illud ». Ergo etiam beata Virgo non fuit sanctificata, nisi postquam cuncta ejus perfecta sunt, scilicet et corpus et anima.

Respondeo : dicendum, quod sanctificatio beatae Virginis non potest intelligi ante eius animationem duplici ratione : primo quidem, quia sanctificatio de qua loquimur non est nisi emundatio a peccato originali ; sanctitas enim est perfecta munditia, ut dicit Dionysius. Culpa autem non potest emundari nisi per gratiam, cuius subiectum est sola creatura rationalis. Et ideo ante infusionem animae rationalis beata Virgo sanctificata non fuit. —Secundo, quia cum sola creatura rationalis sit susceptiva culpae, ante infusionem animae rationalis proles concepta non est culpae obnoxia. Et si quocumque modo ante animationem beata Virgo sanctificata fuisset, nunquam incurrisset maculam originalis culpam, et ita non indiguisset redemptione et salute, quae est per Christum, de quo dicitur Matth. I, 21 : « Ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum ». Hoc autem inconveniens est quod Christus non sit Salvator omnium hominum, ut dicitur I. Tim. iv.

Unde relinquitur quod sanctificatio beatae Virginis fuerit post cius animationem.

Ad *prunum* ergo dicendum, quod Dominus dicit, ante formationem in utero se leremiam novisse, notitia scilicet praedestinationis ; sed sanctificasse dicit eum non ante formationem, sed antequam exiret de ventre. Quod autem Ambrosius dicit, quod loanni

Baptistae nondum inerat spiritus vitae, cum iam haberet spiritum gratiae, non est intelligendum secundum quod spiritus vitae dicitur anima vivificans, sed secundum quod spiritus vitae dicitur aer exterius respiratus. Vel potest dici quod nondum inerat ei spiritus vitae, id est, anima, quantum ad manifestas et completas operationes ipsius.

Ad *secundum* dicendum, quod si nunquam anima B. Virginis fuisset contagio originalis peccati inquinata, hoc derogaret dignitati Christi, secundum quam est universalis omnium Salvator. Et ideo sub Christo, qui salvari non indiguit, tanquam universalis Salvator, maxima fuit B. Virginis puritas. Nam Christus nullo modo contraxit originale peccatum, sed in ipsa sui conceptione fuit sanctus, secundum illud Luc. I, 35 : « *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei* ». Sed B. Virgo contraxit quidem originale peccatum, sed ab eo fuit mundata, antequam ex utero nasceretur. Et hoc signatur Job, III, 9. ubi de nocte originalis peccati dicitur : « *Expectet lucem* (id est Christum), *et non videat* » ; quia « *nihil inquinatum incurrit in Adam* », ut dicitur Sap. VII, 25 ; « *nec ortum surgentis aurorae* », id est, B. Virginis, quae in suo ortu a peccato originali fuit immunis.

Ad *tertium* dicendum, quod licet Romana Ecclesia conceptionem B. Virginis non celebret, tolerat tamen consuetudinem aliquarum Ecclesiarum illud festum celebrantium. Unde talis celebritas non est totaliter reprobanda. Nec tamen per hoc quod festum Conceptionis celebratur, datur intelligi quod in sua conceptione fuerit sancta : sed quia quo tempore sanctificata fuerit ignoratur, celebratur festum sanctificationis eius potius quam conceptionis in die Conceptionis ipsius.

Ad *quartum* dicendum, quod duplex est sanctificatio : una quidem totius naturae, inquantum scilicet tota natura humana ab omni corruptione culpae et poenae liberatur ; et haec erit in resurrectione. Alia vero est sanctificatio personalis, quae non transit in prolem camaliter genitam, quia talis sanctificatio non respicit carnem, sed mentem. Et ideo etsi parentes beatae Virginis fuerint mundati a peccato originali, nihilominus beata Virgo peccatum originale contraxit, cum fuerit concepta secundum carnis concupiscentiam ex commixtione maris et feminae. Dicit enim Augustinus : « Omnem, quae de concubitu nascitur, carnem esse peccati ».

Observationes
circa hos duos articulos ad invicem comparatos.

Prima. — Si ad invicem conferatur doctrina theologica in his duobus articulis tradita, quoad substantiam una eademque est : idem enim utriusque articuli titulus ; idem etiam modus procedendi ; eadem pariter argumenta contra conclusionem stabiliendam, nisi quod in *Summa Theologica* adhuc augetur argumentorum numerus in contra ; eadem porro conclusio doctrinalis tenenda atque in corpore utriusque articuli finaliter stabilita, iisdemque argumentis comprobata. *« Sanctificatio ergo Beatissimae Virginis non potuit esse decenter ante infusionem animae. » « Sanctificatio B. Virginis non potest intelligi ante eius animationem. »* Quare ? « *Duplici ratione* » : respondet D. Thomas. Videlicet : **i.** « *Quia gratiae capax nondum erat* ». 2. « *Quia non indiguisset redemptione et salute quae est per Christum. »* Atque in *Summa Theologica* Angelicus Doctor intulit celebre illud corollarium : « *Unde relinquitur quod sanctificatio B. Virginis fuerit post eius animationem. »* — At quoniam Angelicus Magister reliquit etiam particulam *post,* absque determinatione huiusmodi posterioritatis ; inde theologi, dum de mente Sancti Thomae in hac famosa controversia quaerunt ac disputant, in suis sententiis ab invicem dividuntur ; et tam ex D. Thomae discipulis quam ex adversariis, altero contra alterum dimicante, ita opposita loquuntur, et unusquisque tali persuassione quod ipse, et non alter, quod verum est, propugnat, ut *non audiat unusquisque vocem proximi sui* h Exspectatur adhuc qui, litem dirimendo, lucem abundantius affundens, opus concordiae perficiat atque sua doctrina ad optatum exitum perducat. Interim hac de re, *faciendi plures libros nullus est*

l Genes, **ti,** 8.

finis 1; ut ipsemct, quem nunc scribimus, liber manifeste testatur.

Secunda. Haud parva tamen interest inter textu: ex *III. Sententiarum* et textum *Summae Theologicae* differentia, dum in *Summa* nulla prorsus fit expressa mentio de *ipso instanti infusionis* atque in *Sententiis* legitur in terminis expressum quod « sanctificatio Beatae Virginis non potuit esse decenter *ante infusionem* animae, nec etiam *in ipso instanti infusionis.* » Hinc quidam, praesertim moderni, exaltant vocem suam quasi palam triumphantes et dicentes quod velle D. Thomam in hac quaestione ab errore excusare vel ad partes veritatis iam definitae trahere, est certe *res desperata!* Alii vero D. Thomam iustificare desiderantes, asserere tamquam *credibile* non dubitant, textum *Sententiarum aliqualiter esse interpolatum.* Aiunt enim : « Verum ecce in ***III.*** *Sent.* dist. 3. q. 1. a. 1. respondet S. Doctor : *Quod sanctificatio B. Virginis non potuit esse decenter ante infusionem animae, quia gratiae capax nondum erat; sed nec etiam in ipso instanti infusionis, ut sc. per gratiam tunc sibi infusam conservaretur, ne culpam originalem incurreret. Christus enim hoc singulariter in humano genere habet, ut redemptione non egeat; quia caput nostrum est; sed omnibus convenit redimi per ipsum. Hoc autem esse non potest, si alia anima inveniretur, quae nunquam originali macula fuisset infecta.* Quid ergo ? Respondemus, probabile vehementer esse, quod locus iste fuerit interpolatus. Etenim : i° Quorsum illud *decenter* in prima parte responsionis, cum de re impossibili agatur ? 20 An S. Thomas usus est ea formula : *Conservari per gratiam in ipso instanti infusionis, ne culpa contrahatur ?* Quod enim *conservatur,* iam *esse cepit;* hic enim porro de *initio existentiae* animae eiusque sanctificationis ageretur. 30 Quaestio quam hic resolvit, haec est : *An B. Virgo ante animationem sanctificata fuerit ?* Huic vero quaestioni facit satis prima pars responsionis ; alia vero, quae de *ipso instanti* loquitur, non est ad rem. 40 Caietanus, Sancti Thomae operum et doctrinae callentissimus, non legit ea verba in hoc loco nec alibi. Etenim in ***III.*** *Parte Summae* q. 27. a. 2. advertit, quod = *absolute loquendo* = etc. Qui concipi potest,

1 *Eccles.* 12, 13.

ob eam rationem allatam a Caietano, non meminisse eius opinionis in *Sumina,* cum eiusdem meminerit (si locus est genuinus) iam in *Sententiis ?* Credibile est ergo quam maxime, verba illa alterius manu inserta esse ; ideoque et *ea,* quae in Arg. 3. eiusdem quaestiunculae exstant in fine. » Hactenus Palmieri[x].

Tertia. Textus vero D. Thomae in *Sententiis,* etiamsi interpolatus non fuerit, neque aliqua, alterius manu inserta, contineat verba, apparet valde incompletus ac deficiens : i° Quia D. Thomas ***III.*** *Sent.* dist. 3. q. 1. a. 1. ponit sic quaestionem : *Virum Beata Virgo fuerit ante sanctificata, quam Conceptio eius finiretur ?* Deinde sic procedit declarando sensum quaestionis : «) *sanctificata antequam conceptio carnis eius finiretur ; b) sanctificata ante animationem ;* c) *sanctificata ante nativitatem ex utero.* Et postea Angelicus Doctor sub isto triplici aspectu affert secundum consuetudinem argumenta in *contra,* et deinde respondet quod est dicendum

ad questionem, ac denique solvit argumenta in *contra* iam antea allata. Et clausula illa : « *Sed nec etiam in ipso instanti infusionis* », est revera novus quaestionis aspectus, sub quo nihil dixerat in capite quaestionis neque in speciali titulo uniuscuiusque articuli, nec ulla aut in pro aut in contra sub isto speciali quaestionis aspectu adduxit argumenta. — 20 Quia non solummodo est aspectus quaestionis novus, verum etiam est novus aspectus maximi et capitalis momenti ; unde valde alienum esse videtur a sapientia Angelici Doctoris, tam gravem adeo quaestionem in qua iam de propinquo tangitur praecise *factum privilegii,* sic per trasennam ac per modum parenthesis resolvere. — 30 Quia ipsemet Angelicus Doctor ibidem fatetur ignorare momentum seu *instans,* quo Beata Virgo fuerit sanctificata. « *Quae* (sanctificatio) *quando determinate fuerit, incertum est.* » Si ergo incertum, quare negare, quod in *primo instanti?* — 40 Quia D. Thomas non negat, Deum *potuisse,* si voluisset, sanctificare Beatam Virginem : «) in suis parentibus ; *b)* ante infusionem animae ; sed ait quod « *non decuit* » ; atque huiusmodi ratio non procedit

[x] Palmieri, S J — *Tractat, ds Deo creante* et *elevante,* part. II. cap. 4 *de Immaculata Conceptione S. Deiparae,* Thes. 86.

nec legitime concludit, loquendo de « *ipsomet instanti infusionis»;* nisi aliquid plus addatur aut melius declaretur. — 5° Quia D. Thomas in *Summa Theologica* tractat ex professo de eadem quaestione et sub triplici aspectu, sub quo in *III. Lib. Sententiarum* tractaverat ; et nihil prorsus indicat de « *ipso instanti infusionis* ». Unde verba illa de quibus agitur, a) vel dicenda esse interpolata ; *b)* vel intelligenda, sicut declarantur a Porrecta et a loanne a S. Thoma ; c) vel quod in *Summa* ipsemet S. Thomas ex proposito voluit supprimere seu omittere.

Quarta. Verumtamen textus D. Thomae in *Sententiis,* etiam prout iacet ad litteram, tametsi incompletus ac deficiens, recte declaratur ex ipso contextu articuli in *Sententiis* atque ex contextu articuli in *Summa Theologica,* et sufficienter completur ac perfecte clarus redditur ex Sancti Bonaventurae doctrina in eodem loco et circa eamdem quaestionem in *III. Sententiarum* ab utroque Doctore similiter pertractatam et simili explicatione definitam : ut amplius infra patebit. Non ait enim D. Thomas, quod Beatissima Virgo *non possit* in ipso instanti infusionis animae per gratiam sanctificari ; sed asserit quod si sanctificatio esset in ipso instanti infusionis, « *ut sc. per gratiam tunc sibi infusam conservaretur ne culpam originalem incurreret* », tunc Beatissima Virgo redemptione non egeret ; quia anima Beatae Virginis, in ipso instanti infusionis, per gratiam tunc sibi infusam, *conservaretur* ne culpam incurreret, *antequam animaretur caro eius;* ac perinde ante animationem corporis ; ideo ante constitutionem personae ; unde Beatissima Virgo redemptione non egeret *personaliter, ratione suae propriae personae.* Etenim in hac hypothesi sanctificatio animae praecessiset natura et ordine infusionem ipsius animae in corpus ; quia supponitur quod, in ipsomet infusionis instanti, anima rationalis per gratiam tunc sibi infusam *conservaretur* ne incurreret neque incurrere *deberet* originalem culpam tunc *incurrendam* ex unione substantiali ad *carnem infectam* cum qua fit *una natura* et ex qua simul cum anima efficitur ac componitur *persona una;* ideoque *persona* Beatissimae Virginis, in ipsomet instanti temporis quo ex anima et corpore constituitur, iam non indigeret per Christum redimi. Est siquidem eadem prorsus doctrina, quae traditur in *Summa Theologica*

III. q. 27. a. 2. ad 2., dum D. Thomas dicit : « Quod si *nunquam* anima Beatae Virginis fuisset contagio originalis peccati inquinata, *hoc derogaret dignitati Christi,* secundum quam est universalis omnium Salvator. Et ideo sub Christo, qui salvari non indiguit tamquam universalis Salvator, *maxima fuit Beatae Virginis puritas.* Nam Christus *nuUo modo* contraxit originale peccatum... » Est, inquam, eadem doctrina, et doctrina sana, quam etiam hic in ***III.*** *Seni.* dist. 3. q. i. a. 1. solut. 2. tradit Angelicus Doctor ad 3. dicens : « Haec puritas soli Homini Deo debebatur, ut ipse quasi unicus Redemptor humani generis, *nulla peccati servitute teneretur,* cui competebat omnes a peccato redimere ; unde non hanc puritatem, sed sub hac *maximam Virgo Mater eius habere debuit.* » Non ergo reiicit D. Thomas, sicut neque S. Bonaventura reiicit, quod sanctificatio animae Beatae Virginis fuerit facta *in ipsomet instanti infusionis;* sed quod facta fuerit in ipsomet infusionis instanti, ita quod, *prius prioritate naturae inlelligatur animam per gratiam sanctificari, quam corpori sive carni uniri.* Quae quidem omnia venient amplius declaranda, ac semel atque iterum amplificanda per integrum huius, quem scribimus, *Libri* decursum et processum.

II

Doctrina D. Thomae circa primam Beatissimae Virginis sanctificationem, poteritne cum Bulla Dogmatica « Ineffabilis Deus » concorditer componi ?

Dum de hac quaestione agitur, simile quid contingit perinde ac cum sanctus Paulus sermonem faciebat in medio Areopagi, ubi ex audientibus Apostoli verba, quidam quidem *irridebant;* quidam vero dixerunt : *audiemus te de hoc iterum;*

quidam tamen adhaeserunt firmum praebentes assensum[1]. Ita pariter, cum de concordia tractatur inter D. Thomae doctrinam et dogmaticam *Immaculatae Conceptionis* definitionem, plures theologi velut irridentes admirantur ; plures etiam haerent quasi dubitantes ; alii vero non pauci utramque doctrinam, et a D. Thoma traditam et ab Ecclesia definitam, concordare ad invicem optime posse, palam fatentur. En per modum exempli quaedam certe illustria testimonia.

Ex parte concordantiam negantiu: IV

à) Suarez : « Titulus huius articuli notandus est. Quaerit enim D. Thomas de *tempore* ante animationem, et in responsione transilit ad *tempus* post animationem *posterius,* omittens *momentum ipsum* in quo animatio perficitur : in quo difficultas sita est... Et siquidem illa particula « *post* » solum naturae ordinem significaret, nulla esset controversia. Et revera argumentum symbolicum quo D. Thomas utitur in argumento *sed contra,* nihil aliud requirebat ; ita enim concludit : *Virginem non esse sanctificatam, donec eius corpus d anima 'perfecta sunt et unita.* At vero in corpore articuli *manifeste intendit* loqui de *ordine temporis.* Nam pro inconvenienti infert, quod alias B. Virgo *nunquam* incurrisset maculam originalis culpae[2] ».

Postea ita prosequitur : « An B. Virgo fuerit ab originali peccato praeservata et in primo suae Conceptionis instanti sanctificata » respondet : « Prima sententia affirmat fuisse conceptam in originali, et nihilominus in primo instanti suae Conceptionis, fuisse sanctificatam. Ita sentit ex parte Henricus Gandavensis *Quodl. ij* . Sed improbabilis sententia... Est ergo secunda sententia, quae ait Virginem fuisse conceptam in originali, et *paulo post* fuisse sanctificatam. Hanc tenuerunt ferme antiqui Scholastici ante Scotum, D. Thoma

1 *Aci. Apost.* cap. 17, vv. 32 et 34.
2 Suarez, *Comment, in III. Partem Summae,* q. 27 a. 2.

hic III. q. 27. a. 2. et *III. Seni.* dist. 3., ubi Bonaventura, Albertus Magnus, etc. Albertus Magnus videtur *erroris damnare contrariam sententiam...* Dicendum nihilominus est : *Beatam Virginem in ipso primo instanti Conceptionis suae fuisse sanctificatam et ab originali peccato praeservatam.* Hanc sententiam docuerunt graves theologi in *III. Sent.,* dist. 3. Scotus, Aureolus, Galatinus, Nicolaus Cusa, Catharinus, etc.) Hactenus Suarez h

&) Christianus Pesch : « In Schola Dominicanoruni B. Albertus Magnus docebat de fide esse B. Virginem, post contractionem originalis peccati, ante nativitatem ex utero esse sanctificatam *{III. Sent.* dist. 3. a. 4.) ; sed quo die vel hora nescire quemquam hominum, nisi per revelationem; nisi quod probabilius est, quod *cito post animationem* gratia conferatur quam longe expectetur. Utrum autem hac in re S. Thomas magistrum suum secutus sit, adhuc est quaestio disputata. ...Ut tamen dicam, quod sentio, mihi certum esse videtur S. Thomam *negasse Immaculatam Conceptionem eo sensu, quo postea ab Ecclesia definita est...* Negari nequit secundum sententiam, quam S. Thomas saepe ubi de hac re consilio tractat, *dissertis verbis* proponit Beatam Virginem in primo instanti infusionis animae, *actu contraxisse* peccatum originale ; sed *brevi· post,* gratia sanctificatam esse. » « Textus est per se tam clarus, ut conatus ex hoc textu exegetice removendi agnitionem originalis peccati in B. Virgine sit *res desperata ! 2 «*

c) Billot : « Hunc porro eximium singularemque Virginis triumphum, eiusque ab omni peccati labe integritatem, *viderunt etiam Patres; tum in arca illa Noe, quae divinitus constituta a communi totius mundi naufragio plane salva et incolumis evasit; tum in scala illa, quam de terra ad coelum usque pertingere, vidit lacob...* Cum autem S. Thomas in praesenti quaest. 27. a. 2. ad 2. dicit quod *« si nunquam anima Virginis fuisset contagio originalis peccati inquinata, hoc derogaret dignitati Christi, secundum quam est universalis omnium Salvator* » reipsa affert rationem quae probat Virgi-

l *Ibidem,* disp. 3, sect. 5a.

- P. Pesch, S. J., *De Deo creante* (cd. 3., 1908), tract, j. sect. 4. a. 4. prop. 33- Nos *327* et 339 et 186.

nem non fuisse in sua origine immuncm ab originali *vi conceptionis.* At vero, praeter immunitatem ab originali *vi conceptionis,* est et exemptio ab eodem *vi privilegii ex* meritis Christi Salvatoris concessi, quam nec S. Thomas, nec alii coevi Scholastici, Deo ita permittente, satis consideraverunt. Et hanc exemptionem, quae utique supponit debitum *contrahendi* peccatum, non derogaret quomodolibet redemptioni Christi. » Et infra adnotat : « Signa temporum unusquisque intelligat, nec calumnietur antiquos Doctores Scholasticos qui circa Virginis Conceptionem pro humana fragilitate erraverunt[1] ».

(7) Lépicier : « S. Doctor expressis verbis profitetur Beatam Virginem in peccato originali fuisse conceptam. Sic, verbi gratia, ***III.*** *Sent.* dist. 3. q. 1. sol. 1. ait : *Beata Virgo in peccato originali fuit concepta.* Et in *Sum. Theol.* III. q. 14. a. 3. ad 1. : *Caro Virginis concepta fuit in originali peccato.* Expressius adhuc q. 27. a. 2. : *Relinquitur quod sanctificatio Beatae Virginis fuerit post eius animationem...* Pariter, in eadem *Sum. Theol.* ibidem, ad 3, festum quod Ecclesia Romana suo iam tempore celebrabat, ita explicat, non quasi per huiusmodi festum detur intelligi quod B. Virgo *in sua Conceptione fuerit sancta; sed quia, quo tempore sanctificata fuerit, ignoratur, celebratur festum sanctificationis eius potius quam Conceptionis in die Conceptionis ipsius....* Revera in citata quaestione 27. *tertiae Partis,* a. 2., Angelicus Doctor non agnoscit sanctificationem B. Virginis, nisi *post eius animationem,* dum profecto catholicum dogma profert illam in ipsamet animae creatione et in corpus infusione ab omni labe immunem praeservatam fuisse, vel si magis arrideat vocabulum, sanctificatam. Et quod verba illa, *post cius animationem,* non debeant sumi in mente S. Doctoris ad significandam *posterioritatem naturae,* quo in casu cum dogmate catholico concordarent, nam prius est natura conceptus quam sit conceptus sanctificatio, sed quod debeant sumi ad significandam *posterioritatem temporis,* evidenter demonstratur ex verbis quae in praefatis responsionibus habentur. Dicitur enim et quod B. Virgo ab originali peccato

[1] Card. Billot, S. J., *De Verbo Incarnato, Comment, in* ***III.*** *Part. Sum.* q. 27. thés. 39.

ante nativitatem fuit mundata, et quod *ignoratur quo tempore* B. Virgo fuerit sanctificata x. »

t

1 Tract. *De Beatiss. V. Maria, Matre Dei,* auctore Alexio M. Lêpicier, ed. 3. part. 2. cap. 1. a. 1. — Tamen P. Lépicier, ait : 0 De S. Dominico constans est traditio eum, cum olim Tolossae contra Albigenses disputans, hanc sententiam defendisset, miraculo comprobasse Christum Dominum de Virgine Immaculata natum I fuisse, non secus ac prior Adam de terra virgine formatus fuerat; I et cum liber in quo sententia ista continebatur, in ignem proiectus fuisset, incombustus repertus est. — Nec ab hac sententia formalitcr discessisse dicenda est S. Dominici Religiosa Familia : licet enim aliquibus inter cius alumnos visum fuerit contrariam sententiam tueri, tamen illustriores et scientia et pietate huius Ordinis viri, cordi habuerunt sententiam de Immaculata Virginis Conceptu verbo scrip- I toque tueri. Quos inter satis erit recensuisse B. Albertum Magnum, Angelici Doctoris præeceptorcm, qui in *libro de laudibus Virg. super* I Missus de Deipara ait : *Haec Virgo sola a communi illa regula exci-* I *pitur : Omnes in Adam peccaverunt;* et iterum : *Angelo nuntianti* I *vestis alba et clara congruit; quia illa quae concepit, sine peccato fuit.* — Pariter S. Vicentius Ferrerius praedicavit, scripsitque in favorem Immaculatae Conceptionis, ut videre est in pluribus eius operibus, v. g. serm. II, de *Nativ.,* in serm. de *B. V. Conceptione.* Nec dissimiliter sensit S. Ludovicus Bertrandus, dum ostendit in Serm. *De qua natus est lesus* animam Virginis, cum in corpus ingressa est, nullatenus commaculatam fuisse. — Praeclari quoque huius Ordinis Theologi, uti Ambrosius Catarinus, Natalis ab Alexandro, Joannes a Sto. Thoma, venerabilis Ludovicus Granatensis, aliique bene multi, hanc sententiam solidis rationibus fulcire conati sunt ; ex quo patet illos a vero abesse qui inclytum hunc Ordinem ab hoc dogmate olim alienatum fuisse repraesentant. » — Haec Reverendissimus P. Alex. M* Lépicier.

Hinc etiam assumebant unum ex argumentis Episcopi Siciliae utriusque, dum respondentes ad Encyclicam Pii IX anno 1849, de Immaculata V. M. Conceptione, sic loquebantur : « Certe nuspiam Ordo S. Dominici contra protestatus invenitur ; immo, niinio prosequutus est favore ; idque praecipue, vel in Provinciali Coetu Baetico, Vicario Generali F. Alberto las Casas praeside an. 1524 ; vel in altero, cui Magister Generalis Xaviere, postea S. R. E. Cardinalis, praefuit, an. 1602 : vel tandem, in Beneventano, an. 1653 ; quibus virtute Sanctae Obedientiac statutisque poenis cautum fuit, ne quis Fratrum contradiceret, sed potius ut fidelium pietatem sincere prosequatur ; imo, preces, quas una cum Generali eorum Magistro iani pridem Sidi Apostolicae ut defincret submiserant, reiterandas statu-

e) Janssens : « Ultima ergo spes, si tamen spes, residet in distinctione inter *priorilatem naturae* et *priorilatem ratio-*

tum est nomine Beneventanae Provinciae non solum, sed et Hispanicae, quae totius Ordinis potior praecellit. Sed et Conceptionis festum in Ordinis Martyrologio an. 1524 inscriptum, et officium in eorum Breviario Parisiis excuso 1529 insertum ; et in fronte Templi Matritensis eiusdem Ordinis inscriptio : *Deiparae sine labe conceptae ;* et in Andulucia, Coenobium Praedicatorum *Conceptionis Titulo;* et Panormi tandem, ut reliqua omittam, prae foribus Ordinis Ecclesiae *columna Immaculatae Conceptionis* ab ipsis misso etiam fratre veniam a Carolo V impetraturo creata : haec omnia praeclara sunt monumenta Ordinis erga Immaculatae Virginis pietatem. Quoad *Alumnos :* iam sanctitate, dignitate, doctrinaque praecellentem numerum invenio pro immunitate parthenia. Hanc enim venerati fassique sunt venerabiles Ludovicus Granata, Hieronymus Lanuza Eppus. Barbastri, et Joannes Taulerus; beati Albertus Magnus Eppus. Ratisbonensis praeceptor D. Thomae, lacobus a Voragine Eppus. lannuensis, Petrus lercmias, et lordanus, qui secundus Ordinis Magister Generalis fuit ; sancti Dominicus, Fundator qui Immaculatum Conceptum Virginis contra Albigenses propugnavit ; Vicentius Ferrerius, Raymundus de Pcnnafort, Hyacinthus Polonus, Petrus Martyr et Pontifex Summus Pius V. Hanc amplexati corde et voce sunt : Eppus. Civitatis-Plcbis, Rcginaldus Lucarini ; Episcopi, doctissimus Catharinus, Compsanus, et Dominicus de Marinis, Avenionensis. Petrus Paludanus, Patriarcha Cpolitanus, Hugo de Sto. Caro Cardinalis, ct Benedictus XIII Pastor oecumenicus. Hanc (sententiam piam) demum incredibilis prorsus Scriptorum e Praedicatorum coctu copia celebravit, quos inter Academici Sorboni, Paludanus, Doré, Natalis Alexander, Joannes de Penna ; Complutcnses, Almonacid, loanncs a Sto. Thoma, Philippi IV. Confesarius; Perez, Regis Hispaniae Praedicator ; Salmanticenses, Mancius, Dominicus Soto, Orator Caroli V. apud Tridentinos ; Cantabrigensis in Anglia, Robertus Kolkot, etc. De ceteris innumeris quorsum longus ero ? Consule Niercmberg, Sfondrati, Giacobboni, de Alva, Alliaga, et nuperrime Spada, Dominicanum. Certe Acgidius a Praesentatione, Augustinianus, eos exquirens, si 92 contra, 137 pro pia invenit scripsisse sententia ; et cum haec Aegidius notaret a. 230 circiter annis, permagna adhuc erit eorum scriptorum copia adiungenda, post Gregorii XV., Pauli V., ct praesertim Alexandri VII. decretum 1661, quando et Dominican! cum reliquis Ecclesiis Conceptionis celebrarunt solemnitates, et nemini amplius licuit contra pnvatim publiccquc tractare. Unum subiungam : quod dum bene prae ceteris Dominicanis de pia nostra merebantur sententia PP. Spada et

nis l. Sc. si praesto sit aliquis locus, in quo S. Thomas ipse I
nobis dicat, de prioritate naturae duntaxat sive logica, I
intelligenda esse quae de contractione originalis labis in I
B. Virgine ponit ; omnes sententiae, licet interdum non sine I
violentia, erunt ad hunc sensum trahendae. At, nedum I
huiusmodi locus occurrat, habentur in S. Thoma : x° textus I
in quibus *haec positio omnino excludi videtur.* Ita in *ScA* I
contra est a. 2. quaest. praesentis, allato exemplo sanctifica- I
tionis templi, concludit : « *Ergo B. Virgo non fuit sanctificata,* I
nisi postquam cuncta eius perfecta sunt sc. et corpus et anima. » I
2° Et corpus (articuli) ibidem claudit verbis : « *Unde relin-* I
quitur, quod sanctificatio B. Virginis fuerit post eius anima- I
tionem. » Cur ergo si S. Doctor tenuit B. Virginem sanctifi- I

Salzano scriptis aureis, quibus D. Thoinam nobis semper adrisisse I
probant, iam nostris, hisce temporibus S. Dominici Universus Ordo I
nobiscum iunctis dextris vocibusque festive in Praefatione et Litaniis I
Virginem Deiparam *Immaculatam* in Conceptione salutant : quod I
P. Angelo Ancarani, Magistro Generali exposcenti Gregorius XVI I
concessit an. 1843, e"t an. 1847 firmavit Sanctitas Tua (Pius. IX.). » I
« Teate, dic 5 Maii 1849, Iosue Maria, Episcopus Teatinus ex Ord. I
SS. Redemptoris. t» Vide Roskovany « *13. V. Maria in suo Conceptu* .
Immaculata, ex monumentis omnium saeculorum demonstrata. Accedit I
amplissima litteratura. Auctore Augustino de Roskovany, *Episcopo* I
Nitriensi. Tom. IV. — P. Spada in suo « *Examc Critico* sulla dottrina
dell' Angelico Dottore S. Tommaso di Aquino circa il peccato origi- I
nale relativamcnte alia Beatissima Verginc Maria » (§. IV.) incepit I
texere catalogum aliquorum Dominicanorum qui in favorem Imma- I
culatae Conceptionis scripserunt, incipiendo a sacculo 13 ; cui siqui- I
dem catalogo adiiciantur ea omnia quae sub rubrica « *Litteratura*
Dominicana » afferuntur a Roskovany in diversis suae Collectionis
voluminibus in quibus et nomina scriptorum et operum tituli recen-
sentur. poterat certe optimus componi liber in quo ostenderetur
quam iurc merito ipsemet Roskovâny tom. III. pag. 349 scripserit :
« Inventi sunt tamen complures e Familia Sacra Praedicatorum,
qui piae adhaerebant opinioni : quod ipsum suis locis occuratc
adnotabimus. » At de hoc alibi et ab aliis ; nos autem non nisi de
Angelico Magistro sermonem faciendum instituimus. Confer etiam
inter alia plura opus P Ioannis Mir . S. J. La *Immaculada Concepcion.,*
Cap. 13. La Ordcn de Santo Domingo por la Immaculada Concepcion.
Cap. 14. Oradores Dominicanos.

1 Ita ad litteram P. Ianssens ; fortasse voluit dicere *prioritatem naturae et prioritatem temporis ;* nam sic dicere ac distinguere debebat.

catam *in* animatione, id ipsum ope distinctionis praemissae non dixit ? 30 Imo hoc *post* ipse S. Thomas *(Quodl.* 6. a. 7.) explicat *cito post* : « Creditur quod *cito post* conceptionem et animae infusionem fuerit sanctificata. » Quid apertius ?... Equidem ad hanc discussionem accessi cum vehementi desiderio, ut inter doctrinam Aquinatis et definitionem Pii IX concordia mihi elucesceret. Fateor exitum non respondisse votis. Peritiori utinam id efficacius praestare contingat ! Interim « *amicus Angelicus, magis amica veritas* ». « Doctrina S. Thomae adversatur dogmati Immaculatae Conceptionis 1. »

Ex parte opposita concordantiam affirmantium.

a) Plazza : « Nihil frequentius auditur, et nihil facilius creditur ; quia et nihil clarius, *supperficie tenus,* apparet, quam Angelicum Doctorem, pluribus in locis, contractum a Beata Virgine originale peccatum, tam generatim quam singulatim tradidisse. Et ego quidem ab hac communi opinione non recederem, nisi geminis praeeuntibus fidissimis D. Thomae interpretibus Seraphino Capponi a Porrecta et loanne a sancto Thoma ordinis Praedicatorum Magistris, a Jacobo Echard plurimum commendatis, in *ipsa D. Thomae doctrina veluti clavim* invenissem, ad apertum Sancti Doctoris sensum recludendum piae et ecclesiasticae sententiae minime contrarium 1. »

i) Perrone : « ...Ahi denique adnisi sunt ostendere, ex principiis Sancti Thomae aliorumque illius aetatis scholasticorum circa generationis rationem, ac circa modum transfusionis peccati originalis huiusque naturam, eum (S. Thomam) *nulla ratione* in locis, quae ex ipso aliisque scholasticis adducuntur, *piae adversari sententiae;* quos inter eminet doctus P. Nicolaus Cichovius in citato opusculo *Angelici Doctoris*

1 P. Janssens, O. S. B. *Dc Verbo Incarnato.* Quaest. 27. De Mariae sanctificatione. Dissert, de Imm. Concept. Λρρ de mente Sti. Thomae.

2 P. Plazza, S. J., *Controversia de Immaculata Conceptione,* Act VII. a. i. text. 3. n. 54.

S. *Thomae Aquinatis de Beatissimae Virginis Deiparae Immaculata Conceptione;* et loannes a Sancto Thoma in suo *Cursu Theologico* pariter citato : quibus ego libenter assentior. Adi quae scripsimus part. i. cap. 3 ». »

c) Porrecta : « Ut ergo recte intelligatur doctrina tanta, examinetur pro illo dicto, in quod coetera resolvuntur : *Erroneum est dicere quod aliquis sine peccato originali concipiatur praeter Christum solum.* Sc. quantum est ex vi conceptionis. Altus vero sensus tanti Doctoris huiusmodi fuit. Si Beata Virgo *nunquam* incurrisset maculam originalis culpae *nec juisset in periculo* incurrendi illam, non indiguisset et salute quae est per Christum a peccato illo 1. »

d) Ioannes a Sancto Thoma : « Quoties D. Thomas infert, quod non indigeret redemptione, ly *non indigeret* est quia includitur etiam *debitum;* hoc enim si datur, sufficit ad indigentiam liberationis : ut ex isto loco *{IV. Sent.* dist. 42. q. i. a. 4. ad 3. et habetur ad additionem III. Part. q. 78. a. i. ad 3.) colligitur. Et ita locus hic maxime praelucet menti D. Thomae introspiciendae in aliis locis 3. «

e) Franciscus Henno : « Unde quando I-II. q. 81. a. 3. asserit (D. Thomas) : *Secundum fidem catholicam firmiter est tenendum quod omnes homines, praeter solum Christum, ex Adamo derivati, peccatum originale contrahunt;* intelligendum est sicut lib. *IV. Sent.* dist. 43. q. 1. a. 4. ad 3. quod omnes habeant *debitum contrahendi* originale ; non autem quod omnes actu contrahant, ne uno excepto 4. »

1 Ioan. Perrone, S. J., *De Immaculato 13. V. Mariae Conceptu disquisitio theologica,* part 2. cap. 5 de *Scholasticorum placitis.*

2 Iolv. Porrecta, O. P. *In III. Part. Sum. Theol.* q. 27. a. 2.

3 Ioan, a s. Thoma, O. P , *Curs. theol.,* tom. I. Approb. doctrinae D. Thomae, disp. 2. a. 2.

1 R. P Fr. Franciscus Henno, Ord. Minorum, *Theol. dogm.* Tom. II. *De praecipuis vitae Christi mysteriis,* art. 1. — *Ibidem,* sect. 2. a. i. petes 4. adiungit, quasi Thomistas reprehendens, haec quae sequuntur : « *Mirum est sane ipsius* (D Thomae) *discipulos parum studere, in hac materia, Praeceptoris sui honori; ut ipsum sententiae oppositae patronum absolute declarent, cum facile possit explicari.* » Verum non omnes tamen ita sc gerebant. Nunquam enim defuere ex D. Thomae discipulis, qui Angelicum Doctorem in hac quaestione recte ac convenienter explicarent Saeculo 17 in Hispania

/) Palmieri : « Quod affirmat S. Thomas III. q. 27. a. 2., est *labes originalis carnis* Virginis ; quae *caro ex se* peccatum traduceret, cui nempe anima coniuncta deberet habere

v. g. contra quosdam negantes, maior pars asserebat nullum esse locum seu textum in operibus D. Thomae, qui non possit in bono sensu facile explicari. Aiebant enim : « Los Religiosos de Aragôn y de Andalucia, siguiendo a muchos hombres doctisimos, explicamos a Santo Tomâs, donde parccc que llevô la opiηïôη contraria â la preservaciôn de la Virgen, diciendo que hablô del *débito ó derecho, y no del hecho 6 antes de la animaciôn, ó en* otra forma de cuya inteligencia es capaz su texto... Porquc, por mucho que se ponderen las autoridades del Doctor Angélico (in *contra),* siempre admiten la inteligencia de que hablô en cuanto al *débito* ô derecho, *y no de hecho,* como del inconvenicntc que saca, se deduce ; y asi lo han sentido, y sienten hoy muchos y muy graves Maestros del Orden de Predicadores, sin que por esto les hayan privado de grados ni castigado con otras penas. Lo cual se hubiera ejecutado â ser évidente que Santo Tomâs llevô la opiniôn afirmativa : y séria cosa dura el decir que evidentemente se han engaôado cuantos han sido de este parcccr referido. » — « Defensa de la doctrina del Angélico Doctor. *Escribiôla el M. R. P. Presentado Fray Juan de Ribas, del Orden de Predicadores, de la Provincia de Andalucia. en cl Real Convento de S. Pablo de Côrdoba. Con licencia.* En Madrid, por Pablo del Val. Ano de 1663. » — Ad hoc etiam propositum scribebat P. Vicentius Salzano, O. P. : « Quamvis in Ordine nunquam fuerit praeceptum hanc sententiam pro Immaculato Virginis Conceptu impugnare, imo semper in ea permulti fuerunt primi subselli Theologi, qui pro pia sententia acriter decertarunt ut Caietanus, Catharinus, aliique, et vigintiquinque ex eadem familia in Tridentina Synodo fuerint Episcopi qui hanc opinionem veluti fidei dogma definiri voluissent ; tamen ut verum fatear, non pauci fuerunt etiam in eadem Schola, qui litterae D. Thomae pressius insistere volentes, nec multum criticae regulis attendentes, hanc sententiam viribus omnibus impugnarunt. Nunc vero temporis qui hanc spartam exornarunt, D. Thomam cum pia sententia commode coniunxerunt, ut ipseme Ordo per Revmum. Generalem positive hoc mysterium fassus est petendo concessiones et Indulta pro pia et universali sententia. Imo etiam, ut verum dicam, quamdiu et in Longobardiac Provincia, et per plures annos in Romana versatus sum, semper in Ordine meo vidi *perfectos absolulosque theologos* pro pia sententia stetisse, contra vero sentire qui *D. Thomam atque solidam theologiam a limine tantum et leviter salutarunt.* » — « Lettera dei P. M. Salzano, O. P., c voto dei inedesiino sui quesito ; *Nunc constet ex facto. Ecclesiam nunc temporis praevenisse*

peccatum ; est *debitum* contrahendi peccati et *necessitas* gratiae Redemptoris, ut ab eo immunis existât Maria. Cum ergo penes antiquos conceptio (proprie dicta, quae est semi-

ac postulare dogmaticam de Immaculato V. Conceptu definitionem. . I
(La solenne definizione dei dogma dell' Immaculato Concepimiento I
di Maria Santissima. Atti et Documenti publicati nd cinquantesimo I
anniversario dolia stessa definizione da Mons. Vincenzo Sardi, I
vol. I, pag. 578.) I

Adhuc ipsimet thomistae, qui tamquam *adversarii,* in hac de | Immaculata Conceptione controversia, communiter ab omnibus I reputantur, non tamen videntur, in co ipso quo definitum est sensu, aperte contradicere dogmati postea ab Ecclesia definito. Huius quidem rei illustre habetur exemplum in *Tractatu de singulari puritate ac praerogativa Conceptionis Salvatoris nostri Iesu Christi,* edito per | Fr. Vincentium de Bandelis de Castro Novo (anno Domini 1481. Bononiae, et Mediolani 1512). Utique ; in cap. 1. huius operis in quo ponitur auctoris intentio et totius operis divisio, stabilitur sic prima conclusio : « *Beata Virgo Maria fuit, sicut coeteri homines, in originali peccato concepta.* » Sed postea addit : « *Quam conclusionem sic intelligo : Beata Virgo Maria in primo instanti, quo anima sibi fuit infusa, caruit iustitia originali, quae sibi debebatur, et quam utique habuisset, si Adam non pcccasset.* » — Deinde in cap. 6. sensus conclusionis magis declaratur his verbis : ' Et quia B. Virgo Maria, et omnes alii homines, excepto Christo, fuerunt in Ada, ut ab ipso naturaliter et seminaliter propagandi ; ideo, sicut potuit Beatae Virgini et omnibus aliis, excepto Christo, praedictum originalis iustitiae donum servare, ita sponte delinquendo illis iustitiam originalem perdidit. Et ob hoc, cum *privatione originalis iustitiae concipiuntur, et debito Adae adstricti in utero matris nasci dicuntur.* Ex quibus omnibus clare patet, *quid importet* hoc quod dicimus *Beatam Virginem fuisse conceptam in peccato originali:* per quod nihil aliud intelligimus nisi quod, quando anima rationalis ei infusa fuit, *caruit iustitia originali,* quae sibi *debebatur,* si Adam non pcccasset ; sed quia sponte ipse deliquit, eam sibi, et Beatae Virgini, et omnibus aliis ab ipso seminaliter propagandis, abstulit, sicut sancti asseruerunt Doctorcs. » — Et iterum in cap. 7. : ...Quando dicimus Beatam Virginem fuisse in originali peccato conceptam, nihil aliud intelligimus nisi quod in instanti animationis suae caruit originali iustitia debita ; quam Adam, peccando, sibi et omnibus posteris suis ab eo naturaliter propagandis, *perdidit:* quam certe, si non pcccasset, in ipsa infusione animae rationalis utique habuisset. »

Hoc, proprie loquendo, non est impugnare *Immaculatam Conceptionem* quae fuit definita, sed *Immaculatam Conceptionem* quae

nalis) distingueretur ab animatione, *conceptio in originali* sive *in peccato originali* non erat conceptio cum formali peccato, sed conceptio carnis immundae, qua peccatum non indiget redemptione. Non enim Beatissima Virgo est *Immaculata* exeo quod Adam non perdidit etiam B. Virgini iustitiam originalem, sed cx eo quod habuit gratiam sanctificantem in primo instanti animationis ex meritis Christi Redemptoris, cx morte Filii Dei praevisa. Et ipse Bandclius scribit, loquendo de praedicatione adversariorum quos impugnat, haec quae sequuntur : « *Usque adeo eorum opera perniciosus error ille increverat, ut popularium multi venenatis illorum illecti fabulis Virginem sacram assererent de Spiritu Sancto fuisse conceptam, minimeque pretioso Christi sanguine redemptam inverecunda fronte late praedicarent...* » — Quoad hoc ergo Bandclius minime impugnavit dogma definitum ab Ecclesia, sed potius propugnabat ; et nihil aliud docebat nisi quod postea definivit Cone. Tridentinum sess. 2. can. 2. : « *Si quis Adae praevaricationem sibi, et non* cihs *propagini, asserii nocuisse; et acceptam a Deo sanctitatem et iustitiam, quam perdidit, sibi soli, et non nobis etiam eum perdidisse : anathemasit.* »

Sed quo instanti, aut quonam temporis momento, sanctificata fuit B. Virgo cx meritis Christi Redemptoris ? Ad hoc Bandclius respondet : « Nullatenus in fetu ante infusionem animae rationalis ; sed *citissime* et *perquam rapidissime* divina virtute fuisse mundatam...» Etadiungit : «Inter Conceptionem Virginis qua fuit animata et sanctificationem qua fuit sibi gratia infusa, *modica et quasi imperceptibilis morula* fuit... solum *per tempus quasi momentaneum* sub originali peccato fuerit. » — Hic deficit Bandclius ; et deficit a doctrina D. Thomae. D. Thomas nunquam dixit quod inter animationem et sanctificationem B. Virginis interfuisset quasi momentaneum tempus vel quasi imperceptibilis morula ; atque in hoc videntur similiter defecisse plures Thomistae a via D. Thomae. Quos inter reponuntur Salmanticenses dum tom. VIII, pag. 185, disput 15, dub. 5. n° 204 ita scribunt : « Veniamus ad ea loca (D. Thomae) quae nihil continent censurae, sed simpliciter tradunt Virginem fuisse in originali conceptam, aut *non nisi post instans* animationis fuisse sanctificatam. Haec autem sincere considerantibus, sive quae invenis super *Sententias,* sive quae senior in *Summa Theologiae,* aut alii locis scripsit, ita pro peccati contractione sunt perspicua et sibi ipsis cohaerentia, ut coram propria conscientia non audeamus illa de *solo debito* intelhgcre. » — Hic attribuitur D. Thomae, quod D. Thomas non dixit. D. Thomas enim nunquam dixit Beatam Virginem sanctificatam fuisse *post* instans animationis, sed *post animationem.* Unde Angelicus Doctor minime excludit *ipsummet temporis instans* animationis, cum agitur

traduceretur, cui anima coniuncta obnoxia esset *debito habendi* peccatum. Directe et immediate docet S. Thomas tunc habuisse locum sanctificationem, cum anima extitit. An vero *statim* sanctiiicata fuerit, id quidem diserte non dicit, verum neque *negat;* imo, si sententiae ab eo alibi expressae ratio habeatur, censeri potest id voluisse affirmarel.»

g) Hurter : « Quare, ut omnia paucis complectamur, de prima Beatissimae Virginis sanctificatione. — Sunt praeterea alii Thomistae, qui videntur laborare contra ipsum D. Thomam dum interpretari conantur clara D. Thomae verba in favorem praeservationis B. Virginis a macula, ad probandum quod D. Thomas adversatur *Immaculatae Conceptioni.* D. Thomas enim *I. Sent.* dist. 44. q. i. a. 3. ad 3. ait : «Dicendum quod puritas intenditur per recessum a contrario ; et ideo potest aliquid creatum inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit ; et talis fuit puritas Beatae Virginis, quae a peccato originali et actuali immunis fuit ; tamen sub Deo, in quantum erat in ea potentia ad peccandum. » — Ad quod Herrera, *Tract, de Immac. Concepi.* lib. V, cap 7, respondet : « Ad testimonium D. Thomae respondetur quod *esse immunem* a peccato originali non est *illud non habuisse,* sed *non habere,* licet habuerit illud : patet hoc ex eodem D. Thoma in lib. *II. Sent.* dist. 31. q. 1. a. 2. ad 1. » Et cap. 9. addit : « Purior est Magdalena aliquibus angelis, et tamen illa fuit aliquando maculata peccatis, non isti. Ad maiorem ergo puritatem Virginis satis est quod, quando quis habet illam, habeat *maiorem gratiam,* per quam magis tunc elongetur a peccato ; non requiritur quod tempore praecedenti puritatem minus habuerit de peccato. » — Egregia profecto verborum D. Thomae interpretatio ! Quid ergo tunc significat *Immaculata Conceptio ?* Quidnam ergo importat *praeservatio* a macula originalis peccati ? Si enim ita est quod Herrera tradit, omnes sine exceptione pronuntiandi erunt a peccato originali *immunes!* Ad rem Ambrosius Catharinus *disp. pro Immac. Concept,* lib. II : « Beatus Thomas *simpliciter et absolute* praedicavit Virginem *immunem* ab originali, sine ulla temporis distinctione. — Praeterea : vox illa *immunis* perpetuam significat absolutionem ab ea re, a qua dicitur quis *immunis*... — Adde quod validius est, quod S. Doctor copulat duo haec : *originale* et *actuale peccatum,* a quibus illam *immunem* dicit ; sed de *actuali* haud dubium quin perpetuam immunitatem dixerit B. Thomas cur ergo non pariter et *de originali,* cum hacc ambo quoad *immunitatem* ita iunguntur, ut aequari videantur ? » Vide infra, cap. 17. pag. 341. 1

1 Dominicus Palmieri, S J *Traci De Deo creante ct elevante.* Pag. 666-754. Romae, 1878.

docet quidem D. Thomas Beatam Virginem conceptam fuisse *cum debito contrahendi* peccatum originis ; *demonstrari vero nequit,* eum affirmasse, eius animam *actu contraxisse* peccatum originale *proprie* dictum, cum corpori coniungeretur L »

A) Cornoldi diligenter atque accurate laborat demonstrare et revera videtur demonstrative ostendisse tria haec quae sequuntur suprema controversiae capita, videlicet ad litteram : i. « *Sanctus Thomas Virginem Dei Matrem originalis peccati expertem fuisse, clare profitetur.* » 2. « *Quamquam sit aperta verborzim oppositio, tamen verum sententiarum dissidium nullum reapse est inter doctrinam nostris temporibus Catholico orbi credendam propositam, et Aquinatem affirmantem Virginis Conceptionem sanctam nequaquam extitisse, sed peccato obnoxiam.* » 3. « *Nulla realis Aquinatem inter et Catholicam doctrinam oppositio existit, quod attinet ad primam Deiparae sanctificationem 2.* »

1 P. Hurter, S. J. *Theol. dogm.,* tom. II. *Mariologia,* Thes. 157, n. 470. Edic. 1878.

2 P. Cornoldi, S. J. *Sententia S. Thomae Aquinatis de immunitate B. Virginis Dei Parentis a peccati originalis labe.* Pag. 1-80. Romae, 1889. — Inter cos qui nullam realcm inter D. Thomae doctrinam et dogma definitum arbitrantur existere oppositionem, annumerandus etiam venit Dr. Morgott qui in suo opere « *Marialogie de saint Thomas d'Aquin* publiée en français avec autorisation de l'auteur, par Mgr Lauicnt-Casimir Bourquard (Paris, 1881), ita eloquitur « Nous allons donc exposer la doctrine de l'Ange de l'Ecole et montrer comment elle s'accorde avec la substance du dogme de l'Eglise... Nous soutenons la thèse suivante : *La doctrine de saint Thomas d'Aquin* sur *la Conception de la très sainte Vierge n'est nullement en désaccord dans sa substance avec le dogme défini par l'Eglise sur ΓImmaculée Conception....* Nous allons donc démontrer avec évidence que l'enseignement du Docteur Angélique, pris dans son ensemble, donne aux différents termes dont il s'agit un sens différent de celui qui leur a été attribué, pendant la durée de la controverse sur ΓImmaculée Conception, et que les décisions de l'autorité doctrinale de l'Eglise ont définitivement fixé... C'est ce que démontre le P. Cornoldi de la manière la plus décisive dans l'ouvrage que nous avons déjà souvent cité, intitulé : *Sententia Sancti Thomae Aquinatis...* Le résultat de notre analyse est donc celui-ci : dans les passages que nous avons cités et où saint Thomas semble nier l'immaculée Conception de la

I 3

Qui dicunt doctrinam S. Thomae adversari dogmati Immaculatae Conceptioni, videntur rem de qua agitur non satis considerasse nec mentem S. Thomae penetrasse.

Quoad Suarez. — i° D. Thomas, III. q. 27. a. 2. quaerit de *ante* et *post* animationem ; sed nullam *expresse* facit mentionem de *tempore* per totum hunc secundum articulum. *Momentum* proinde *ipsum,* in quo animatio perficitur et in quo sita est difficultas quaestionis, proprie loquendo, non omittitur, quamvis determinate non signetur ; ideoque dici non potest quod in responsione transilit D. Thomas de *tempore ante ad tempus post animationem posterius. — 2° Planum est quod si illa particula post significaret* solummodo *naturae ordinem,* nulla esset controversia ; sed ex hoc quod etiam significare possit *ordinem temporis,* non sequitur quod necessario significet in praesenti quaestione *solummodo* temporis ordinem ; eo vel maxime, cum argumentum a D. Thoma adhibitum in *Sed contra,* fatente ipsomet Suarezio, revera nihil requirat aliud quam solum ordinem naturae. — 30 Utique :

Mère de Dieu, la *terminologie* de la doctrine relative à ce mystère présente *un sens complètement diffèrent* de celui que l'Eglise a adopte plus tard. Par conséquent, la divergence est tout entière dans les mots et non dans les choses. L'Eglise déclare que *la conception de la Vierge Marie a été immaculée;* saint Thomas dit que *la Vierge a été conçue dans le péché originel.* Mais ces deux propositions ne se contredisent nullement. La première affirme que la très sainte Vierge a été exempte du péché originel considéré formellement ct en tant qu'il est une souillure de l'àme ; elle le place dans la personne comme dans son sujet propre. La proposition de Saint Thomas considère le péché originel comme subsistant dans sa cause instrumentale, avec la virtualité seule de communiquer une souillure à l'âme. Saint Thomas ne nie donc pas ce que l'Eglise affirme, à savoir l'exemption de tout péché, même originel, dès le premier instant de la Conception de Marie La contradiction n'est donc qu'apparente ct non point réelle. » (Cap. 4, art. 2, § 34 et 35, etc.)

dabatur tunc temporis theologorum sententia quae asserebat Virginem fuisse conceptam in originali, et *paulo 'post* ipsam fuisse sanctificatam. Utrum autem D. Thomas hanc sententiam tenuerit hic III. q. 27. a. 2. et ***III***. *Sent.* dist. 3., hoc est praecise de quo nunc agitur, et quod oportet demonstrare antequam ita sententialiter affirmetur. Etenim Angelicus Doctor concludit quidem fmaliter quod « *sanctificatio Beatae Virginis fuerit post eius animationem* »; non tamen dicit *paulo post eius animationem. Post* et *paulo post* non significant idem totaliter ; omne namque quod est *paulo post,* est certe *post;* verum non omne quod est *post,* necessario est *paulo post.* Nam *paulo post* contrahit *post* ad posterioritatem temporis significandam ; dum *post,* simpliciter dictum, valet quoque exprimere posterioritatem tantum naturae et ordinis. — 40 Neque rationabiliter dici potest, nisi antea vere demonstretur, quod D. Thomas in corpore articuli « *manifeste intendat loqui de ordine temporis* » ; quantumvis pro inconvenienti inferat quod alias B. Virgo *nunquam* incurrisset maculam originalis culpae ; quoniam huiusmodi inconveniens, videlicet *nunquam incurrere* maculam originalis culpae, idem significat ac *esse sanctificatum ante animationem,* ut in terminis asserit D. Thomas in ipso corpore articuli dicens : « Et si quocumque ante animationem Beata Virgo sanctificata fuisset, *numquam incurrisset* maculam originalis culpae, et ita non indiguisset redemptione et salute quae est per Christum ». Ecce inconveniens quod D. Thomas logice infert in Corpore articuli, ex quo minime sequitur quod Angelicus Doctor manifeste intendat de ordine temporis loqui. — 50 Quod autem D. Thomas manifeste intendit, est quidem demonstrare duplici ratione, quod sanctificatio B. Virginis non potest intelligi ante eius animationem, et ideo ante eiusdem Virginis personae constitutionem ; at nihil tamen obstat quominus in ipso temporis momento, quo persona Virginis constituitur, per gratiam simul tempore sanctificetur ; ac perinde a macula actualiter incurrenda praeservetur immunis. -6° Praeterea : Ubinam B. Albertus Magnus, aut in quonam loco suorum operum, damnavit, veluti erroneam, sententiam dicentium B. Virginem sanctificatam fuisse in ipsomet primo instanti animationis ? Quod autem Albertus Magnus reprobat ac damnat, est dicere B. Virginem fuisse sanctificatam ante animationem. Ita ad litteram ***III***. *Sent.* dist. 3. a. 4. : « *Di-*

cimus quod B. Virgo non fuit sanctificato, ante animationem; et qui dicunt oppositum, est haeresis condemnata a B. Bernardo in Epistola ad Lugdunenses, et a Magistris omnibus parien-sibus. » Haec porro indiscrete repetita et veluti calumniosa cantilena Suarezii (forsitam ab alio accepta et ab alio antea cantata) iam per tria saecula et amplius repetitur ac decantatur sine fine usque in hodiernum diem ».

b) Quoad P. Pesch. — x° Cantilenam Suarezii videtur etiam cantare P. Pesch, dum ait : « In schola Dominicanorum B. Albertus Magnus *docebat de fide* esse (in ***III.*** *Sent.* dist. 3. a. 4.) B. Virginem *post contractionem* originalis peccati ante nativitatem ex utero esse sanctificatam. » Non ita, sed sicut est ad litteram supra transcriptum, nempe *dicere B. Virginem esse sanctificatam ante animationem* : hoc est quod ex ore S. Bemardi et omnium Magistrorum Parisien-

l *a)* Suarez, ***In III.*** *Part. D. Thomae,* q. 27. a. 2. disp. 3. sect. 5. : ‹ Est ergo secunda sententia, quae ait *Virginem fuisse conceptam in originali, et paulo post fuisse sanctificatam.* Hanc tenuerunt iere antiqui scholastici ante Scotum, D. Thomas hic, et in ***III.*** *Sent.* dist. 3. Bonaventura, Albertus Magnus... Albertus Magnus videtur *erroris* damnare *contrariam sententiam...* »

b) Pesch, *De Deo creante,* tract. 1. sect. 4, a. 4. : « Albertus Magnus docebat de fide esse B. Virginem post contractionem originalis peccati... esse sanctificatam... »

c) Editores *Operum S Bonaventurae* (Quarachi, 1887) *Scholion* in ***III.*** *Seni.* dist. 3. part 1. a. 1. : « Nec defuerunt qui cum B. Alberto Magno (hic, a. 4.) assererent, eamdem esse tenendam tamquam dc fide certam... »

ci) C. van Crombrugghe, *Tract, de B. V. Maria,* pag. 134 (Gande, 1913) : « Alexander Ales et Albertus Magnus (in *Sent.* III. dist. 3. a 3. et 4.) supponunt aut affirmant B. Mariam *non potuisse actu non contrahere peccatum originale,* eo quod seminali ratione est concepta. »

e) P. Eduardo Caparroso, O. M. C., *Velada cientifico-litcraria...* 18 de Sept. 1904. *Escoto en Paris,* pag. 55 et seq. : « El Doctor Sutil se contenta siempre con probarendicha obra (Repportata Parisiensia), *la posibilidad* de la Conccpciôn Immaculada de Maria, y expone su opiniôn en tèrminos ménos explicites y claros que en la dist. 18, del lib. III. dc su *Opus Oxoniense...* Quizâ se le ocurra â alguno preguntar Y por que csa timidez de Escoto, en no atreverse â main-festar elaramente su pensamiento ?... Ah ! Sonores ; la situaciôn del joven proiesor era muy angustiosa ! Cincucnta anos antes, cxpli-

sium condemnat Albertus Magnus tamquam *fyaeresim.* — 2° Albertus Magnus dixit, et omnes similiter dixerunt, et in hoc verum dicebant, quod non nisi per revelationem poterat esse notum momentum primae sanctificationis B. Virginis ; sed ubinam asseruit Albertus Magnus *esse de fide* B. Virginem sanctificatam fuisse, *'post* contractionem peccati originalis, *post, posterioritate temporis ?* — 30 Similiter, quonam loco affirmavit D. Thomas « *dissertis verbis* » B. Virginem in primo instanti infusionis animae « *actu contraxisse* » originale peccatum ? Si ita, dissertis verbis, dixisset ; si D. Thomas, ex proprio suo ore interpretatus esset particulam *post* in sensu posterioritatis temporis ; revera esset *res desperata,* doctrinam D. Thomae cum dogmate Immaculatae Conceptionis velle concordare. Sed interim non demonstrative ostendatur

cando lo que èl cxplicaba, habia declarado Alberto el Grande, que la *opiniôn piadosa* era « *condemnata a B. Bernardo et a Magistris omnibus Parisiis.* »

/) Turmel, *Histoire de la Théologie positive,* part. 2, chap. 3 : Albert le Grand fit appel, lui aussi, à l'auteur de la Lettre aux chanoines de Lyon, et il déclara que *VImmaculée Conception* était *une hérésie* condamnée par le bienheureux Bernard, ainsi que par tous les docteurs de Paris ». Et postea, in nota indicatur textur B. Alberti Magni, sic truncatus : « *Sent. 3. a. 4. : Qui dicunt oppositum, est haeresis condemnata a B. Bernardo in epistola ad Lugdunenses et a Magistris omnibus.* » Omissis his praecisse verbis quae immediate praecedunt, videlicet : « *Dicimus, quod Beata Virgo non fuit sanctificato ante animationem; qui dicunt oppositum,* etc. »

Cogita nunc, prudens lector, utrum *pia sententia* quam simul cum S. Bernardo damnaverunt omnes Magistri Parisienscs, et quam post illos damnavit Albertus, et Bonaventura, ac rciecit D. Thomas III. q. 27. a. 2. dicens : « *Et si quocumque modo ante animationem Beata Virgo sanctificato fuisset..., non indiguisset redemptione el salute quae est fier Christum* » ; cogita, inquam, et attenta mente recogita, utrum talis *pia sententia* sit definita veluti dogma fidei in Bulla *Ineffabilis Deus ?* Estnc idem B. Virginem fuisse sanctificatam ante animationem et fuisse sanctificatam in primo instanti temporis animationis ? Utroque quidem modo habebitur *Immaculata Conceptio* B. Virginis, ct *praeservatio* eiusdem a macula peccati originalis ; at cum hac tamen differentia, quod si ante animationem B. Virgo fuisset sanctificata, non indigeret redimi ratione suae propriae personae. Vide infra cap. 6° et 70.

D. Thomara docuisse B. Virginem fuisse sanctificatam *brevi post animationem,* id est, post animationem *postcriorilatc temporis,* sine causa P. Pesch asserere audet theologos « *qui contrarium tenent, ad subtilissima artificia recurrant necesse esi, ut aperta dicta in alium sensum inflectant.* » — 40 Sine causa etiam ac nimia facilitate P. Pesch videtur cadere in *desperationem,* dum agitur de textu D. Thomae in *Sententiis exegetice* interpretando : *a)* quia secundum regulas vere exegeticas, si quae obscura apud aliquem auctorem reperiantur, per ea quae sunt posteriora et clariora apud eumdem veniunt interpretanda vel corrigenda ; et in *Summa* idem ad litteram ponitur argumentum, sed meliori ac clariori forma, in qua nulla prorsus mentio fit de tempore ; *b)* quia etiam in *Sententiis,* dum respondet D. Thomas ad argumentum solvendum, neque de tempore ullam facit mentionem ; sed tantum distinguit inter *puritatem* quae soli Homini Deo debebatur, et *puritatem* quam, sub puritate Homini Deo debita, Virgo Mater eius habere debuit. Quaenam autem puritas debebatur Homini Deo, qui solus redemptione non indigebat et qui solus est omnium aliorum Redemptor ? Haec nimirum, quod sit sanctus vi suae conceptionis, quod peccatum originale neque *actualiter* contrahat neque contrahere *deberet.* Quaenam vero puritas debebatur Virgini Matri Dei ? Illa videlicet puritas quae sit *maxima* sub puritate Hominis Dei. « *Non hanc puritatem* (Christi), *sed sub hac maximam Virgo Mater eius habere debuit.* » Ergo si Christus peccatum originale neque contraxit neque debuit contrahere, Virgo Mater Christi originale peccatum actualiter minime contraxit ; at contrahere tamen *debuit;* alioquin neque *maximam* haberet puritatem sub Christo, nec Christi indigeret redemptione. En *artificia* interpretationis quae P. Pesch appellat *subtilissima !* En exegetica textus interpretatio, quae a P. Pesch existimatur veluti *res desperata!*

c) Quoad P. Billot. —1°. *Ratio,* quam D. Thomas affert III. q. 27. a. 2. ad 2., non videtur esse *ratio,* allata ad probandum Virginem non fuisse in sua origine immunem a peccato *vi conceptionis;* quia de hoc non agitur in praedicto articulo 2., neque hoc indiget probatione ; sed est *eadem ratio* qua Angelicus Doctor concludit in fine articuli sanctificationem B. Virginis fuisse post animationem ; id est,

post constitutionem personae ; nam aliter B. Virgo iam non indigeret *personaliter* redemptione et salute quae est per crucem Christi ; et hoc revera derogaret Christi dignitati, secundum quam est universalis omnium Salvator ac Redemptor, etiam suae propriae Matris. Unde Beatissima Virgo, *vi conceptionis,* non tantummodo *non fuit* in sua origine immunis a peccato, sed *debebat actu incurrere* in originale peccatum, utpote dependens a primis parentibus in ordine iustitiae originalis transmittendae et amittendae ; perinde, *vi conceptionis suae, dependebat* ab Adamo et Eva *oqusisi spiritualiter Evae filia existons et de numero eorum quos mala suggestione sua prima mulier in Adam corrupit »;* iccirco, *vi conceptionis suae,* « *fuisset et ipsa aliquando, una e flebilibus filiabus Evae* »; et ideo, *vi conceptionis suae,* non tantummodo *caro* seu *corpus,* verum etiam *anima* Beatissimae Virginis, ac perinde *persona* quae ex unione substantiali corporis et animae constituitur, fuisset et debebat esse contagio originalis peccati inquinata. Haec est enim ratio quam reipsa affert D. Thomas in praesenti quest. 27. a. 2. cum ad 2. respondet dicendum : « *Si nunquam anima Virginis juisset contagio originalis peccati inquinata, hoc derogaret dignitati Christi, secundum quam est universalis omnium Salvator.* » — 2° In hac quidem responsione ad 2. (q. 27. a. 2.) volvitur cardo totius controversiae de *exemptione* B. Virginis a peccato originali simul atque de *modo* huiusmodi exemptionis ac praeservationis ; de quibus fusius et ex professo in decursu huius *Libri.* Ad praesens sufficiat, instar praenotaminis, indicare quod D. Thomas solvit breviter et compendiose, profunde tamen ct celsa, firmaque sententia *argumentum 2. in contra* in quo ex ipsamet Beatissimae Virginis puritate « *qua maior sub Deo nequit inlelligi* » infert : « *Ergo hoc ci* (B. Virgini) *praestitum fuit, ut antequam animaretur caro cius, sanctificaretur.* » Etenim ex unione animae ad carnem in qua, sicut in sua causa instrumental!, peccatum originale sicut effectus continetur, oritur contagium originalis peccati, quo anima a Deo cx nihilo creata, dum in corpus infunditur, inquinatur vel inquinari *debet.* Iam vero : si anima B. Virginis ex unione ad corpus nihil habuit vel nihil acquisivit, ex quo redemptione, quae est per Christum, indiguisset ; hoc derogaret dignitati Christi, secundum quod est omnium Redemptor. Quia in tali hypothesi nullus daretur *terminus a quo*

redemptionis : quod est vel peccatum originale actu contraxisse, vel saltem ■*personale debitum* illud habendi. En ratio quam reipsa affert D. Thomas, III. q. 27. a. 2. ad 2. et ex qua habetur solutio ad argumentum, nempe : Christus *nullo modo* contraxit originale peccatum, Virgo Mater Christi contraxit *aliquo modo.* Christus est omnium Redemptor; Virgo Mater Christi indiget per Christum redimi. Christus est sanctus vi suae conceptionis ; Virgo Mater Christi non nisi ex meritis Christi sanctificata est. Sub Christo, qui redimi non indiguit, *maxima* est Virginis Matris *puritas.* Ergo Beatissima Virgo non fuit sanctificata antequam animaretur caro eius ; sed post animationem posterioritate vel temporis vel tantum naturae et ordinis. Imo : sanctificari debuit post animationem posterioritate solummodo naturae ; ideoque in primo suae animationis instanti. Alias puritas eius non esset *maxima* sub Christo. — 30 Ex responsione itaque D. Thomae, III. q. 27. a. 2. ad 2. atque ex toto articuli contextu patet quod S. Thomas et etiam S. Bonaventura, ut infra videbitur, satis, pro temporis conditione, consideraverunt eximium singularemque Virginis triumphum, eiusque ab omni peccato integritatem ; ita ut viam rectam reliquerint paratam atque apertam, ad Immaculatam usque Virginis Conceptionem postea definitam, logico processu perveniendi ; imo, sub distinctione *prioritalis* et *posterioritatis,* vel *tempore* vel *natura,* expressis terminis a S. Bonaventura indicata, videntur reipsa pervenisse. Mirum quippe foret quod veteres *Patres* hanc eximiam B. Virginis praerogativam in *arca* Noe et in *rubo* Moysis et in *scala* lacob iam suis propriis oculis *viderint;* et tamen antiqui Doctores scholastici, ut SS. Anselmus et Bernardus et Albertus et Bonaventura et Thomas de Aquino qui habebant oculos valde eruditos, nihil prorsus *viderint* nec satis consideraverint ; imo, pro humana fragilitate, *erraverint* ibi ubi Patres, qui illos praecesserunt, iam clare viderant ! Pace omnium et reverentia sit dictum ; etenim et reverentia sanctissimis ac sapientissimis Doctoribus praedictis debetur maxima ; at, ni multum fallimur, non fuere quidem S. Bonaventura et S. Thomas qui satis non consideraverunt atque introspexerunt primam Virginis sanctificationem ; sed potius est dicendum quod sunt profecto posteriores theologi, etiam ex D. Thomae discipulis, saltem plures ex illis, qui non consideraverunt nec adhuc

satis student doctrinam ab ipsis Doctoribus in praesenti perardua quaestione consulto traditam, et sic adeo prudenter propositam, sapienterque explicatam.

d) Quoad Lépicier. — i° Ex eo quod D. Thomas asserat *B. Virginem juisse in peccato originali conceptam,* nihil exinde sequitur logica deductione contra dogma catholicum ab Ecclesia definitum ; nam Ecclesia loquitur de *Conceptione Virginis* in primo instanti temporis suae animationis, dum e contra D. Thomas loquitur de *conceptione* quae praecedit eiusdem Virginis animationem. Etenim Angelicus Doctor non nisi illam, quae praecedit infusionem animae rationalis, negat B. Virginis sanctificationem ; neque de peccato originali loquitur, nisi prout in tali peccato « *caro Virginis concepta fuit*».— 2° Pariter, ex eo quod D. Thomas dicat *B. Virginem m sua conceptione non fuisse sanctam,* nihil exinde necessaria deductione sequitur contra *Immaculatam B. Virginis Conceptionem* ab Ecclesia definitam ; quoniam Ecclesia loquitur de Conceptione B. Virginis in primo instanti suae animationis, dum e contra D. Thomas loquitur de Conceptione B. Virginis ante eiusdem animationem, ut aperte liquet : n) ex ipso titulo articuli 2 : *Utrum B. Virgo sanctificata fuerit ante animationem; b)* ex ipsomet argumento 3. in contra ad quod Angelicus Doctor respondet, et quod ad litteram sic se habet : « *Non celebratur festum nisi de aliquo sancto. Sed quidam celebrant festum Conceptionis B. Virginis. Ergo videtur quod in sua conceptione fuerit sancta; ct ita quod ante animationem fuerit sanctificata* ». Ergo D. Thomas, dum tradit B. Virginem in sua Conceptione non fuisse sanctam, nihil aliud negat nisi quod B. Virgo sanctificata fuerit ante animationem. — 30 Praeterea, Lépicier ait : « *Festum, quod Ecclesia Romana suo iam tempore celebrabat...* » ; Angelicus autem Doctor ait in terminis : « *Licet Ecclesia Romana Conceptionem B. Virginis non celebret...* » Ergo Ecclesia Romana non celebrabat tale festum tempore D. Thomae. — 40 Item, ex eo quod D. Thomas dicat : « *quod B. Virgo ab originali peccato ante nativitatem fuit mundata d quod ignoratur quo tempore luerit sanctificata »;* minime excluditur a D. Thoma sanctificatio B. Virginis in primo instanti suae animationis ; etenim D. Thomas solum reiicit illam B. Virginis sanctificationem, quae fiat quocumque modo ante animationem. — 50 Denique,

quod « verba ilia *post animationem* non debeant sumi in mente S. Doctoris ad singificandam *posterioritatem naturae;* sed quod debeant sumi ad significandam *posterioritatem temporis* » : hoc minime demonstratur neque demonstrari valet, neque ex titulo articuli secundi, neque ex modo quo proponuntur argumenta contra conclusionem articuli, neque ex duabus rationibus quibus concluditur in corpore articuli quod *sanctificatio Beatae Virginis non potest intelligi ante cius animationem,* neque ex verbis quae in responsionibus ad contraria argumenta solvenda habentur. Totus enim articuli contextus et ipsemet D. Thomae logicus processus non aliam nisi *solius naturae posterioritatem* necessario postulant ac necessario concludunt ; ut infra magis patebit atque ex professo declarabitur. **a**

e) Quoad P. **J**anssens. — i° Abs dubio, quod si S. Thomas ipse nobis dixisset, de *postcrioritatc naturae* duntaxat intelligendum esse illud celebre corollarium : « *Unde relinquitur quod sanctificatio B. Virginis fuerit post cius animationem* » (III. q. 27. a. 2.), nullus daretur locus controversiae agitandae, nec ulla omnino dubitandi in contrarium ratio. Sed verum est etiam, quod nec ullus in S. Thoma occurit textus, in quo, dum de prima sanctificatione B. Virginis agitur, necessario includatur aut logica necessitate intelligenda veniat *posterioritas temporis.* « Demonstrari nequit (ait P. Hurter, S. J.) eum (S. Thomam) affirmasse, eius (B. \virginis) animam *actu contraxisse* peccatum originale proprie dictum, cum corpori coniungeretur. » — 2° Attamen P. Janssens insistit replicando : « Habentur in S. Thoma textus in quibus haec positio omnino excludi videtur. Ita in *Sed contra* est a. 2. quaest. praesentis 27. allato exemplo sanctificationis templi, concludit : *Ergo Beata Virgo non fuit sanctificata, nisi postquam cuncta cius perfecta sunt, sc. et corpus et anima.* » Quid igitur ex tali textu valebit P. Janssens deducere ? Uniusmodi *postquam* excluditne intelligentiam *solius postcrioritatis naturae,* an necessario includit *posterioritatem temporis* in prima B. Virginis sanctificatione ? Neque ipsemet Suarez ausus fuit taliter loqui ; e contrario, expressis verbis affirmat quod argumentum in *sed contra* particula *postquam* solummodo naturae ordinem postulat. « *Solum naturae ordinem requirebat*», et *nihil aliud* ». Cur ergo P. Janssens requirit *plus* quam

quod argumentum I). Thomae requirere fatetur Suarez ? Cur *aliud* quaerit, quam solum *naturae ordinem* in textu huius argumenti, si verum est quod ipse P. Janssens scripsit : « *Equidem ad hanc disquisitionem accessi cum vehementi desiderio, ut inter doctrinam Aquinatis et definitionem Pii IX concordia mihi elucesceret?* » — 30 Forsitam, quia P. Janssens, cum tam vehementi desiderio quaereret concordiam inter D. Thomam et definitionem dogmaticam, invenit *clavim* ad aperiendum sensum illius « *Post cius animationem* », et concludendum finaliter, ut concludit his verbis : « *Doctrina S. Thomae adversatur dogmati Immaculatae Conceptionis* » ; et sic concordia tam vehementer desiderata conversa est in apertam discordiam atque oppositionem. Ait enim : « Cur ergo si S. Doctor tenuit B. Virginem sanctificatam *in animatione,* id ipsum ope distinctione praemissae non dixit ? Imo hoc *post* ipse S. Thomas *Quodl.* 6. a. 7. explicat *cito post. Creditur quod cito post conceptionem et animae injusionem fuerit sanctificata.* Quid apertius ? » Ita ad litteram P. Janssens. — 4° Magis adhuc apertior videtur esse illogicus processus quo P. Janssens laborat et sudat ad explicandum corollarium : « *Unde relinquitur quod sanctificatio B. Virginis fuerit post cius animationem* ». Etenim : «) Cur ergo si S. Doctor tenuit B. Virginem sanctificatam *cito post* eius animationem, id ipsum non dixit in *Corollario,* postquam in corpore articuli ostenderat quod « *sanctificatio B. Virginis non potest intelligi ante eius animationem duplici ratione* » ? Angelicus Doctor id ipsum non dixit nec dicere voluit propter Logicae regulas, rigorose prohibentes inferre ex illa duplici ratione qua ostensum fuerat sanctificationem B. Virginis non posse intelligi *ante animationem,* fuisse necessario ac exclusive *cito post animationem.* Poterat namque esse iuxta Logicae regulas *cito post,* vel *longo tempore post,* vel *citissime post,* vel *statim post,* cum B. Virgo habuerit animam rationalem, id est in ipso *primo animationis instanti.* Unde *post animationem* quod infertur immediate ex hoc quod non *ante animationem,* potest significare totum processum temporis post animationem incipiendo ab ipsomet primo temporis instanti quo animatio facta est, et quo persona B. Virginis, ex corpore et anima composita, fuit constituta, incepitque existere. Non ergo explicat S. Thomas *post* per *cito post.* — *b)* In *Quodl.* 6. a. 7. non quaerit D. Thomas de instanti seu temporis ino-

mento quo B. Virgo sanctificata fuerit ; et quod est valde notandum, nunquam posuit quaestionem : *Utrum sanctificata fuerit in primo instanti animationis ;* quamobrem impertinens videtur esse dilemma per modum interrogationis : *« Cur ergo si S. Doctor tenuit B. Virginem sanctificatam in animatione, id ipsum... non dixit ? »* Nam inter tenere et non tenere datur *medium,* quod est *ignorare;* et D. Thomas III. q. 27. a. 2. ad 3. ait : *« Quo tempore sanctificata fuerit, ignoratur »,* et omnes similiter ignorabant. — c) Etiam si expressis terminis dixisset D. Thomas : *« In primo instanti animationis»* ; opuserat ad huc distinguere et quaerere : *Utrum in primo instanti animationis, ita quod prius prioritate naturae fuerit sanctificata anima, quam carni unita; vel e contra, prius prioritate naturae carni unita quam sanctificata.* Si quidem primum, adhuc habetur sanctificatio animae ante animationem : ut postea ex professo declarabitur. Unde D. Thomas concludit *post,* ut excludatur sanctificatio B. Virginis *quocumque modo* ante animationem. — *d}* S. Thomas dixit in *Quodl. « Creditur* quod sanctificata fuerit *cito post* animationem » ; erat enim communis persuasio theologorum ; et in hoc ipso intelligi ac perspici potest laudabilis omnium conatus perveniendi ad *primum instans* temporis ; sed non dixit *ego credo,* vel hoc est quod relinquitur *exclusive* ex duplici ratione qua in *Summa* probatur non posse intelligi sanctificationem *ante animationem.* Redire ergo oportet ex *Quodl.* 6. ad *Summam Theologicam* III. q. 27. a. 2. et inspicere attentius atque introspicere illam *duplicem* D Thomae *rationem;* et videbit P. Janssens aliquid magis apertum ac luminosum, quam quod antea videre arbitratus est ; et loco concludendi : *amicus Thomas sed magis amica veritas,* concludere valebit : *Quoniam magis amica veritas, ideo amicissimus D Thomas, qui etiam in hac doctrina circa primam Virginis sanctificationem est Doctor et Praecursor veritatis tamquam dogma fidei ex cathedra definitae.*

III

Doctrina ergo D. Thomae circa primam Beatissimae Virginis sanctificationem constituit praeambulum vere theologicum ad Bullam dogmaticam « Ineffabilis Deus ».

S1

D. Thomas docet Beatissimam Virginem tripliciter fuisse peccato originali obnoxiam nempe : a) in parentibus ; b) in carne sua ante animationem ; c) et in ipsomet primo instanti suae animationis.

Quid sit esse obnoxium originali peccato. — Ut bene explicat Caietanus, et Suarez doctrinam Caietani optime declarans corroborat, hoc quod Beatissima Virgo de se fuerit *obnoxia peccato originali,* minime derogat perfectae eius sanctitati ac puritati, sed ostendit solummodo naturae originem et infirmitatem, quae aliunde ita per gratiam sanari potest, ut nullus in ipsa Virginis persona sit neque appareat defectus. Ac praeterea, convenientissima ratione Divinae Providentiae factum est ut Beatissima Virgo simul cum tota natura in voluntate Adae fuerit constituta, ut perfecta et universalis dignitas Redemptoris et efficacia gratiae cius redderetur illustrior, et in Matre sua perfectius eluceret. Per hoc quod Beatissima Virgo de se fuerit et dicatur fuisse *obnoxia peccato originali,* melius quoque intelligi B. Virginem potuisse esse proprie redemptam in *propria persona,* etiamsi in sua persona propria originale peccatum non habuisset neque actu contraxisset. Quiaillamct gratia, qua praeventa est, fuit gratia redemptionis, et impedivit *culpam necessario* emanaturam *ex causis proximis,* Deo non impediente. Obnoxium itaque esse peccato originali, ut sic, non importat *culpam,* neque

gratiae debitam privationem aliquando *actu* habitam, neque proinde *maculam* culpae respondentem atque ex actuali debita gratiae privatione provenientem L

Beatissima Virgo fuit obnoxia peccato originali in lumbis Adami et aliorum parentum. — Ita D. Thomas, III. q. 31. a. 8. ad 2. : « Quia Beata Virgo *fuit in originali peccato concepta,* fuit in Abraham *sicut curatione indigens;* ideo fuit ibi decimata, velut inde descendens secundum seminalem rationem... Solus autem Christus sic fuit in Abraham, ut ab eo derivaretur non secundum *rationem seminalem,* sed secundum *corpulentam substantiam* 2. Et ideo non fuit in Abraham, sicut *curatione indigens,* sed magis *sicut vulneris medicina.* Et ideo non fuit in lumbis Abrahae decimatus. » Atque in *III. Sent.* dist. 3. q. 4. a. 1. : « Dicendum est, quod *caro* Christi, secundum quod fuit in patribus, et etiam in ipsa Beata Virgine, *peccato infecta* fuit, antequam assumeretur; sed in ipsa assumptione ab omni infectione peccati purgata est, ut secundum quod est *actu* caro Christi, in ea *nihil maculae* inveniatur. » Et condemnat Angelicus Doctor *errorem* « dicentium quod caro Christi, secundum quod'in parentibus erat, infecta non fuit. Dicunt enim quod, peccante Adam, Deus conservavit in illo *aliquid incorruptum* et *non infectum,* per quod humana natura sanari posset ; et hoc quidem transfusum est *sine aliqua infectione* usque ad Beatam Virginem, et exinde formatum est corpus Christi. Hoc autem est *erroneum* propter duo, etc. » Et tamquam erroneum damnavit postea Ecclesia, dum damnavit Rosmini propositiones in quarum 40. propositione sic explicatur praeservatio B. Virginis a labe originalis culpae : « *Ad praeservandam B. V. Mariam a labe originis, satis erat ut incorruption maneret semen in homine, neglectum forte ab ipso doemone, e quo incorrupto semine, de generationem in generationem transfusa*[1]

1 Caietanus, Opusc. *De Virg. Concepi,* cap. 3. — Suarez, *in III. Part. Summae,* q. 27. a. 2. disput. 3. sect. 2. et 4.

2 « Cum dicitur Christus fuisse in Adam secundum *corpulentam substantiam,* non est intelligenduin quod in Adam fuerit per modum corpulentae substantiae ; sed quia ipsa corpulenta substantia corporis Christi aliquo modo fuerit in Adam sicut in originali principio. » (*III. Sent.* dist. 3. q. 4. a. 2. ad 1.)

smo *tempore oriretur Virgo Maria* l ». Ita etiam explicabant plures theologi Immaculatam Conceptionem in medio aevo, et deinde in saeculo 16. et usque ad Rosmini, dicentes quod « *opinio* antiquorum Hebraeorum de Immaculatissima Matris Messiae Conceptione, verissima atque catholica est. »

Beatissima Virgo Maria fuit obnoxia peccato originali in utero ante animationem. — Tunc enim iam existebat, non quidem in sua propria persona constituta, sed secundam partem ex qua propria sua persona erat substantialiter constituenda et in qua peccatum ipsum originale continebatur virtualiter sicut in causa instrumental!. Unde D. Thomas, III. q. 14. a. 3. ad 1. : « Caro Virginis concepta fuit in originali peccato ; et ideo hos defectus contraxit. » Et deinde, q. 31. a. 7. : « Sed corpus Beatae Virginis totum fuit in originali peccato conceptum, ut supra dictum est q. 14. a. 3. ad i. et q. 27. a. 2 ; et ita secundum quod fuit in patribus fuit peccato obnoxium. » Peccatum quidem originale est et in semine parentum, et in carne generati in utero ante animationem sicut in sua causa necessaria instrumentait, ex qua emanare debet ; quia corpus seu caro ante animationem est peccato infecta et nata est animam ipsam, in primo instanti coniunctionis ad carnem, inficere. Peccatum originale trahitur ex origine in quantum per eam communicatur humana natura ; et sic ante animationem est iam in *fieri,* quemadmodum est quoque in *fieri* ipsa humana natura, quam proprie respicit peccatum originale : quod quidem fit, quando proles concepta animatur. Ante animationem autem originale peccatum non est *actu,* sed in *virtute* instrumentalis causae ; unde ante infusionem animae, proles concepta non est susceptiva culpae, nec proinde culpae actuali subiecta vel obnoxia ; culpa vero originalis potest impediri ne actualiter contrahatur per omnes illos modos sanctificationis de quibus D. Thomas loquitur, III. q. 27. a. 2. in argumentis in contra. Si tamen impediretur, et quocumque modo ante animationem B. Virgo sanctificata fuisset, etiam si hoc fieret ex meritis Christi, B. Virgo deinde in sua persona constituta iam non indigeret personaliter redemptione, quia

1 Propos. 34. inter 40 prop, damnatas a Leone XIII., 14 Decemb. 1887. Vide infra cap. 10, pag. 144.

gratia praeservationis non esset facta ipsi personae. Dicitur çrgo B. Virgo peccato originali obnoxia in parentibus atque etiam in utero matris ante animationem ; quia iam existebat secundum partem et, nisi gratia praeveniretur, inficienda erat ratione communis propagationis. Unde D. Thomas *II. Seni.* dist. 31. q. i. a. 1. ad 2. : « Dicendum quod semen non est *actu* subiectum culpae, sed *virtute* tantum ; hoc modo enim se habet semen ad peccatum originale, sicut ad naturam humanam ; unde sicut in semine non est natura humana nisi *virtute,* ita etiam nec originalis culpa ; quia per virtutem quae est in semine, generatio ad naturam humana terminatur infectam originali peccato. » Et ibidem ad 4. : « Illa *infectio,* quae est in semine, sicut non habet *rationem culpae,* proprie loquendo, ante infusionem animae, ita nec *poenae;* oportet enim esse idem subiectum culpae et poenae... Unde, quia per peccatum primi hominis *ista infectio* consecuta est in natura humana, ideo ubi invenitur subiectum susceptivum culpae, habet rationem culpae in *actu,* sicut in puero iam nato ; ubi vero hoc non invenitur, manet in tali infectione *virtus* culpae, ut sic *causa* culpae esse possit. »

Beatissima Virgo fait obnoxia peccato originali in ipsomet primo instanti animationis. — Hic tangitur punctum intellectu difficillimum in quo volvitur cardo totius controversiae ; simul ac iacet scientifica clavis ad mentem D. Thomae manifeste aperiendam, eiusdemque doctrinam circa primam B. Virginis sanctificationem introspiciendam, recte intelligendam, clare videndam. Audiamus D. Thomam, D. Thomam ipsum declarantem ; nulla quippe Magistri interpretatio melior, quam quae ab ipso Magistro affertur suae propriae vocis oraculo. *II. Sent.* dist. 31. q. 1. a. 1. : « Ille qui non est *peccato obnoxius,* redemptione non indiget. Si ergo esset aliquis qui non in *peccato originali nasceretur,* praeter Christum, inveniretur aliquis qui redemptione facta per Christum non indigeret ; et sic Christus non esset caput omnium hominum : quod non est conveniens secundum fidem. Ergo nec ponere quod aliquis sine *peccato originali nasci* possit. » Et *IV. Sent.* dist. 43. q. 1. a. 4. solut. 1. ad 3. : « Oportet ponere quod quilibet *personaliter* redemptione Christi indigeat, non solum *ratione naturae.* Liberari autem a *malo* vel a *debito* absolvi non potest, nisi qui *debitum* incurrit vel in

malum deiectus fuit. Et ita non possent omnes fructum dominicae orationis in seipsis percipere, nisi omnes debitores nascerentur et malo subiecti. Unde dimissio debitorum et liberatio a malo non potest intelligi, quod aliquis sine debito vel immunis a malo nascatur ; sed quia *cum debito natus,* postea *per gratiam Christi* liberatur. Nec etiam sequitur, si potest sine errore poni quod aliqui non moriantur, quod posset sine errore poni, quod aliqui sine *originali peccato* nascantur, quamvis mors sit poena originalis peccati... » *II. Sent.* dist. 22. q. 1. a. 1. : « De remissione culpae originalis oportet nos loqui proportionaliter ad remissionem culpae actualis... Similiter etiam ex *actu naturae,* qui est carnis propagatio, relinquitur quaedam *dispositio* inclinans ad malum in *ipsa natura* generati, quae *concupiscentia* vel *fomes* dicitur ; et ex hoc ipso quod *illa* naturae *corruptio* in se *virtutem* peccati, ex quo causata est, continens, *personam* attingit, ipsam *indignam* Dei gratia efficit : unde relinquitur *macula* et *defectus gratiae* in anima ; et per hoc etiam ad *reatum* poenae obligatur, ut sc. *praemio illo* careat quod *gratiae* debebatur. » Ex quibus omnibus habentur :

i° Aliud est esse obnoxium peccato originali in parentibus et in carne ante animationem, et aliud esse obnoxium in primo instanti animationis. Primum est esse obnoxium *ratione communis propagationis* solummodo ; et huiusmodi *debitum* carendi originali iustitia praecedit constitutionem personae. Alterum vero est esse obnoxium, non solummodo ratione naturae, verum *ratione quoque personae,* ac praesupponit saltem prioritate ordinis personam iam constitutam ; quoniam huiusce debiti subiectum est ipsa persona ex anima et corpore substantialiter composita; ideo *debitum personale* denominatur.

2° Ad hoc quod aliquis dicatur peccato originali obnoxius in ipsomet primo instanti animationis, non solum ratione communis propagationis, sed etiam personaliter, oportet quod sit iam in propria sua persona constitutus ; et quod *Personaliter constitutus,* ac proinde in ipsomet primo momento suae existentiae, quae est actus personae et pertinet ad constitutionem personae ut primus eiusdem substantialis actus, *debeat personaliter* carere illa *iustitia originali* in qua gratia gratum faciens claudebatur, quamque haberet, si Adamus non peccasset ; et quam Adamus peccando amisit sibi et omnibus nobis.

3° *Debere* autem in primo instanti temporis suae animationis sive suae propriae existentiae *carere personaliter,* id est, ratione suae propriae personae, *illa iustitia originali quam haberet,* si Adamus non peccasset ; et *quam habere non debet,* quia peccavit Adamus, in *quo omnes peccaverunt :* hoc est quod dicitur in *peccato originali nasci.* Quod quidem exprimit ac importat in sua significatione adhuc aliquid plus quam quod exprimitur ac significatur per illa verba Ps. 50 : *Eccc enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.* Nam in peccato originali non nascitur nisi ille qui antea in iniquitatibus conceptus est per generationem parentum, et in peccatis conceptus fuit a matre sua.

40 Cum autem D. Thomas ait : *in peccato originali nasci,* loquitur de *nativitate in utero,* non vero de *nativitate ex utero.* Nam ante nativitatem ex utero sanctificati etiam fuerunt, saltem leremias, et S. loannes Baptista ; et « Ecclesia (addit D. Thomas) celebrat nativitatem B. Virginis ; non autem celebratur festum in Ecclesia nisi pro aliquo sancto. Ergo B. Virgo in ipsa sua nativitate fuit sancta. Fuit ergo in utero sanctificata1. »

50 Cum ergo Beatissima Virgo sanctificata fuisset *ante nativitatem ex utero* : quaeritur : fuitne sanctificata *ante nativitatem in utero ?* Sanctificari autem ante nativitatem in utero nihil aliud est quam fuisse sanctificatum *ante animationem;* et D. Thomas respondet dicendum : « Si quocumque modo ante animationem B. Virgo sanctificata fuisset, *nunquam* incurrisset *maculam* originalis culpae, et ita non indiguisset redemptione quae est per Christum. » « Si *nunquam* anima B. Virginis fuisset *contagio originalis peccati inquinata,* hoc derogaret dignitati Christi secundum quam est universalis Salvator. Et ideo sub Christo, qui salvari non indiguit, tamquam universalis Salvator, maxima fuit Beatae Virginis puritas 1 ».

6° *Contagium* autem originalis peccati quo *anima* B. Virginis debet esse inquinata, ut non derogetur dignitati Christi secundum quam est universalis omnium Salvator ; *a)* procedit ex *actu naturae* qui est camis propagatio ; *b)* est *illa infectio,* quae est in semine et in carne generati ante animationem, et

1 III. q. 27. a. I. Arg. in *Sed contra.*
2 III. q. 27. a. 2. in corp, et ad 2.

quae ante infusionem animae non habet *rationem culpae* neque *rationem poenae* neque *rationem maculae* in *actu;* sed tamen in *ista infectione* carnis, quae per peccatum primi hominis consecuta est in natura humana, manet *virtus* culpae, ut sic *causa culpae* esse possit ; ac perinde *causa Privationis* gratiae ; exinde *causa maculae,* quae nihil aliud est nisi carentia nitoris ex defectu gratiae sanctificantis seu originalis iustitiae, quam anima *non habet* propter actum voluntarium primi hominis, et *habere debebat·* nisi Adam primus homo non peccasset et peccando amisisset sibi et nobis.

70 Illa *infectio carnis* quae est in semine et in came generati ante animationem, quaeque *macula* carnis dicitur, est *illa naturae corruptio* quae in se *virtutem peccati originalis,* ex quo causata est, continet ; verumtamen originale non causatur in anima, nisi ex coniunctione eius ad carnem, ad tale corpus prout eiusdem substantialis forma est ; et quia sic ex utrisque coniunctis talis natura resultat, oportet quod in *essentia* animae sit primo et principaliter, sicut in subiecto, originale ; in *potentiis* autem per consequens. *{II. Sent.* dist. 31. q. 2. a. 1.) Cum ergo anima unitur carni, et corpori prout eius forma substantialis est, *infectio* carnis : e) *personam,* quae ex dnima et ex corpore per animam informato constituitur, *attingit ; b) ipsam indignam Dei gratia efficit; c)* consequenter relinquitur *macula* et *defedus gratiae in anima.* Ex eo autem quod persona ex anima et corpore constituta, *attingitur,* atque exinde *indigna* Dei gratia *efficitur,* anima iam est contagio originalis peccati obnoxia vel subiecta ; tamen si ex meritis Christi conferatur ei gratia sanctificans in eodem temporis momento, eo ipso quod in anima non relinquitur *defectus gratiae,* non relinquitur *macula,* nec *culpa,* nec *reatus ;* sed per gratiam ex morte Filii Dei praevisa, et ab actuali culpa et a labe seu macula originalis culpae praeservatur immunis.

8° Fuitne de facto B. Virgo sanctificata in primo instanti suae animationis, tunc cum ratione suae propriae personae, erat *obnoxia* peccato originali contrahendo ; id est, tunc cum *infectio carnis,* virtutem originalis peccati causandi continens, *personam* Beatissimae *Virginis attingebat, ipsamque indignum Dei gratia efficiebat ?* Haec autem est alia quaestio, *quaestio de facto,* et per alias vias per quas constet Deum

sua libera voluntate ita fecisse, veniet resolvenda. D. Thomas non posuit *magistraliter* quaestionem de facto praeservationis ; posuit tamen principia theologica ad talem quaestionem favorabiliter resolvendam ; in hoc eodem a. 2. ad 2 videtur insinuasse atque in sensu quo definita est, asseruisse. Concludit enim sic : « *Et ideo sub Christo qui salvari non indiguit, tamquam universalis Salvator, maxima fuit Bealai Virginis -puritas. Nam Christus nullo modo contraxit originali peccatum...* » Non esset autem puritas Beatissimae Virginis *maxima* sub puritate Christi, nisi fuisset sanctificata post animationem, non quidem posterioritate temporis, sed posterioritate solummodo naturae et ordinis ; id est, sanctificata in primo instanti temporis suae animationis. Sed de his ex professo in decursu huius Operis.

I 2

Principia doctrinalia D. Thomae, et a Caietano declarata, iuxta quae mens Angelici Doctoris apparet manifeste aperta in hac celebri controversia de prima Beatissimae Virginis sanctificatione.

Primum ergo principium, et quidem fundamentale. — I.-II. q. 81. a. 3. : « Secundum fidem catholicam firmiter est tenendum quod omnes homines, praeter solum Christum, ex Adam derivati, *peccatum originale ex eo contrahunt ;* alioquin non omnes indigerent redemptione quae est per Christum quod est erroneum. » — Caietanus ita exponit atque interpretatur in suis *Commentariis* ibidem : « Quod dictum non intelligendum est aliter quam de morte, quae est poena peccati originalis ; ita quod sicut omnes incurrunt mortem, id est, *necessitatem moriendi,* ita omnes incurrunt peccatum originale, id est, *necessitatem habendi peccatum originale.* Et iuxta hunc sensum militat ratio *Auctoris* (D. Thomae) ».

Principium secundum. — III. q. 27. a. 2. ad 2. : « Christus *nullo modo contraxit* originale peccatum, sed in ipsa sui conceptione fuit sanctus, secundum illud Luc. 1, 35 : *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Sed Beata Virgo

contraxit quidem originale peccatum, sed ab eo fuit *mundata,* antequam ex utero nasceretur. » — Caietanus *tract, de Conceptione B. Mariae Virginis,* cap. 3. : « Dicitur a peccato originalis *mundatus,* non solum qui a *contracta actuali macula* mundatus est ; sed qui a *macula* quidem in *debito* et in *initio* in *propria persona* fundato, et reliquis tot quasi partibus peccati originalis actualiter contractis mundatus est, et sic de aliis. Nec putet quisquam de mea haec phantasia me proferre ; sed videat *D. Thomam* I.-II. q. 81. a. 3. (ubi inter alia tractat et illud ad Rom. 5. *Per unum hominem peccatum transivit in omnes, et per peccatum mors) sustinentem* quod per mortem sufficit intelligere *debitum,* seu reatum in propria persona, *mortis;* quamvis numquam *actualiter* aliquis moreretur. Ex quo habetur, quod cum Apostolus *duo* simul dicat (sc. quod in omnes pervenit *peccatum* et *mors),* sicut secundum, sc. *mors,* sufficienter salvatur exponendo mortem vel in *actu* vel in *debito* in propria persona ; ita et primum, sc. *peccatum,* salvatur exponendo peccatum in *actu* vel in *debito* in propria persona. Dixi autem toties in *propria persona;* quoniam si *debitum* vel *initium* peccati originalis non ponitur *proprium* illius qui concipitur, ita non salvaretur quod illa persona esset mortua, vel redempta, vel reconciliata. » Inde

Principium tertium. — III. q. 27. a. 2. in corpore et ad 2. : « Et si quocumque modo ante animationem Beata Virgo sanctificata fuisset, *nunquam* incurrisset maculam originalis culpae ; et ita non indiguisset redemptione et salute quae est per Christum... Dicendum, quod si *nunquam anima* Beatae Virginis *fuisset contagio originalis* peccati *inquinata,* hoc *derogaret dignitati* Christi, secundum quam est universalis omnium Salvator. Et ideo sub Christo, qui salvari non indiguit, tamquam universalis Salvator, *maxima* fuit Beatae Virginis *puritas.* Nam Christus *nullo modo* contraxit originale peccatum, sed in *ipsa sui conceptione* fuit *sanctus...* » — Caietanus ibidem in suis *Commentariis :* « Personam ipsam indigere salvari a peccato est *liberari a peccato quod habet, vel haberet ;* oportet enim aut quod *habeat peccatum,* vel quod sit *in procinctu seu periculo habendi* pecatum quisquis eget salvari a peccato ; si enim peccatum non habet, nec est in periculo habendi peccatum, Salvatore a peccato non indiget, ut patet. *Fetum* autem egere sanctificatione est, quia nisi sanctificetur,

immundus erit. Si Beatae igitur Virginis *fetus* sanctificate fuisset ante infusionem animae rationalis, cum fetus non sit homo nisi per animam rationalem, non *ipsa Beata* Virgo quae non erat adhuc, sed *fetus ille* indiguisset sanctificari per Christum ; sed ipsa B. Virgo *fuerit concepta* sine peccato originali absque quacumque alia gratia ; ita quod ex hoc ipso quod *anima sua* infusa esset *materiae mundae,* originale peccatum non contraxisset, etiam si nulla superapposita fuisset gratia... Si autem tenetur B. Virginem, *non ex vi conceptionis,* sed ex *gratia singularissima* in ipso *instanti infusionis* animae *infusa* illi animae, *praeservatam* ab originali peccato, quod tunc incurrisset nisi illa gratia affuisset ; nihil contra fidem tenetur ; sed *specialis modus* redimendi ac salvandi a peccato originali Christo attribuitur respectu suae Matris. Sic enim ipsa Beata Virgo indiguit redimi ac salvari a peccato per Christum ; quoniam ipsa tunc incurrisset peccatum, nisi munus gratiae praevenientis, non tempore sed natura, affuisset. Et ita *puritas* eius fuit *maxima* sub Christo, qui *nullo modo* indiguit redimi, qui ex *vi suae conceptionis* fuit *sanctus.* Fuitque in Beata Virgine *quod animale est,* prius natura, non tempore, quam *quod spirituale est;* quoniam infusio gratiae in ipsius anima supponit productionem animae ; quamvis, ut dictum est, praeveniat peccati *maculam,* quae tunc incurrenda erat nisi gratia illam impedisset. » — Advertat igitur et diligenter animadvertat prudens lector et sapiens theologus quot et quanta clanduntur in responsione ad 2., quae clarius apparebunt, si attente inspiciatur *Argumentum ipsum* 2. ad quod respondetur. Advertat, inquam, theologus attenta mente ac diligenti animo, quid significent in ore D. Thomae illa responsionis ad 2. verba : « Si *nunquam anima Beatae Virginis fuisset contagio originalis peccati inquinata, hoc derogaret dignitati Christi, secundum quam est universalis omnium Salvator.* » Id est : sic anima Beatissimae Virginis infusa esset *materiae mundae;* si *caro* Beatissimae Virginis ante animationem fuisset sanctificata *illo modo* quo *ille fetus* erat sanctificationis capax ; puta quod mundaretur ab *infectione* seu *contagione* qua caro infecta erat infectura animam rationalem sibi infundendam ; si illa *infectio carnis,* virtutem originalis peccati causandi continens, *animam* ac perinde *personam* iam constitutam Beatae Virginis *non attingeret* et attingendo *ipsam indignam* Dei gratia *non efficeret;* tunc persona et anima Beatissimae Virginis, non modo non haberet originale peccatum, sed neque *esset in procinctu* seu *periculo* habendi peccatum. Si autem peccatum neque actualiter habuisset, neque esset in periculo habendi peccatum, Salvatore a peccato *nullo modo* indigeret ; et *hoc derogaret dignitati Christi secundum quam est universalis omnium Salvator* : ait D. Thomas. Ac statim immediate Angelicus Doctor prosequendo adiungit per modum legitimae consequentiae istud consequens ; quod est ipsamet eadem propositio maior Argumenti secundi ad cuius solutionem respondet : « *Et ideo sub Christo qui salvari non indiguit, tamquam universalis Salvator, maxima fuit Beatae Virginis puritas.* » Sive : « Conveniens fuit, sicut Anselmus dicit in lib. de Concept. Virgin, ut *illa Virgo ea puritate niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi : Unde et* in *Cant.* 4, 7, dicitur : *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in- te.* » — Ergo Beatissima Virgo, cuius puritas est maxima sub puritate Christi, et ea puritate nitere debuit qua maior sub Homine Deo intelligi nequit, fuit quidem in periculo habendi originale peccatum, sed actu non habuit ; fuit quidem in procinctu et debito personali incurrendi maculam, sed macula actu non fuit in ea ; quoniam ex morte Filii Dei praevisa fuit ab omni labe originalis culpae praeservata immunis ; et sic a primo sui ortus initio, splendore gratiae refulgens, sicut D. Thomas ipse concludit in hac eadem responsione ad 2. : « *...Ortum surgentis aurorae, id est, Beatae Virginis, quae in suo ortu a peccato originalis fuit immunis.* »

§ 3

Quamnam igitur Immaculatam Conceptionem negavit D. Thomas?

Ad rem, de qua agimus, recte ac sapienter respondet dicendum Natalis Alexander in sua *Historia Ecclesiastica* : « *Nostrum, communemque, Doctorem in Summa sua piam de Immaculata Deiparae Conceptione sententiam non impugnasse, sed aliam omnino subvertisse hypothesim, probabilius sentiam* cwm *loanne a S. Thoma, primi subsellii Thomista, in Prole-*

gomenis Commentariorum suorum in Summam eiusdem Angelici Doctoris. [1] » Non modo probabilius, verum quoque certissimum arbitramur D. Thomam aliam omnino subvertisse hypothesim, a sententia illa pia de Immaculata Beatissimae Virginis Conceptione, quam deinde Pius IX ex cathedra loquens declaravit solerrmiter catholicae fidei dogma a Deo revelatum. Dogma quippe fidei est Beatissimam Virginem Mariam de qua natus est lesus, omnium Redemptor et Salvator, in primo instanti suae animationis ab omni culpae originalis labe praeservatam fuisse immunem ; sed praeservatam ex meritis ipsius Christi Redemptoris, ex morte ipsius Filii Dei praevisa, per sanguinem crucis eius.

Iam vero : ad hoc quod Christus sit suae propriae Matris Redemptor, non sufficit hoc sc. *« quod ei praestitum fuerit quod antequam animaretur caro eius, sanctifiearetur* [2] ». Hoc siquidem sufficeret ad hoc quod ipsa Beatissima Virgo fuisset concepta sine peccato originali ; etenim ex eo ipso quod *anima* Beatissimae Virginis infusa fuisset *materiae mundae,* originale peccatum non contraxisset, etiam si nulla superapposita fuisset gratia. Ac per hoc ipsa Virgo in propria sua persona iam constituta non indiguisset *gratia redemptionis,* seu salvationis a peccato factae per Christum qui de illa natus est ut omnes nos faceret salvos. Opus est praeterea quod *anima* Beatissimae Virginis infusa sit *materiae immundae,* id est, *carni* quae derivatur ex Adamo per viam generationis, et quae, utpote *injecta,* nata est etiam inficere *ipsam animam* quae a Deo dum creatur, carni infunditur, et dum infunditur creatur ; ac perinde inficeret ipsam *personam,* quae ex anima et ex corpore per animam rationalem informato substantialiter componitur.

Per hoc autem quod anima Virginis infusa est *materiae immundae,* quae est instrumentalis causa originalis peccati in prole generata, *persona* Beatissimae Virginis *debet* carere originali iustitia quam habuisset si Adamus non peccasset ; *debet non habere* gratiam ; est in *procinctu* seu *periculo* habendi peccatum, peccatum videlicet originale, quod est originalis iustitiae carentia seu privatio ex primorum parentum culpa.

1 Natal. Alex. *Hist. Eccl.* Sacculum Secundum. Dissert, i. Scholion IV. Quod enim de Sancto...

2 III. q. 27. a. 2. arg. 2. in contra. I.

Datur ergo *unum instans* in quo *persona* Beatae Virginis incurrit originale peccatum vel in *actu* vel saltem in *necessitate* habendi illud. Sed si in ipsomet instanti infusionis animae, ex meritis Christi praevisis, infunditur a Deo gratia sanctificans, qua et filii Dei nominamur et sumus, tunc in ipsomet temporis momento, anima ipsa, non obstante contagio camis infectae quae nata est animam inquinare, ab omni macula peccati praeservatur immunis.

Ex quo apparet dari *multiplicem modum* quo liberatio a peccato originali fieri potest, nempe : i° *modum ordinarium,* quo Christus salvat delendo, per gratiam suam, inventam actu in anima peccati originalis maculam. — 2° *Modum extraordinarium,* quo, tollendo maculam seu contagionis labem a *carne* animam *susceptura,* praeservat a peccato et a peccati macula animam, ne actualiter incurrat in illam. — 30 *Modum* etiam *extraordinarium,* quo, infundendo gratiam in animam prius *prioritate naturae et ordinis* quam anima uniatur cami infectae, praeservat animam ab *originali peccato* et etiam a *debito personali* habendi illud. Et de hoc duplici modo nempe 2. et 3. loquitur D. Thomas III. q. 27. a. 2. ad 2., cum respondet « dicendum quod si *nunquam* anima Beatae Virginis fuisset contagio originalis peccati inquinata, hoc derogaret dignitati Christi, secundum quam est universalis omnium Salvator. » Etenim iuxta utrumque modum verificaretur illud quod in argumento 2. in contra dicitur, nempe quod B. Virgo *nullo modo* originale peccatum contraxerit, id est, nec in actu, nec in necessitate habendi ; eo quod in tali hypothesi praesuponitur, vel quod anima recipit gratiam sanctificantem antequam uniatur cami ; vel quod antequam animaretur, caro cius sanctificaretur. — 40 *Modum* quoque *extraordinarium,* sed quo *prius* prioritate solummodo naturae et ordinis anima rationalis intelligatur *carni infectae* uniri quam per gratiam *sanctificari ;* et tunc anima, proindeque persona ex carne et anima constituta, non quidem *praeservatur* a debito personali peccatum habendi ac maculam incurrendi, sed *liberatur;* at dum a *debito* liberatur, simul a *peccato* et a peccati *macula* praeservatur. Et de hoc modo etiam loquitur D. Thomas ibidem III. q. 27. a. 2. ad 2., cum prosequitur dicendo : « *Et ideo sub Christo, qui salvari non indiguit, tamquam universalis Salvator, maxima fuit Beatae Virginis puritas. Nam Christus nullo modo contraxit originale*

peccatum, sed in ipsa sui conceptione, luit sanctus... » Oportet igitur quod *anima* Beatissimae Virginis uniatur *carni injectae* quae habet instrumentaient virtutem causandi contagium originalis peccati in ipsa anima quae carni unitur ; oportet, inquam, quod ipsamet Beatissimae Virginis persona iam constituta *aliquo modo* peccatum originale contrahat ; et iam aliquo modo incipit contrahere, dum *debitum personale* habendi illud contrahit. A *macula* quidem peccati originalis et ab *ipso peccato* prout habet *rationem culpae,* non tantum-modo *liberatur,* sed etiam *immunis praeservatur ;* a *debito* autem tam peccatum quam peccati maculam in sua *propria persona* contrahendi et incurrendi, per gratiam Redemptoris *liberatur* quoque, sed *non praeservatur ;* aliter, non daretur *terminus a quo* ipsius redemptionis, qui vel est ipsum peccatum actualiter contractum vel saltem personale debitum incurrendi et contrahendi illud. Unde si in prima Beatissimae Virginis sanctificatione nullus daretur *terminus a quo* redemptionis, Beatissima Virgo, iam in sua propria persona constituta, non esset, proprie loquendo, ratione suae personae, redempta. Et « *hoc,* ait D. Thomas, *derogaret dignitati Christi, secundum quam est universalis omnium Salvator. Et ideo sub Christo, qui salvari non indiguit, tamquam universalis Salvator, maxima fuit Beatae Virginis puritas.*

Quamnam ergo Immaculatam Conceptione negavit D. Thomas, et quamnam non negavit? — Inde iam patet quaenam sit *Immaculata Conceptio,* quam D. Thomas negavit ac reiecit, et quaenam vero *Immaculata Conceptio,* quam non negavit, sed ad quam feliciter perveniendi suae doctrinae splendore viam certe planam ac securam paravit, aperuit, illuminavit. Negavit quidem ac reiecit :

a) Illam primo *Immaculatam Conceptionem* quemadmodum explicabatur in opinione antiquorum iudaeorum, videlicet : Matrem Messiae non fore concipiendam in peccato originali, sed ab omni infectione, ab omni culpae originalis macula praeservandam iri, quatenus Deus, cum *Adamum* plasmaret, fecit quasi *massam* ex cuius parte nobiliori accepit intemeratae Matris Messiae *materiam,* quae postea emanavit ad *Seth;* deinde ad *Enos;* deinde, succedaneo ordine, ad reliquos usque S. *loachim;* atque ex hac demum virtute Beatissima Mater Messiae formata fuit. Unde, iuxta hanc

priscorum Talmudistarum doctrinam, quam etiam plures Christiani scriptores usque ad Rosmini tradiderunt, aperte concludebatur *carnem* gloriosae Matris Messiae non fuisse peccato originali *infectam,* sed *ptirissimam* a Divina Providentiam *praeservatam.* Quapropter nec *anima* eius huiusmodi peccatum in conceptione contractura erat h

0) Illam quoque *Immaculatam Conceptionem,* iuxta quam Beatissima Virgo sanctificata fuisset in *parentibus* vel in *ipso actu* conceptionis eius ; conceptionis, *inquam active* sumptae, ex parte parentum qui ipsam genuerunt. Ad quod quidem perficiendum oportebat quod in parentibus ipsis *« curatum esset, non solum id quod personae est, sed etiam id quod est naturae in quantum huiusmodi : quod quidem Deus facere potuit, sed non decuit*[2] ».

c) Illam etiam *Immaculatam Conceptionem,* iuxta quam Beatissima Virgo sanctificata fuisset antequam conceptio camis eius finiretur ; id est in Conceptione Beatissimae Virginis *passive,* sed *inadeaquate,* sumpta ; id est, in fetu sive in carne Beatissimae Virginis ante animationem. Sed ad hoc oportebat quod *materia* corporis eius *mundaretur ;* id est, quod Deus auferret a *carne* animam Beatissimae Virginis *susceptura, infectionem illam,* quae etiam *macula* carnis denominatur ac per viam generationis ex Adamo derivatur ; id est, quod Deus sua virtute removeret a carne Virginis rationem *causae instrumentalis* quoad peccatum primi parentis propagandum ac transmittendum.

d) Illam, item, *Immaculatam Conceptionem,* iuxta quam in ipsomet instanti infusionis animae in carnem, caro *prius prioritale naturae* et *ordinis* esset mundata, quam anima in carnem infusa ; ita quod caro Virginis actu iam existens caro Virginis *nullo modo* fuerit *infecta.* Hoc enim modo in ipso instanti infusionis animae fuisset sicut caro Christi, de qua S. Thomas ***III.*** *Sent.* dist. 3. q. 4. a. 1. ad 5. dicit : « Caro Christi actu existens caro Christi, nullo modo fuit infecta ; eius enim *emundatio* a praecedenti infectione, saltem *intellectu,* praecedit *assumptionem ;* unde in Divinam Sapientiam nihil inquinatum incurrere *potuit.* » Hoc quidem est quod dicit Angelicus Doctor, et non aliud, cum in III. Part.

1 Vide infra cap. 10, pag. 143 et seqq.
2 D. Thomas, ***III.*** *Sent.* q. 1. a. 1. solut. 1. ad 1.

Summae, q. 27. a. 2. ad 2. respondet « dicendum quod si *nunquam* anima Beatae Virginis fuisset contagio originalis peccati inquinata, *hoc derogaret* dignitati Christi, secundum quam est universalis omnium Salvator. Et ideo sub Christo qui salvari non indiguit, tamquam universalis Salvator, *maxima* fuit Beatae Virginis *puritas*. Nam Christus *nullo modo* contraxit originale peccatum, sed in sui conceptione fuit sanctus.» — Vult enim I). Thomas, quod anima Virginis uniatur *carni infectae,* et quod eius *emundatio* a praecedenti infectione non praecedat *intellectu* infusionem animae; et quod caro Virginis *actu* existens *caro Virginis* in ipsomet instanti infusionis *possit* et *debeat* inquinare animam. Unde ***III***. *Seni.* dist. 3. q. 4. a. 1. de carne Christi ait : « In ipsa assumptione ab omni infectione peccati purgata est, ut secundum quod est actu caro Christi, in ea *nihil maculae* inveniatur. » In came autem Virginis, secundum quod erat actu caro Virgini' in ea *aliquid maculae* inveniebatur, quod *instrumenlaliter* causare *poterat* maculam in ipsa anima. Unde in Beatissimam Virginem aliquid inquinatum incurrere *poterat* et *debebat,* tametsi *actualiter* nihil de facto incurrit, ita quod sub Christo maxima fuit Beatissimae Virginis puritas.

e) Illam, praeterea, *Immaculatam Conceptionem,* iuxta quam in ipsomet instanti infusionis animae in carnem, *prius prioritate naturae et ordinis* intelligatur animam Beatissimae Virginis per gratiam sanctificari, quam carni infectae uniri. Atque de hoc modo loquitur D. Thomas ***III***. *Sent.* dist. 3. q. i. a. i. solut. 2. dum respondet dicendum « quod sanctificatio Beatae Virginis non potuit esse decenter ante *infusionem animae,* quia gratia capax non erat ; sed nec etiam in *ipso instanti infusionis,* ut sc. per gratiam *tunc* sibi infusam *conservaretur,* ne culpam originalem incurreret. Christus enim hoc singulariter in humano genere habet ut redemptione non egeat, quia caput nostrum est, sed omnibus convenit redimi per ipsum. » Loquitur enim D. Thomas de *ipso instanti infusionis,* ita quod prius prioritate naturae et ordinis, intelligatur animam sanctificari quam corpori uniri. Etenim *infusio* animae praecedit natura et ordine *animationem* corporis ; ideo, posita infusione gratiae in ipso instanti infusionis ut sc. per gratiam tunc sibi infusam *conservaretur* ne culpam originalem incurreret ante unionem ad carnem, sequeretur quod sanctificatio Beatissimae Virginis esset

ordine et naturae prioritate ante *animationem* et personae ipsius *constitutionem*. Et si quocumque modo ante animationem sanctiiicata fuisset, persona ipsa Beatissimae Virginis iam non indigeret redemptionem et salute quae est per Christum.

/) Illam, denique tandem, *Immaculatam Conceptionem,* quae directe descendit ex doctrina illorum theologorum dicentium quod etiam si homo non peccasset, Dei Filius incarnatus fuisset L Oritur autem huiusmodi theologica doctrina ex veterum Hebraeorum opinione de *Immaculatissima Matris Messiae conceptione,* iuxta quam Beatissima Virgo, Messiae futura Mater, altiorem sortitur gradum quam Adamus in ordine gratiae et gloriae ; et cum ad sublimiorem quam Adam ex electione suae divinae Maternitatis ascenderit, non potest dici in peccatum Adae cecidisse ; non penderet ullo modo ex Adamo, sed e contra Adamus penderet ex ea in ordine gratiae, etiam in statu originalis iustitiae ; et quoniam originalem iustitiam, non ab Adamo, sed a solo Christo immediate accepisset seu accipere debebat, ita cum originalem iustitiam Adamus peccando amisisset, non amisit Virgini Messiae Matri quae in ordine supernaturali gratiae altiori gradu supra Adamum immobiliter sub Deo erat collocata. Quia ergo Maria, Christi Mater, Adamo non fuit subiecta, Adami peccatum *nullo modo* contraxit, neque illud contrahere *debebat,* imo nec *poterat.* Fuit enim *Immaculata* anteccedenter ad praevisionem peccati Adami ; ac perinde non ex *morte Filii Dei praevisa,* sed ante praevisam Filii Dei passionem et mortem. Impossibile igitur est, ut in ordine gratiae a primis parentibus unquam quomodolibet dependerit, quasi spiritualiter Evae filia existens, et de numero eorum quos mala suggestione sua prima mulier in Adam corrupit 2.

En igitur multiplicem hypothesim quam D. Thomas in omnibus suis operibus constanter omnino subvertere laboravit | En multiplices *immaculatas conceptiones* quae in historia Theologiae 3 leguntur, et quas negare ac reiicere Angelicus Doctor pro aris et focis conatus est, ea certe suprema ratione

1 III. q. i. a. 3.
3 Vide infra cap. 10, pag. 142 et 152 et seqq.
3 Vide infra cap. îo, pag. 137-161.

quia in huiuscemodi hypothesi ncc Virgo, Christi Mater, indigeret per Christum redimi, neque Christus omnium Salvator esset suae propriae Matris Redemptor.

Quamnam vero Immaculatam Conceptionem D. Thomas docuit ? — Illam videlicet quae cum prima Beatissimae Virginis sanctificatione *post animationem,* post *constitutionem personae* componi potest ; illam, quae indiget redemptione et salute quae est per Christum ; illam, cuius sanctificatio non praecesit infusionem animae ; illam, quae pendet ex morte Filii Dei praevisa et sanctificata est per sanguinem crucis eius ; illam, cuius puritas sub puritate Christi est maxima, et qua sub Deo maior intelligi nequit. Etenim D. Thomas expresse in terminis tradit tria circa puritatem Beatissimae Virginis principia, ex quibus necessario venit inferendum dogma Immaculatae Conceptionis in eo vero sensu quo ex Cathedra a Romano Pontifice Pio IX habetur definitum. Ut supra manet anticipatum et deinde insubsequentibus omni ex parte erit ostendendum, Angelicus Doctor haec quae sequuntur, firma stabilivit principia, quorum : 1° « *Sub Christo qui salvari non indiguit, maxima fuit Beatae Virginis puritas* » ; 2° « *Credendum est Beatissimae Virgini collatum esse quidquid conferre potuit.* » 3° « *In Christo et in Virgine Maria nulla omnino macula fuit.* » — Quia ergo sub puritate Christi maximam puritatem Virgo Mater eius habere debuit ; ideo cum Christus nullo modo contraxisset originale peccatum, sed ex vi suae conceptionis fuisset sanctus, Virgo Mater eius contraxit quidem originale peccatum, non actu, sed in necessitate habendi illud ; ac fuit sancta in primo instanti temporis suae animationis, non ex vi conceptionis suae, sed ex meritis Christi Redemptoris. — Similiter, quia credere oportet Beatissimae Virgini collatum fuisse, quidquid conferri potuit, salva semper dignitate Christi Redemptoris ; iccirco Beatissima Virgo incurrere debuit necessitatem subiacendi originali culpae, actualiter tamen nunquam fuit subiecta, sed ex ipsius Christi Redemptoris gratia praeveniente ab omni labe originalis culpae fuit praeservata immunis. — Similiter, quia in Christo et in Virgine Maria nulla omnino fuit macula ; ita pariter nulla omnino fuit culpa ; ergo nec culpa originalis ; in Christo, de iure, quia homo Deus ; in Virgine Matre eius, ex privilegio, ex

morte Filii Dei praevisa, quia Dei Genitrix est. Xon esset Beatissima Virgo idonea Mater Dei, ait D. Thomas, si peccasset aliquando ; si in uno solo temporis momento caruisset gratia sanctificante ; et originale peccatum inventum fuisset in ea aliquando sub ratione culpae ac maculae. Unde ipse D. Thomas ait expresse quod in Beatissima Virgine omni ex parte adimpletur illud *Cantic.* 4. : *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.*

Cum autem iam in ipsomet ante dogmaticam definitionem vespere, Episcopi ex commissione atque hortatu Pii IX per epistolas ad eumdem Romanum Pontificem responderent quid sentirent quidve indicaverint de isto dogmate proxime definiendo, siquidem non omnes omnino; fere tamen omnes in favorem illius affirmativum dederunt responsum ; atque ex illis fuerunt profecto qui adhuc postulabant definiendam Immaculatam Conceptionem in carne ante animationem sanctificatam ; fuerunt etiam qui, de doctrina Patrum et de doctrina Angelici Doctoris praesertim solliciti, loquebantur desiderantes ut cum veritate definienda antea in perfecta concordia poneretur, ut sic magis magisque elucesceret veritatis revelatae splendor ; inter quos ita his verbis ad Pium IX illustris quidam ex Hispania Episcopus rescribebat : « *Profandissima cum reverentia venerabundus percepi Encyclicam Sanctitatis tuae... Quia vero et mea humilis opinio exigitur, non solum de doctrina ipsa, verum etiam de convenientia et utilitate declarationis eiusdem... Existimo itaque, Beatissime Pater, spectatis rationibus obiter indicatis, non esse sufficienter in Scriptura Sacra, constantique traditione expressum, Sanctissimam Virginem a massa universali, quae in Adamo peccavit, esse exemptam... Audeo tamen Sanctitatem tuam rogare, ut, si piailla fides velut dogma declarabitur, Sanctitas Tua temperamentum, quod maxime opportunum indicabit, adoptare dignetur, quo* Magnus defensor Ecclesiae, Sanctus Thomas Aquinas, *locum distinctum ac honorificum, quem Ecclesia ifisa illi occasionibus maxime solemnibus semper tribuit, porro quoque retineat*\ »

Retinuitne Sanctus Thomas Aquinas in definitione *Immaculatae Conceptionis* illum locum distinctum ac honorificum

1 *Responsum Episcopi Lucensis ad Pium IX.* 10 Septcmb 1849. Vide Roskowany, *B. V. Immac.,* t. V, pag. 177.

quem Ecclesia ipsa Angelico Doctori semper tribuit occasionibus solcmnibus in quibus de vera doctrina catholica ab Ecclesia retinenda ac definienda agebatur ? Hoc enim e$t quod praecisse atque ex professo in hoc *Libro* intendimus declarare, nempe quod principia D. Thomae atque tota eiusdem theologica doctrina circa *primam Beatissimae* Virginis *sanctificationem* constituit verum praeambulum ac magnificam introductionem ad ipsammet facilius intelligendam ac profundius introspiciendam Bullam dogmaticam *Ineffabile Deus.*

Quod profecto ut recte sapiamus ac convenienter exponamus, gratias ex intimo cordis affectu agentes Deo qui Beatissimam Virginem Matrem suam in sanctitate et iustitia creavit coram ipso, eiusdemque fundamenta collocavit in montibus sanctis, nostrum hoc qualecumque opus, per illibatas D. Thomae manus, Virgini-Matri sine labe conceptae dicare audemus ac offere et consecrare ; ut ipsa, utpote Sede? sapientiae et Mater divinae gratiae per quam ad nos usque a Patre luminum descendit omne datum optimum et omne donum perfectum (S. Bernardo enim testante, *nihil nos Deus habere voluit quod per manus Mariae non transiret*[1]), tribuat nobis larga sua benedictione veritatem semper quaerere, et quaerendo invenire, et inveniendo dilucide proponere. Det, inquam, nobis Mater Immaculata, et *quae D. Thomas docuit, intellectu conspicere ; et quae egit, imitatione complere* [2] /

Friburgi Helvetiorum ; in festo S. Thomae Aquinatis. Doctoris Angelici, Universitatum studiorum, Academiarum, Lyceorum et Scholarum Catholicarum Patroni, 7. Martii anno post Virginis Matris partum 1918.

Fr. N. del PRADO, O. P.

1 *Serm. de Nativ. Virg. seu de Aquaeductu.*
2 *Oratio in festo S. Thomae*

CAPUT PRIMUM

De statu innocentiae seu originalis Justitiae.

Primo : Primum hominem esse constitutum in statu originalis iustitiae, est dogma fidei. — Concilium Tridentinum, sess. 5a *Décret, de pecc. orig.* can. 1° : « Si quis non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et iustitiam in qua constitutus fuerat, amisisse ; incurrisseque per offensam praevaricationis huiusmodi iram et indignationem Dei atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, et cum morte captivitatem sub eius potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est, diaboli ; totumque Adam per illam praevaricationis offensam, secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse : anathema sit. » Ex quo patet, primum hominem : 1° habuisse sanctitatem et iustitiam antequam per primum peccatum mandata Dei in paradiso transgressus fuerit ; 2° fuisse proinde *constitutum* in sanctitatis et iustitiae statu, quem postea, transgrediendo Dei mandatum, amisit. Utrum vero huiusmodi elevatio ad ordinem supernaturalem gratiae fueritne in ipso primo instanti creationis, ad fidem non spectat ; alii negant, alii affirmant ; est tamen communis doctrina Theologorum, qui sententiam S. Augustini et D. Thomae tenentes docent Deum quidem et naturam condidisse et gratiam simul largitum fuisse.

Secundo : Qualis fuerit illa rectitudo hominis in statu iustitiae originalis. D. Thomas, I. q. 95. a. 1. : « Sed quod fuerit etiam primus homo conditus in gratia, videtur requirere ipsa rectitudo primi status, in qua Deus hominem fecit, secundum illud Eccles. VII, 30 : *Deus fecit hominem rectum.*

Erat enim haec rectitudo secundum hoc, quod ratio subdebatur Deo ; rationi vero, inferiores vires ; et animae, corpus. Prima autem subiectio erat causa et secundae et tertiae. Quamdiu enim ratio manebat Deo subiecta, inferiora ei subdebantur. Manifestum est autem, quod *illa subiectio* corporis ad animam, et inferionim virium ad rationem, non erat *naturalis;* alioquin post peccatum mansisset, cum etiam in daemonibus data naturalia post peccatum permanserint, ut Dionysius dicit *De Div. Nom.,* cap. 4. Unde manifestum est, quod et illa prima subiectio, qua ratio Deo subdebatur, non erat solum secundum naturam, sed secundum supernaturale donum gratiae ; non enim potest esse quod effectus sit potior quam causa. Unde Augustinus, *De Civit. Dei,* lib. 13. cap. 13. dicit quod, *postquam praecepti facta transgressio est, confestim, gratia deserente divina, de corporum suorum nuditate confusi sunt. Senserunt enim motum inobedientis carnis suae, tamquam reciprocam poenam inobedientiae suae.* Ex quo datur intelligi, si, deserente gratia, soluta est obedientia camis ad animam, quod per gratiam in anima existentem inferiora ei subdebantur. »

Ex quibus omnibus patet, quot et quanta in iustitia originali veniant intelligenda. Non enim est doctrina D. Thomae, ut Caietanus observat commentando Articulum, quod *iustitia originalis* sit idem quod *gratia;* sed quod gratia gratum faciens, de qua est sermo, sit vehit *radix* iustitiae originalis ex qua oriebatur illa triplex perfecta subiectio : rationis ad Deum, inferionim virium ad rationem, et ipsius corporis ad animam. Iustitia namque originalis dicit plus quam gratia iustificans, quae tamen in iustitia originali comprehendebatur veluti eiusdem radix et potissima ratio ; ita quod iustitia originalis fuerit quasi *gratia quaedam gratis data,* fundata super ipsam gratiam gratum facientem.

Tertio : Effectus praedictae triplicis sublectionis in homine. — Radix itaque omnium supematuralium effectuum qui ex iustitia originali enascentes hominem perficiebant, erat quidem ipsa gratia sanctificans per quam fonnaliter constituebatur *illa prima subiectio* qua ratio Deo subdebatur ;

atque huius primae subicctionis effectus erant : a) facere hominem filium Dei adoptivum ; *b)* conferre illi ius ad haereditatem gloriae ; c) causare secundam et tertiam sublectionem, nempe inferiorum virium ad rationem, et ipsiusmet corporis ad animam ; nam, ut D. Thomas docet, prima subiectio erat causa secundae et tertiae. *Secundae* vero *sublectionis* effectus erat perfectum dominium quo omnes inferiores vires subdebantur imperio rationis ita, ut motus appetitus sensitivi tam in parte irascibili quam in concupiscibili numquam in suo initio praeveniret indicium rectae rationis, neque in suo termino aut in modo tendendi ad terminum, quod est passionum obiectum, transgrediebatur rectae rationis limites. Quapropter D. Thomas, II.-II. q. 163. a. i. concludit, quod primum peccatum hominis fuit in hoc quod appetiit quoddam spirituale bonum supra suam mensuram : quod pertinet ad superbiam ; atque deinde ex peccato superbiae peccatum gulae derivatum est. *Tertiae* denique *subicctionis* effectus procedebat etiam radicaliter ex dono gratiae per quod anima humana habebat virtutem conservandi corpus supra naturam corporalis materiae atque illud praeservandi a corruptione. Homo ergo in statu innocentiae perficiebatur per gratiae iustificantis dona et virtutes, quibus ratio et voluntas perfecte ordinabantur in Deum, et inferiores vires imperio voluntatis et rationis, et corpus ipsum perfecte quoque subdebatur animae ; ita quod non erant in eo passiones animae, nisi ex rationis iudicio consequentes, et rorpus humanum erat impassibile quantum ad passiones quae removent dispositionem naturalem ; et similiter anima erat impassibilis quantum ad passiones quae impediunt rationem ; et neque dabatur difficultas ad bonum, neque ulla pronitas ad malum ; et corpus hominis poterat praeservari ne patereiur laesionem ac dolorem ; atque hoc modo totus homo rat *impassibilis* et secundun; animam et secundum corpus, ucut et *immortalis.* Poterat enim passionem prohibere, icut et mortem, si absque peccato perstitisset : ut ex professo declarat D. Thomas, I. q.q. 94-95-97. Et in *Comp. Theol.*

Quarto : Iustitia originalis erat quoddam donu divinitus datum Adamo in quantum primo parenti, ideoqut transmittendum filiis simul cum humana natura. — D. Thomas I. q. loo. a. i. : « Iustitia autem originalis, in qua primus homo conditus fuit, fuit *accidens naturae speciei,* non quasi ex principiis speciei causatum, sed tantum sicut *quoddan donum divinitus datum toti naturae.* Et hoc apparet, quia opposita sunt unius generis. Peccatum autem originale, quod opponitur illi iustitiae, dicitur esse *peccatum naturae;* undr traducitur a parente in posteros ; et propter hoc etiam filii parentibus assimilati fuissent quantum ad originalem iustitiam... Cum radix originalis iustitiae, in cuius rectitudine factus est homo, consistat in subiectione supernatural) rationis ad Deum, quae est per gratiam gratum facientem, ut supra dictum est q. 95. a. 1., necesse est dicere, quod si pueri nati fuissent in originali iustitia, etiam nati fuissent cum gratia ; sicut et de primo homine supra diximus quod fuit cum gratia conditus. Non tamen fuisset propter hoc gratia *naturalis;* quia non fuisset transfusa per virtutem seminis, sed fuisset collata homini statim cum habuisset animam rationalem ; sicut etiam statim cum corpus est dispositum, infunditur a Deo anima rationalis, quae tamen non est ex traduce. » *De Malo,* q. 4. a. 8. : « Fuit autem in principio conditionis humanae quoddam donum gratuitum primo homini datum *non ratione personae suae* tantum, sed *ratione totius naturae humanae* ab eo derivandae ; quod donum fuit originalis iustitia. Huius etiam doni virtus non solum residebat in superiori parte animae quae est intellectiva, sed diffundebatur ad inferiores animae partes quae continebantur virtute doni piacdicti *totaliter* sub ratione; et ulterius usque ad corpus, in quo nihil poterat accidere, dono praedicto manente, quod contrariaretur unioni ipsius ad animam. Et ideo rationabiliter hoc donum fuisset ad posteros propagatum, propter duo : primo quidem, quia consequebatur naturam ex *Dei munere,* licet non ex ordine naturae ; secundo, quia pertingebat usque ad corpus quod per generationem traducitur. »

Quinto : Indicium seu critica doctrinae antiquorum doctorum circa iustitiam originalem. — In hac materia oportet accurate distinguere inter momentum temporis in quo homo fuit elevatus ad ordinem supernaturalem gratiae, et inter elementa constitutiva iustitiae originalis qua primus homo fuit praeditus in statu innocentiae. Circa *primum* quidem, ut iam manet insinuatum, duplex fuit semper opinio : altera dicentium quod tam angelus quam homo, non in gratia, sed in naturalibus tantum creati sunt ; altera vero dicentium angelos et hominem simul in natura conditos ac ingratia fuisse creatos. D. Thomas, *II. Sent.* dist. 4. q. 1. a. 3. ait : « Harum autem opinionum quae *verior* sit, non potest efficaci ratione deprehendi, eo quod creaturarum principium ex simplici voluntate Creatoris dependet. » De prima opinione scribit, quod erat *communior.* De secunda vero : « Illa autem opinio quae ponit angelos in gratia creatos, magis consonat illi opinioni quae ponit omnia in exordio creationis per species distincta ; quae opinio mihi magis placet absque alterius partis praeiudicio ; quia huic positioni, praecipue quantum ad gratiam angelorum, plures Sanctorum auctoritates consonare videntur. » Atque neutri opinioni ne praejudicaret, consulto Tridcntinum Concilium abstinuit a vocabulo *creationis* et adhibuit vocabulum *constitutionis,* dum hominis elevationem ad gratiam tamquam articulum fidei definivit.

Circa *secundum* vero, duplex etiam distinguebatur opinio apud doctores : altera ponentium quod *gratia gratum faciens* non includebatur in *ratione iustitiae originalis* quae erat secundum debitum ordinem corporis sub anima, et inferiorum virium sub superiori, et superioris sub Deo ; et haec quidem iustitia ipsam naturam humanam ordinabat in sui primordio ex divino munere, voluti *quaedam gratia gratis data,* qua homo primus in naturalibus tantum creatus poterat se praeparare ad gratiam gratum facientem recipiendam. Talis ergo erat iustitia originalis ex primo parente in filios transfundenda per viam generationis. Huiusmodi opinio erat theologorum dicentium quod primus homo non fuit creatus ingratia, sed in naturalibus tantum ; idcirco in statu innocentiae pueri nascerentur cum tali iustitia apti et quasi

praeparati ad gratiam, sed tamen absque gratia. Alten vero sententia est illorum theologorum dicentium quod how. in gratia creatus est, et quod gratia sanctificans includebatur in dono gratuitae iustitiae ipsi humanae naturae collatori ideo cum transfusione naturae simul etiam infusa fuisset gratia. Quam quidem sententiam semper tenuit D. Thomas qui de opposita ita iudicat, *De Malo,* q. 5. a. 1. ad 13. : « Credo esse falsum ; quia, cum originalis iustitia primordialiter consistat in subiectionc humanae mentis ad Deum, quae firma esse non potest nisi per gratiam, iustitia originalis sine gratia esse non potest. Et ideo habenti originalem iustitiam debebatur visio x. »

l Vide etiam *II. Sent.* dist. 20. q. 2. a. 3. ; dist. 29. q. 1. a. s.etj — Inter theologos autem, qui dicunt primum hominem non fuisse creatum in gratia gratum faciente, ac perinde quod in *iustitia* ongniolt non claudebatur *gratia sanctificans,* reperiuntur :

a) Alexander Hales, *Summa,* part. 2.q.9i .memb. 1. a. 2. dicens e Nota, quod primus homo *duplicem* habuit *gratiam* in primo statu hoc est. antequam habuerit *gratiam gratum facientem,* scilicet *gratis datam,* ct *gratiam superinfusam* quae erat continua influentia virtutis a Causa Prima. » *Gratia gratis data a* comprehendit quidquid est additum naturalibus quae sunt de constitutione generali rerum, et quod est *additum* libero arbitrio, disponens ct faciens ad cius rectitudinem ·

b) B. Albertus Magnus, *II. Sent,* dist 24. a. 1. : « Dicendum, quod homo nihil potest esse vel facere sine gratia ; sed haec non est gratia gratum faciens, sed potius conservatio et influentia divinaé bonitatis ad esse et operari ; sicut ipse dicit : *Sine me nihil potestis facere.* Et hac gratia potuit primus homo stare in eo quod acceperat sed non fuit creatus in gratuitis ; quod tamen ego non credo, licet sustineam propter Magistrum. » — Petrus a Tarantasia. *In III* dist. 24. q. i. a. 2. — Ægidius Romanus, ibid. q. 1. a. 4. — Henricus Gandav. *Quodlib.* 5. q 21. — Dyonys. Carth. hic. q :

c) S. Bonaventura, *II. Sent.* dist. 24. p 1. a. 1. q. 2. : et dist. 29 a. 2. q. 2. ubi tradit : u Ratio, quare Dominus voluit post naturam dare gratiam, cum posset dare simul, sumitur ex triplici ordine: videlicet, ab ordine *sapientiae, bonitatis* et *iustitiae...* Et ideo gratia non fuit homini concreata, sed dilata fuit quousque homo per actum et usum rationis quodammodo se disponeret ad illam suscipiendam, ut sic vocificaretur illud Augustini (Serm. 169. cap. 11. n. 13) tn primo homine : Qui *creavit te sine te, non uistificat te sine te.* »

d) S. Bonaventura, *II. Sent.* dist. 29. a. 2. q 1. *Scholion* (ed. Quaracchi) legitur : « Cum Hugonc ct Magistro tenent Alexander

Hales, B. Albertus (saltem in Summa), Petrus a Tarantasia, Richard, a Med., et suo modo Ægidius Romanus, quod Adam non in codem primo instanti, quo creatus fuit, etiam *gratia sanctificante* ornatus fuerit, licet non caruerit donis supematuralibus, sc. *iustitia originali,* quatenus exprimit *donum integritatis,* purae naturae divinitus superadditum. Secundum hanc positionem, *iustitia originalis* et *gratia sanctificans* ita distinguuntur, ut prima actu separata esset ab altera. Pro eadem sententia citatur etiam Scotus (hic. q. unica, n. 7 : Report, hic, q 2.) ; sed a Montefortino torn. 2. q. 95. a. 1. ad alteram partem trahitur... Opposita autem sententia recepta est a Sancto Thoma, in *Comment. (II. Sent.* dist. 29.) quidem ut *probabilior,* in *Summa* (I. q. 95. a. 1.= II.-II. q. 5. a. 1.) magis *absolute.* Haec autem assertio aliena erat ab opinione eorum qui primam sententiam sequebantur. Quamvis autem Concilium Trident, a definienda hac controversia consulto abstinuerit et ut dicit Estius, *II. Sent.* dist. 25. § r. nihil sit temeritatis vel periculi in prima opinione : tamen sententia S. Thomae nostra aetate m scholis catholicis omnino praevaluit. Haec controversia intime connectitur tum cum doctrina de *relatione* quae est inter *gratiam sanctificantem* et *donum integritatis,* tum cum determinatione accuratiore peccati originalis. « — Confer etiam Del Prado, *De gratia et libero arbitrio.* I. Epilog. § HI. p. 701.

I c 1

CAPUT SECUNDUM

De primo peccato primi parentis.

I

De peccato originali quantum ad eius traductionem.

Primo : In Adamo fuit duplex peccatum, actuale et originale quod traduxit in posteros. — D. Thomas, III. q. 8. a. 5· ad I. : « *Peccatum originale* in Adam, quod est *peccatum naturae,* derivatum est a *peccato actuali* ipsius, quod est *peccatum personale,* quia in eo persona corrumpit naturam; qua corruptione mediante, peccatum primi hominis derivatur ad posteros, secundum quod natura corrupta corrumpit personam. Sed gratia non derivatur a Christo in nos mediante natura humana, sed per solam personalem actionem ipsius Christi. Unde non oportet in Christo distinguere duplicem gratiam, quarum una respondeat naturae, alia personae : sicut in Adam distinguitur peccatum naturae et personae[1].» Quam quidem doctrinam evolvens ac declarans Caietanus *In I.-II.* q. 83. a. 1. ad 1. : « Adverte (inquit) quod peccatum originale in Adam fuit et *actuale* et *originale* formaliter ; nam Adam peccavit actuali aversione voluntatis a Deo ; et privata est natura sua in ipso dono iustitiae originalis debitae sibi cum inordinatione virium. Unde minus correcte loqui videtur qui peccatum originale ab Adam negat, eo quod in eo non fuerit per originem. *Modus* enim quo fit peccatum originale, non est de *essentia* eius, sicut nec ipsum *fieri ;* quia non consistit in *fieri* sicut peccatum actual·*, sed in *esse* sicut habitus. Dicendum ergo est, quod in Adam fuit peiori modo inductum et prius, quia per actum proprium et in actu proprio. » Haec recte et acute Caietanus.

Secundo : Secundum fidem catholicam est tenendum quod primum peccatum primi hominis originaliter transit in posteros. — Quod quidem ostendit D. Thomas, *II. Sent.* dist. 31. q. i. a. i. ; et I.-II. q. 81. a. i. ; et *De Malo,* q. 4. a. 1. ; et alibi, his rationibus :

1. Contrarium autem est haeresis Pelagianorum, ut patet per Augustinum in plurimis suis libris; ut *Retractat,* lib. 1. cap. 9 ; et lib. *De peccatorum merito et remissione,* cap. 9. ; lib. i. *Contra Julianum,* cap. 3. et lib. 3. cap. 1. ; lib. *De dono perseverantiae,* cap. 11. et 12.

2. Quia hoc ex magna parte excludit necessitatem redemptionis factae per Christum, quae maxime videtur necessaria fuisse ad abolendum infectionem peccati, quae a primo parente in totam eius posteritatem derivata est, dicente Apostolo, *Rom.* 5, 18. quod : *Sicut per unius delictum processum est in omnes homines in condemnationem, sic et per unius iustitiam in omnes homines in itestificationem vitae.*

3. Excluditur etiam necessitas pueros baptizandi ; quod tamen communis Ecclesiae consuetudo habet ab Apostolis derivata, ut Dionysius dicit in lib. *De cedes, hierarch.,* cap. 4. Et ideo simpliciter dicendum est, quod peccatum traducitur per originem a primo parente in posteros.

4. Ita quoque Concilium Milevitanum 11., ab Innocentio I. approbatum, can. 2. : « Item placuit, ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remissionem quidem peccatorum cos baptizari, sed nihil ex Adam trahere peccati, quod regenerationis lavacro expietur, unde sit consequens, ut in cis forma baptismatis in *remissionem peccatorum,* non vera, sed falsa intelligatur : anathema sit. »

5. Ita pariter Concilium Arausicanum II. a. 529 contra Semipclagianos, confirmatum a Bonifacio II., can. 2. : « Si

1 E* *II·* *Sent* dist. 31. q. 1. a. 1. . ıı Ista infectio ex inordinata voluntate primi parentis, in ipso quidem primo parente fuit dupliciter . sc. per *modum peccati actualis,* in quantum cani per propriam voluntatem contraxit. ; et etiam ulterius, per *modum peccati naturalis,* in quantum natura in eo infecta est ; in sequentibus autem non est nisi *peccatum naturale.* »

quis soli Adac praevaricationem suam, non et cius propagini asserit nocuisse, aut certe mortem tantum corporis qua. poena peccati est, non autem et peccatum quod mors est animae, per unum hominem in omne genus humanum transisse testatur, iniustitiam Deo dabit, contradicens Apostolo dicenti : *Per unum hominem peccatum intravit in mundum d per peccatum mors, et ita in omnes homines mors perlrantâ, in quo omnes peccaverunt.* »

6. Quae quidem omnia supra posita confirmans, atque evolvens Concilium Tridentinum sess. 5. in *Decreto de peccati originali* per quinque canones declarat, in quorum can. 2. ita : « Si quis Adae praevaricationem sibi soli, et non eius propagini asserit nocuisse ; et acceptam a Deo sanctitatem et iustitiam, quam perdidit, sibi soli, et non nobis etiam eam perdidisse ; aut inquinatum illum per inobedientiae peccatum, mortem et poenas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum quod mors est animae : anathema sit ; cum contradicat Apostolo dicenti Rom. 5. : *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors; et ita in omnes homines mors pertransùl, in quo omnes peccaverunt.* »

Tertio : Via qua D. Thomas procedit ad declarandum qualiter peccatum primi parentis originaliter possit transire in posteros. — D. Thomas, I.-II. q. 81. a. 1. reiiciens tamquam insufficientes alias vias, per hanc quae sequitur existimat esse procedendum ad manifestationem quaestionis, « dicendo quod *omnes homines* qui nascuntur ex Adam possunt considerari ut *unus homo,* in quantum conveniunt in natura, quam a primo parente accipiunt ; secundum quod in civilibus *omnes homines* qui sunt unius communitatis, reputantur quasi *unum corpus,* et *tota communitas* quasi *unus homo;* sicut etiam Porphyrius dicit quod participatione speciei plures homines sunt unus homo. Sic igitur multi homines ex Adam derivati, sunt tamquam multa membra unius corporis. Actus autem unius membri corporalis, puta *manus,* non est voluntarius voluntate ipsius manus, sed voluntate animae, quae primo movet membrum. Unde homicidium

quod manus committit, non imputatur manui ad peccatum, si consideraretur manus secundum se, ut divisa a corpore ; sed imputatur ei in quantum est *aliquid* hominis, a primo principio motivo hominis. Sic igitur *inordinatio* quae est in isto homine ex Adam generato, non est voluntaria voluntate ipsius, sed voluntate primi parentis, qui movet motione generationis omnes qui ex eius origine derivantur, sicut voluntas animae movet omnia membra ad actum. Unde peccatum quod sic a primo parente in posteros derivatur, dicitur *originale,* sicut peccatum quod ab anima derivatur ad membra corporis, dicitur *actuale;* et sicut peccatum actuale quod per membrum aliquod commititur, non est peccatum illius membri nisi in quantum illud membrum est *aliquid* ipsius hominis, propter quod vocatur *peccatum humanum:* ita peccatum originale non est peccatum huius personae nisi in quantum *haec persona* recipit naturam a primo parente ; unde et vocatur *peccatum naturae,* secundum illud Ephes, cap. 2, 3. : *Eramus natura filii irae.* »

Ac *De Malo,* q. 4. a. 1. : « Ad cuius evidentiam considerandum est, quod aliquis homo singularis dupliciter potest considerari : Uno modo, secundum quod est quaedam *persona singularis;* alio modo, secundum quod est *pars alicuius collegii;* et utroque modo ad eum potest aliquid pertinere ; pertinet enim ad eum in quantum est singularis persona, *ille actus* quem proprio arbitrio et per seipsum facit ; sed in quantum est pars collegii, potest ad eum pertinere *actus alienus* quem per seipsum non facit nec proprio arbitrio, sed qui fit a *toto collegio,* vel *a pluribus* de collegio, vel *a principe* collegii ; sicut illud quod princeps civitatis facit, dicitur civitas facere, ut Philosophus dicit. Huiusmodi enim collegium hominum reputatur quasi *unus homo,* ita quod diversi homines in diversis officiis constituti sunt quasi diversa membra unius corporis naturalis, ut Apostolus inducit de membris Ecclesiae, I. Corinth, cap. 12. Sic ergo *tota multitudo* hominum a primo parente humanam naturam accipientium, quasi *unum collegium,* vel potius sicut *unum corpus* unius hominis, consideranda est ; in qua quidem multitudine unusquisque homo, etiam ipse Adam, potest considerari

quasi *singularis persona* vel quasi *aliquod membrum* huius multitudinis quae per naturalem originem derivatur ab *uno.* Est autem considerandum, quod primo homini in sua institutione datum fuerat divinitus quoddam supernaturale donum, sc. *originalis institia,* per quam ratio subdebatur Deo, et inferiores vires rationi, et corpus animae. Hoc autem donum non fuerat datum primo homini ut *singulari personae* tantum, sed ut *cuidam principio lotius humanae naturae,* ut sc. ab eo per originem derivaretur in posteros. Hoc autem donum acceptum primus homo, per liberum arbitrium peccans, amisit *eo tenore* quo sibi datum fuerat, sc. *pro se* et pro *tota sua posteritate.* Defectus ergo huius doni totam eius posteritatem consequitur ; et sic iste defectus *eo modo* traducitur in posteros *quo modo* traducitur humana natura ; quae quidem traducitur non quidem secundum se totam, sed secundum aliquam sui partem, sc. secundum *carnem,* cui Deus animam infundit ; et sic sicut anima divinitus infusa pertinet ad naturam humanam ab Adam derivatam propter *carnem* cui coniungitur, ita et defectus praedictus pertinet ad animam propter carnem quae ab Adam propagatur non solum secundum corpulentam substantiam, sed etiam secundum seminalem rationem, id est, non solum materialiter, sed sicut ab *activo principio ;* sic enim filius accipit a patre naturam humanam. »

Quarto Per hanc viam procedendo D. Thomas pervenit etiam ad concludendum quod, si Adam non peccasset, et aliquis filius Adami peccasset, per peccatum ipsius poterat corrumpi in eo humana natura integra et in his qui ab eo descenderent. — Ita docet *II. Sent.* dist. 33. q. 1. a. 1. ad 3. : « In Adam fuit natura integra dotata munere quod Deus humanae naturae gratis contulerat ; unde per peccatum ipsius *potuit* natura corrumpi in ipso et, per consequens, in omnibus qui naturam humanam ab eo acciperent ; quia genitum accipit naturam a generante qualem generans habet. In aliis autem hominibus invenitur natura iam corrupta ; unde illius corruptionis ulterius istud peccatum causa esse *non potest ;* sicut quod semel mortuum est, iterum non occi-

ditur. In quocumque autem homine fuisset inventa humana *natura integra,* per peccatum ipsius *poterat corrumpi in eo et his qui ab eo descenderent.* Unde patet, quod servatur eadem relatio omnium hominum ad naturam communem. » Et *De Malo,* q. 5. a. 4. ad 8. : « Si ergo aliquis ex posteris Adam peccasset, eo non peccante, moreretur quidem propter *suum* ■*peccatum actuale,* sicut Adam mortuus fuit ; sed posteri eius morerentur propter *peccatum originale* h »

l De Rubeis, O. P., *Tract, de peccato originali,* cap. 68. circa hoc ita notat : « Hypotheticas alias quaestiones excitare duas consuevere in Scholis theologi. Prima est : Si, *Adam in originali iustitia permanente, peccaret aliquis filius eius, num istius filii ac posteri nascerentur cum eadem iustitia, an potius peccato injecti ?* Secunda est : *Si Adamus ante suum peccatum genuisset filium, postea vero peccaret, et deinde filius alios procreasse! Adami nepotes, num ille piius, aut qui gignerentur ab eo, originale peccatum contraherent ?* In his nolim ego diutius immorari. Varias apud theologos vide et expende coniecturas. Adnotare satius fuerit cum Carmelitis Excalceatis Salmanticensibus. torn. 8. *Tract.* 13. disp. 14. dub. 6. § II. η. 151, quaestionem utramque agitari posse dupliciter : ac primo *ex vi decreti, quod scimus Deum habuisse de jacto,* cum decreverit tum unum Adanium constituere caput naturae humanae cum iustitia originali, vel sine illa, traducendae, tum peccatum eiusdem permittere. Deinde *ex vi alterius decreti, quod probabiliter credere possumus habiturum fuisse Deum,* si decrevisset non permittere lapsum Adami, permittere autem lapsum alicuius filii. Dicendum vero, in utroque casu res plurcs divina suavi providentia aliter disponendas fuisse ac modo dispositae sunt : atque iuxta praesens decretum, in illo v. g. qui amisisset iustitiam originalem, remanere vigorem potuisse ad camdcm iustitiam traducendam, non virtute propria, sed virtute alterius, nempe Adami qui perseverassct innocens ; iuxta voro decretum alterum, potuisse filium peccatorem constitui *caput* naturae traducendae in filiis ac nepotibus sine eadem iustitia. »

Vide etiam Billot, *De peccato originali* (in I.-II. q. 81.-83.) §2. : *Actus peccati naturae, a capite iuridico. an a capite naturae simpliciter et sine addito ?*

« ...Sane vero S. Thomas, qui omnem explicationem ipsius originalis peccati c formali ratione peccati naturae derivat, *de capite iuridico* nihil scit, nihil novit, ct non solum de eo altum silentium servat, verum etiam illud evidentissime excludit in omnibus ct singulis suae doctrinae punctis... Quare posteri Adae dicuntur *peccasse* in *Adam,* non quasi in Adam actum aliquem exercentes, non quasi *per fictionem iuris censiti* fecisse quod Adam fecit, non quasi respon-

Quinto : D. Thomas tamen praesupponit tamquam principium, quod iustitia originalis pertinet ad naturam secundum seipsam, ex dono gratiae quidem, sed eo tenore ex libera Dei voluntate toti humanae naturae collata, ut simul cum ipsa natura communicetur, non tamquam quid personale, sed tamquam quid naturam non corruptam semper concomitans. — Unde, cum D. Thomas, I.-II. q. 8i. a. 2. et alibi pluries, tradit esse impossibile quod aliqua peccata proximorum parentum vel etiam primi parentis, praeter primum, per originem traducantur, ostendit ex eo, quod alia peccata actualia, vel primi parentis vel aliorum, non corrumpunt naturam quantum ad id quod naturae est, sed solum quantum ad id quod personae est ; id est, secundum pronitatem ad actum. Natura namque corrupta manet iam per *primum*

sabiles effecti de scelere admisso antequam nati fuissent aut aliquid boni egissent aut mali ; sed pure et simpliciter, nec plus nec minus, quatenus in Adam incurrerunt *debitum nascendi* cum defectu per se naturali, habente tamen rationem deordinationis culpae per respectum ad originalem elevationis statum, et ad *voluntarium actum illius,* qui, ions et caput et principium naturae existons, ipsam naturam rectitudine privavit, qua gratuito eam dotaverat Deus. » Verumtamen quantum ad conservationem aut amissionem originalis iustitiae, D. Thomas videtur indicare, quod Adamus fuit a Deo constitutus non solum *caput naturale,* sed etiam *morale* omnium hominum. *Caput* quidem *naturale :* quia ex institutione positiva Dei « iustitia originalis fuit *accidens* naturae speciei, non quasi ex principiis speciei causatum, sed tantum sicut quoddam donum divinitus datum toti naturae » (I. q. loo a. i.). Et iterum : « Ad naturam potest aliquid pertinere secundum seipsam. scilicet quod causatur ex *principiis eius,* ct aliquid ex *dono gratiae.* Et hoc modo iustitia originalis erat quoddam *donum gratiae* toti naturae humanae divinitus collatum » (I.-II. q. Si. a. 2.). Iterum ; « Peccatum singularis personae non nocet nisi sibi ipsi ; sed peccatum Adae, qui constitutus a Deo *principium totius naturae,* ad alios per carnis propagationem derivatur ; et similiter meritum Christi qui est a Deo constitutus caput omnium hominum *quantum ad gratiam,* se extendit ad omnia eius membra » (IIT q. 19. a. 4. ad 1.). *Caput etiam morale ;* unde D. Thomas, *De Malo,* q. 4. a. 1. : « Aliquis homo singularis dupliciter potest considerari. Uno modo, secundum quod est quaedam *persona singularis ;* alio modo, secundum quod est *pars alicuius collegii;* ct utroque modo ad cum potest aliquis actus pertinere. Pertinet enim ad cum in quantum est singularis persona.

peccatum, quod ad alios per carnis propagationem derivatur, sicut peccatum Adae qui constitutus est a Deo *principium totius naturae;* et in hypothesi qua Adam non peccasset, per peccatum illius qui post Adam primus pcccasset, et qui esset quoque *principium* non quidem totius naturae, sed *naturae* in his qui ab eo originem traherent. Unde D. Thomas, *II. Sent.* dist. 33. q. i. a. 1. ad 5. : « Principium alicuius naturae potest accipi dupliciter : Vel secundum quod natura consideratur absolute, secundum *rationem speciei;* et hoc modo Adam non fuit principium naturae humanae nisi per accidens, nec sic etiam totam naturam humanam infecit ; quia si aliquis de limo terrae iterum formaretur, *originalem maculam* non haberet. Aut prout habet esse *natura communis* in individuis ; et hoc modo quodlibet generans est quodammodo *naturae*

ille actus quem proprio arbitrio ct per seipsum facit ; sed in quantum est pars collegii, potest ad eum pertinere actus alienus quem per seipsum non facit, sed qui fit a toto collegio, vel a pluribus de collegio, vel a principe collegii : sicut illud quod princeps civitatis facit, dicitur civitas facere, ut Philosophus dicit. Huiusmodi enim collegium hominum reputatur quasi unus homo... Sic ergo tota multitudo hominum a primo parente humanam naturam accipientium, quasi loirim *collegium* vel potius sicut *unum corpus* unius hominis consideranda est... » — Atque in *Compendio Theologiae* (opusc. 1.) : Nec hoc est contra ordinem iustitiae, quasi Deo puniente in filiis quod primus parens deliquit ; quia ista poena non est nisi substractio eorum quae supcrnaturaliter primo homini divinitus sunt concessa per ipsum in alios derivanda ; unde aliis non debebantur nisi quatenus per primum parentem in eos erant transitura ; sicut rex det feudum militi transiturum per ipsum ad haeredes ; si miles contra regem peccat, ut feudum mereatur amittere, non potest postmodum ad eius heredes devenire : unde iuste privantur posteri per culpam parentis. » — Iterum I.-II q. 81. a. 1. ad 5. : « Dicendum, quod illud quod est per originem, non est *incrcpabile,* si consideretur iste qui nascitur *secundum se;* sed si consideretur prout refertur ad *aliquod principium,* sic potest esse *incrcpabile ;* sicut aliquis qui nascitur, patitur *ignominiam* generis ex culpa alicuius progenitorum *causatam.* »

Denique, III. q. 84. a. 2. ad 3. : « Peccatum originale non est nostra voluntate per actum, nisi forte in quantum *voluntas Adae 'tpulatur nostra* secundum modum loquendi quo Apostolus dicit *Horn.* 5, 12 : *In quo omnes peccaverunt.* »

1 Cf. Billuart, *De peccato originali,* dissert. VI

principium in genito ; et secundum hunc modum ille homo ex quo omnes homines geniti sunt, naturae humanae piincipium dicitur esse. » Et I.-II. q. 81. a. 2. : « Sicut autem ad *personam* pertinet *aliquid* secundum scipsam, et *aliquid* ex dono gratiae, ita etiam ad *naturam* potest *aliquid* pertinere secundum seipsam, sc. quod causatur ex principiis eius, et *aliquid* ex dono gratiae. Et hoc modo iustitia originalis, sicut dictum est in I. q. 100. a. 1. erat quoddam donum gratiae toti humanae naturae divinitus collatum in primo parente, quod quidem primus homo amisit per primum peccatum. Unde, sicut illa originalis iustitia traducta fuisset in posteros simul cum natura, ita etiam inordinatio opposita. »

Ex quibus omnibus manifeste apparet : i° *iustitiam originalem* esse *aliquid* pertinens ad naturam secundum seipsam; 2° non causari ex principiis naturae, sed ex dono gratiae; 3° tale donum gratiae toti humanae naturae divinitus fuisse collatum in *primo parente,* tamquam *principio totius naturae,* in omnes suos posteros transmittendum, et similiter in quolibet generante tamquam *naturae principio* in suo genito ; 40 tale donum gratuitum ad naturam pertinens amissum fuisse a primo parente per primum peccatum ; et similiter posse etiam amitti, si Adam non peccasset, a quocumque Adae filio per suum primum peccatum ; 50 et sicut *inordinatio opposita* iustitiae originali, quod peccatum originale dicitur, traducta est ab Adamo in posteros simul cum natura, ita etiam, si Adam non peccasset, a quolibet eiusdem filio peccante per suum primum peccatum proprium talem *inordinationem oppositam* originali iustitiae in omnes ab eo originem trahentes traducendam fuisse et veluti *quoddam peccatum originale* in omnibus suis genitis constituisse. Haec est D. Thomae doctrina, cui valde consonant quae deinde sunt dicenda de *possibilitate* sanctificationis Beatissimae Virginis : a) in suis parentibus ; *b)* vel in ipso actu conceptionis ; c) vel etiam in came eius ante animationem : ut infra declarabitur.

II

De peccato originali quantum ad eius essentiam.

Primo : Quid sit peccatum originale. — D. Thomas, *De Malo,* q. 4. a. 2. respondet dicendum, quod *peccatum originale in isto homine vel in illo nihil est aliud quam id quod ad ipsum pervenit per originem ex peccato primi parentis.* Et cum peccatum originale sit peccatum naturae, sicut natura humana ex multis partibus componitur, ita multa conveniunt ad originale peccatum, sc. defectus diversarum partium humanae naturae. Iam vero, multa ista quae ad nos perveniunt per originem ex peccato primi parentis, sunt ; i° *carentia* illius gratiae gratum facientis quae includebatur tamquam radix ceterorum donorum in ratione iustitiae originalis, et per quam mens perfecte subdebatur Deo ; 20 *carentia* illius scientiae naturalis quam homo in primo statu habuisset, ex cuius quidem privatione ratio, in qua est prudentia, destituitur suo ordine ad verum, unde resultat *vulnus ignorantiae ;* 30 *carentia* illius rectitudinis qua voluntas, in qua est iustitia, ordinabatur ad bonum, unde resultat *vulnus malitiae ;* 40 *carentia* illius roboris quo pars irascibilis, in qua est fortitudo, ordinabatur ad arduum, unde resultat *vulnus infirmitatis;* 50 *carentia* illius ordinis quem pars concupiscibilis, in qua est temperantia, dicebat ad delectabile moderatum ratione, unde resultat *vulnus concupiscentiae;* 6° *carentia* illius virtutis seu vigoris quo homo in statu innocentiae reddebatur liber a morte et ab omnibus defectibus corruptionis et dolorum praesentis vitae. Unde sub peccato originali comprehenduntur multa, videlicet : privatio gratiae sanctificantis, malitia, ignorantia, habitualis concupiscentia seu comiptio tam concupiscibilis quam irascibilis, et ipsa mors aliique defectus huius vitae. Praedicti defectus diversarum partium humanae naturae conveniunt ad originale peccatum, quod est *peccatum naturae,* et sunt *aliquid* ad peccatum originale pertinens, et sive materialiter sive formaliter sub peccato originali continentur.

Secundo : Peccatum originale materialiter quidem est concupiscentia, formaliter vero est defectus originalis iustitiae. — Quod ita declarat D. Thomas, I.-II. q. 82. a. 3. et *De Malo,* q. 4. a. 2. duabus subsequentibus rationibus :

Ratio i. — *Ex ipsa oppositione inter iustitiam et peccatum originale.* — Originale enim peccatum iustitiae originali opponitur. Unde oportet quod id, quod est *formale* in originali peccato, sit quoque oppositum eius quod *formale* est in originali iustitia. Sed *formale* in originali iustitia erat *illud* per quod voluntas hominis perfecte Deo subdebatur ; quia subiectio hominis ad Deum primo et principaliter erat per voluntatem cuius est movere omnes alias animae potentias in finem, videlicet *gratia gratum faciens* in qua radicabatur tota ordinatio originalis iustitiae. Ergo *privatio* huius quod est primum et principale in originali iustitia, per quam voluntas subdebatur Deo, est *formale* in peccato originali; et omnis alia inordinatio virium animae ad suum obiectum, quae communi nomine vocatur *concupiscentia,* se habet in peccato originali ut quid consequens et sicut *quiddam materiale.*

Ratio 2. — Ex comparatione peccati originalis ad peccatum actuale Adami. — In peccato primi parentis fuit *aliquid formale,* sc. aversio ab incommutabili bono, et *aliquid materiale,* sc. conversio ad bonum commutabile. Ex hoc autem quod aversus fuit ab incommutabili bono, donum originalis iustitiae amisit ; ex hoc vero quod conversus fuit inordinate ad commutabile bonum, inferiores vires, quae erigi debebant ad rationem, depressae sunt ad inferiora. Sic ergo in his qui ex eius stirpe oriuntur, et *superior pars* animae caret *debito ordine* ad Deum, qui erat per originalem iustitiam ; et *inferiores vires* non subduntur rationi, sed ad inferiora convertuntur secundum proprium impetum ; et *ipsum* etiam *corpus* in corruptionem tendit secundum inclinationem contrariorum ex quibus componitur. Sed inter superiores vires quae suscipiunt defectum per originem traductum secundum rationem culpae, una est quae omnes alias *movet,* sc. *voluntas;* omnes autem aliae moventur ab ea ad suos actus. Semper autem quod est ex parte agentis et moventis, est sicut *formale;* quod autem est ex parte mobilis et patientis,

est sicut *materiale.* Et ideo, cum *carentia originalis iustitiae* se habeat ex parte voluntatis ; ex parte autem inferiorum virium a voluntate motarum sit *pronitas* ad inordinate petendum, quae *concupiscentia* dicit potest : sequitur, quod peccatum originale in hoc homine vel in illo nihil est aliud quam *concupiscentia cum carentia originalis iustitiae;* ita tamen, quod carentia originalis iustitiae est *quasi formale* peccato *originali,* concupiscentia autem est quasi *materiale;* sicut in peccato actuali aversio ab incommutabili bono est quasi formale, conversio autem ad commutabile bonum est quasi materiale ; ut sic intelligatur in peccato originali *aversa anima* et *conversa,* sicut in peccato actuali *actus,* ut ita dicam, *aversus* et *conversus.*

Tertio : Peccatum originale non est privatio pura, sed est quidam habitus corruptus seu quaedam inordinata dispositio ipsius naturae humanae ex primo parente derivata. — Quod ostendit D. Thomas, I.-II. q. 82. a. 1. distinguens inter *habitum* quo inclinatur potentia ad agendum, et inter *habitum* qui est dispositio alicuius naturae ex multis compositae secundum quod bene se habet vel male ad aliquid. Non est ergo peccatum originale habitus quo potentia directe inclinatur ad actum, sicut scientiae et virtutes dicuntur habitus ; sed est quaedam inordinata dispositio proveniens ex dissolutione illius harmoniae in qua consistebat ratio originalis iustitiae, quemadmodum aegritudo et sanitas, quasi in naturam versae, male vel bene illam habitualiter disponunt. Hoc modo peccatum originale dicitur *languor naturae* et *habitus corruptus;* non quidem infusus aut acquisitus per *actum* (nisi primi parentis, non autem huius personae), sed per *vitiatam originem innatus.*

Quarto : Observatio Caietani. — Caietanus, in I.-II. q. 82. a. i. : « Sunt qui dicunt, quod D. Thomas non putavit peccatum originale esse *habitum,* sed *quamdam habitualem pronilatcm,* non positive, sed per substractionem, ut *II. Sentent.* et in quaest. *De Malo,* patet. Sed haec responsio non notavit in Auctore (D. Thoma) hunc singularem articulum cum

responsione ad 3. Ex hoc namque apparet, quod Auctor (D. Thomas) altius contemplans *naturam* peccati originalis, novam tradidit doctrinam, alterius non oblitus. Distinxit siquidem habitum vel ad *opus* vel ad *naturam;* et dixit duo i. quod peccatum originale non est habitus in ordine ad opus, nisi indirecte, per remotionem prohibentis ; et sic glossavit seipsum alibi ; 2. quod peccatum originale est habitus in ordine ad naturam... Peccatum originale est *languor naturae, naturae* etiam absolute ; quoniam consistit in contraria dispositione non solum iustitiae originali, sed *sanitati naturali* ipsius hominis in quantum rationalis... *Naturalia* autem, etsi non sint *ablata* a nobis, sunt tamen *infirmata.* Privatio originalis iustitiae, quia est prima intrinseca radix originalis peccati, *causa* eius ponitur, non qualitercumque, sed *formalis.* »

III

De peccato originali quantum ad eius subiectum.

Primo : Duplex ordo, scilicet naturae et temporis. — Ordine quidem naturae, perfectum est prius imperfecto, ct actus potentia ; ordine vero generationis et temporis, c converso, imperfectum est prius perfecto, et potentia actu. Sic ergo in ordine naturae per prius est peccatum originale in *anima,* in qua est sicut in *proprio subiecto,* quam in *carne,* in qua est sicut in *causa instrumentait ;* sed in *carne* est per prius ordine generationis et temporis.

Secundo : Caro, in qua est per prius ordine temporis peccatum originale, est caro ante animationem. — Ut ex supra positis patet, peccatum originale omnium hominum fuit quidem in ipso Adam sicut in prima causa principali, secundum illud Apostoli, Rom. 5, 12. : *In quo omnes peccaverunt.* In semine autem corporali est peccatum originale sicut in *causa instrumentait,* eo quod per *virtutem activam* seminis traducitur peccatum originale in prolem simul cum natura humana ; quia hoc modo ex *voluntate* primi parentis peccatum originale traducitur in posteros per quandam generativam motionem, sicut *a voluntate* alicuius hominis derivatur peccatum actuale ad alias partes eius. Semen autem carnale sicut est instnimentalis causa *traductionis humanae naturae,* ita est instnunentalis causa *traductionis peccati originalis;* et ita peccatum originale est in carne.

Tertio : Quomodo caro ante animatione sit sufficiens causa peccati originalis in genito. — Corruptio quae est in carne, est quidem *actus naturalis,* sed intentione et virtute *moralis.* Ex peccato enim primi parentis destituta est caro *illa virtute,* ut ex ea possit decidi semen per quod originalis iustitia ad alios propagetur ; et sic in semine defectus huius virtutis est *defectus moralis* corruptionis et *quaedam intentio* eius ; sicut dicimus intentionem coloris esse in aëre, et intentionem animae esse in semine. Et ex hoc etiam est ibi virtus ad similem imperfectionem, sicut est ibi virtus ad productionem humanae naturae in prole generata. Caro quidem nostra in sui natura bona est ; sed secundum quod est *privata* originali iustitia propter peccatum primi parentis, sic *causât* originale peccatum. Et quamvis caro non sit sufficiens causa *peccati actualis, peccati* tamen *originalis* est sufficiens causa ; sicut et traductio carnis est sufficiens causa, materialiter tamen, humanae naturae. Peccatum equidem originale, per se loquendo, est *peccatum naturae,* non *personae,* nisi ratione naturae infectae. Actus autem generationis proprie loquendo deservit *naturae,* quia ordinatur ad conservationem speciei ; sed carnem iam esse animae unitam pertinet ad *constitutionem personae;* et ideo caro *magis causal* originale peccatum prout consideratur *in via generationis* quam prout est *iam unita.* At quantumvis nihil agat nisi in quantum est actu, atque in semine non sit *actu* peccatum, dicendum nihilominus, qupd instrumentum agit ut *ens actu,* secundum quod est motum ab alio ; et sic etiam semen est actu, in quantum est in eo motus ct intentio animae generantis, secundum Philosophum, lib. 2. *De generat, animalium;* et ex hoc habet virtutem causandi ct humanam naturam et originale peccatum.

Quarto : Anima rationalis non inquinatur ex sua creatione nec ex sua infusione ex parte Dei infundentis, sed solum

habito respectu ad corpus cui infunditur. — Peccatum originale dicitur *peccatum totius naturae,* sicut peccatum actuale dicitur *peccatum personale :* unde, quae est comparatio peccati actualis ad unam *personam singularem,* eadem est comparatio peccati originalis ad *totam naturam humanam* traditam a primo parente, in quo fuit peccati initium et per cuius voluntatem in omnibus originale peccatum *quasi voluntarium* reputatur. Sic ergo originale peccatum est in *anima,* in quantum pertinet ad humanam naturam. Humana autem natura traducitur a parente in filium per traductionem carnis, cui postmodum anima infunditur ; et ex hoc infectionem incurrit, quod fit cum came traducta *una natura.* Si enim non uniretur ei ad constituendam naturam, sicut angelus unitur corpori assumpto, *infectionem* non reciperet. Infectio itaque originalis peccati nullo modo causatur a Deo, sed ex solo peccato primi parentis per carnalem generationem. Et ideo, cum *creatio* importet respectum animae ad *solum Deum,* non potest dici quod anima ex sua creatione inquinetur. Sed *infusio* importat respectum ad *Deum* infundentem, et ad *carnem* cui infunditur anima. Et ideo, habito respectu ad Deum infundentem, non potest dici quod anima per infusionem maculetur, sed solum habito respectu ad corpus cui infunditur.

Quinto : Peccatum originale per se recipit natura, anima vero ex consequenti. — Sicut in natura Adae erat natura omnium nostrum originaliter, ita et peccatum originale, quod in nobis est, erat in illo peccato originali originaliter. Nam peccatum originale, ut dictum est, *per se* recepit *natura; anima* vero ex *consequenti.* Etenim originalis iustitia fuit superaddita primo homini ex liberalitatc divina ; sed quod *huic animae* non detur a Deo, non est ex parte cius, sed ex parte *humanae naturae* in qua invenitur *contrarium prohibens.* Peccatum namque originale trahitur ex origine, in quantum per eam communicatur *humana natura,* quam proprie respicit peccatum originale : quod quidem fit, quando proles concepta *animatur;* unde post animationem *nihil prohibet* prolem conceptam sanctificari ; postea enim non

manet in materno utero ad accipiendam *humanam naturam,* sed ad aliqualem perfectionem eius quod iam accepit.

Sexto : Peccatum ergo originale per prius est in essentia animae quam in potentiis ; ac deinde per prius respicit voluntatem quam alias potentias. —

Ratio primi : Quia peccatum originale causatur per originem. Unde *illud* animae quod prius attingitur ab origine hominis, est *primum subiectum* originalis peccati. Attingit autem origo animam ut *terminum generationis,* secundum quod est *forma* corporis : quod quidem convenit ei secundum essentiam propriam, ut habitum est I. q. 76. a. 1. Unde anima secundum *essentiam* est primum subiectum originalis peccati. Quod confirmatur ex eo quod etiam originalis iustitia pertinebat primordialiter ad *essentiam* animae ; erat enim donum divinitus datum *humanae naturae,* quam per prius respicit essentia animae quam eius potentiae.

Ratio secundi : Peccatum originale habet duplicem processum : unum quidem *a carne ad animam;* alium vero ab *essentia* animae ad *potentias.* Primus quidem processus est secundum ordinem generationis ; secundus autem, secundum ordinem perfectionis. Et ideo, quamvis aliae potentiae, sc. *sensitivae,* propinquiores sint carni, quia tamen voluntas est propinquior essentiae animae tamquam superior potentia : primo pervenit ad ipsam infectio originalis peccati. Ac quamvis *intellectus* quodammodo praecedat voluntatem, in quantum proponit ei suum obiectum, *voluntas* tamen praecedit intellectum secundum ordinem motionis ad actum. Ideo peccatum originale, secundum eam quam ad actum habet inclinationem consideratum, immediate post essentiam animae, quae primum eius est subiectum secundum inhaerentiam, prius respicit et inficit voluntatem quam alias potentias : quae tamen omnes sunt corruptae per peccatum originale, sicut omnes erant e contrario integrae ac peifectae per originalem iustitiam x.

1 I.-II. q. 83. a. 1.-4. : *De Malo.* q. 4. a. 1. ; *De Potentia,* q. 3. a. 9. ad 3. et ad 4, — *II. Sent.* dist. 31. q. 2. a. 1. , *C. Gent.* lib. 4. cap. 52.

IV

De peccato originali quantum ad rationem culpae et poenae in nobis.

Primo : luxta fidem catholicam, peccatum originale habet in nobis veram et propriam peccati rationem. — Ita Tridentinum Concilium, sess. 5. in decreto *De peccato originali,* ubi expresse definitur : i° Primum hominem Adam sanctitatem et iustitiam in qua constitutus fuerat, amisisse incurrisseque per offensam praevaricationis huiusmodi iram et indignationem Dei ; totumque Adam per illam praevaricationis offensam secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse.

2° Adae praevaricationem, non sibi soli, sed etiam eius propagini nocuisse ; et acceptam a Deo sanctitatem et iustitiam, quam perdidit, non sibi soli, sed etiam nobis perdidisse ; atque inquinatum illum per inobedientiae peccatum non tantum *mortem* et *poenas* corporis, sed etiam *peccatum,* quod mors est animae, in omne genus humanum transfudisse.

3° Hoc Adae *peccatum,* quod origine *unum* est, et piopagatione, non imitatione, transfusum omnibus, *inesse unicuique proprium;* et nonnisi tolli quam per meritum unius mediatoris, Domini nostri lesu Christi.

40 Parvulos recentes ab uteris matrum esse baptizandos in remissionem peccatorum, eo quod *aliquid* ex Adam trahunt originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse est expiari ad vitam aeternam consequendam.

5° Per lesu Christi Domini nostri gratiam, quae in baptismate confertur, *reatum* originalis peccati remitti, atque etiam tolli *totum id quod veram* et *propriam peccati rationem* habet. Manere autem in baptizatis *concupiscentiam* vel *fomitem,* haec sancta Synodus fatetur et sentit. Hanc tamen concupiscentiam, quam aliquando Apostolus *peccatum* appellat, sancta Synodus declarat Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse *peccatum* appellari quod *vere* et *proprie* in renatis *peccatum* sit, sed quia *ex peccato* est et *ad*

peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit : anathema sit.

Atque in sess. 6a, *De Iustificatione,* cap. 3. : « Verum, etsi ille (Christus) pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis eius beneficium recipiunt ; sed ii dumtaxat, quibus meritum passionis eius communicatur. Nam, sicut revera homines, nisi ex semine Adae propagati nascerentur, non nascerentur *iniusti,* cum *ea propagatione,* per ipsum, dum concipiuntur, *propriam iniustitiam* contrahant : ita, nisi in Christo renascerentur, nunquam iustificarentur ; cum ea renascentia per meritum passionis cius *gratia,* qua iusti fiunt, illis tribuatur. »

Argumenta Divi Thomae. — *Ostenditur quoque ex argumentis D. Thomae.* —D.Thomas, *II. Sent.* dist. 30. q. 1. a. 2. concludit, quod « simpliciter concedendum est etiam *culpam* per originem trahi ex parentibus vitiatis in pueris natis ». i° Ad vitandum errorem eorum qui simpliciter peccatum originale negabant, sicut errorem luliani et Pelagii ; quorum quidem error veritati fidei non consonat, quia sacramentorum necessitatem et redemptionis tollit, quae contra servitutem peccati, in qua nascimur, ordinata sunt. 20 Ad vitandum eorum errorem qui, peccatum originale nomine tenus concedentes, secundum rem negabant, dicentes in puero *nullam culpam* esse, sed solum *obligationem* ad poenam ; et hoc manifeste justitiae divinae repugnat, ut scilicet aliquis obligetur ad poenam qui culpam non habet, cum poena iuste nonnisi culpae debeatur 30 Ex *ratione voluntarii* quod clauditur in peccato originali. Oportet (ait D. Thomas) quod secundum hoc quod aliquid rationem culpae habet, secundum hoc ratio voluntarii in ipso reperiatur. Sicut autem est quoddam bonum quod respicit naturam, et quoddam bonum quod respicit personam, ita etiam est *quaedam culpa naturae,* et *quaedam personae.* Unde ad culpam personae requiritur voluntas personae, sicut patet in culpa actuali, quae per actum personae committitur ; ad culpam vero naturae non requiritur nisi voluntas in natura illa. Sic ergo dicendum est, quod defectus illius originalis iustitiae quae homini in sua

creatione collata est, ex *voluntate* hominis accidit ; et sicut illud naturae donum fuit et fuisset in totam naturam propagatum, homine in iustitia persistente, ita etiam et privatio illius boni in totam naturam perducitur, quasi *privatio et vitium naturae;* ad idem enim genus privatio et habitus referantur ; et in quolibet homine *rationem culpae* habet ex hoc quod per *voluntatem* principii naturae, id est, *primi hominis,* inductus est talis defectus.

Secundo : Ratio peccati non praedicatur univoce de peccato mortali, et de peccato veniali, et de peccato originali. — D. Thomas, I.-II. q. 88. a. 1. ad 1. : « Dicendum, quod divisio peccati in *veniale* et *mortale* non est divisio generis in species quae *aequaliter* participant rationem generis, sed *analogi* in ea de quibus praedicatur secundum prius et posterius ; et ideo *perfecta ratio* peccati, quam Augustinus ponit, convenit peccato mortali. Peccatum autem veniale dicitur peccatum secundum *rationem imperfectam* et in ordine ad peccatum mortale ; sicut accidens dicitur *ens* in ordine ad substantiam, secundum imperfectam rationem entis ; non enim est contra legem ; quia venialiter peccans non facit quod lex prohibet nec praetermittit id ad quod lex per praeceptum obligat, sed facit praeter legem, quia non observat *modum rationis* quem lex intendit. » Et *De Malo,* q. 4. a. 1. et 2. : « Dicendum, quod peccatum quod per originem contrahitur, dicitur *voluntarium* ratione sui principii, sc. voluntatis primi parentis. Istud peccatum consequitur *totam naturam humanam:* unde subiectum huius peccati est anima secundum quod est pars humanae naturae ; et ideo, sicut humana natura traducitur, licet anima non traducatur, ita etiam peccatum originale traducitur, licet anima non traducatur. Sicut ergo homicidium non dicitur *culpa manus,* sed *culpa totius hominis,* ita huiusmodi defectus non dicitur esse *peccatum personale,* sed *peccatum totius naturae;* nec ad personam pertinet nisi in quantum *natura* inficit *personam.* Privatio gratiae non est in ipso actu, sed in subiecto actus, et ideo non pertinet ad peccatum actuale ; sed *carentia originalis iustitiae* est in natura, et ideo potest pertinere ad

originale peccatum, quod est *peccatum naturae.* » Ex quibus manifeste apparet, quod ratio peccati non convenit eodem modo peccato mortali et peccato veniali et peccato originali ; sed alia est ratio peccati originalis, et alia peccati venialis, et alia peccati mortalis. Quod etiam de *macula* venit intelligendum. (I.-II. q. 86. a. i.)

Tertio : Inter omnia peccata est originale. — Ita D.Thomas, *II. Sent.* dist. 33. q. 2. a. 1. ad 2. : «Dicendum, quod inter omnia peccata minimum est originale, eo quod minimum habet *de voluntario;* non enim est voluntarium voluntate istius personae, sed voluntate principii naturae tantum. Peccatum autem actuale, etiam veniale, est voluntarium voluntate eius in quo est ; et ideo *minor poena* debetui originali quam veniali. Nec obstat, quod originale non compatitur secum gratiam ; privatio enim gratiae non habet *rationem* culpae, sed poenae, nisi in quantam ex voluntate est. Unde, ubi minus est de voluntario, minus est de culpa. Similiter etiam non obstat, quod peccato actuali veniali temporalis poena debetur, quia hoc est per accidens, in quantum decedens in veniali tantum gratiam habet, virtute cuius poena purgata est. Si autem veniale peccatum sine gratia in aliquo esset, perpetuam poenam haberet. »

Quarto : Peccatum originale est in nobis et secundum rationem culpae et secundum rationem poenae. — D. Thomas, *De Malo,* q. 4. a. 2. : « Sic ergo peccatum originale in isto homine vel in illo nihil est aliud quam *id* quod ad ipsum pervenit per originem ex peccato primi parentis. In peccato autem primi parentis fuit aliquid formale, sc. *aversio* ab incommutabili bono ; et aliquid materiale, sc. *conversio* ad bonum commutabile. Ex hoc autem quod aversus fuit ab incommutabili bono, *donum originale iustitiae* amisit ; ex hoc vero quod conversus est inordinate ad commutabile bonum, inferiores vires quae erigi debebant ad rationem, *depressae* sunt ad inferiora. Sic ergo et in his, qui ex eius stirpe oriuntur, et superior pars animae *caret debito ordine ad Deum,* qui erat per originalem iustitiam, et inferiores vires *non subduntur*

rationi, sed ad *inferiora convertuntur* secundum proprium impetum ; et ipsum etiam corpus in corruptionem tendit secundum inclinationem contrariorum ex quibus componitur. Sed superior pars animae et etiam quaedam inferiorum virium, quae sunt sub voluntate et ei natae sunt obedire, *recipiunt* huiusmodi sequelam piinii peccati *secundum rationem culpae;* sunt enim culpae susceptivae huiusmodi partes. Sed inferiores vires quae non subduntur voluntati, sc. potentiae animae vegetabilis ct etiam ipsum corpus, *suscipit* huiusmodi sequelam *secundum rationem poenae, non secundum rationem culpae:* nisi forte *virtualiter,* prout sc. huiusmodi *poena,* peccatum consequens, peccati est productiva, secundum quod vis generativa per decisionem corporalis seminis operatur ad traductionem peccati originalis simul cum humana natura. Peccatum originale est *personae* secundum *naturam* quam ab alio traxit per originem ; et ideo *omnis dejectus* in natura prolis inventus, derivatus a peccato primi parentis, habet *rationem peccati originalis,* dummodo sit in subiecto quod sit susceptivum culpae. »

Quinto : Peccatum tamen originale non habet rationem culpae si comparetur ad istum hominem prout est persona quaedam ; sed tantum si comparetur ad principium in quo omnes peccaverunt, et prout omnes homines sunt unus homo. — I). Thomas quaerens utrum peccatum originale sit poena et culpa, vel poena tantum, respondet : *d) De Malo,* q. 4. a. 2. : « Ad id vero quod quaerebatur, utrum sit poena tantum, vel poena et culpa, dicendum sicut supra dictum est, quod si comparetur ad istum hominem prout est *persona quaedam,* non habito respectu ad *naturam,* sic est *poena;* si autem comparetur ad *principium* in quo omnes peccaverunt, sic habet *rationem culpae.* »

&) IV. C. Gent. cap. 52. : « *Peccata actualia* quae communiter ab hominibus aguntur, adimunt *aliquod bonum* personae peccantis, puta *gratiam* et *ordinem debitum* partium animae ; unde *personalia* sunt ; nec, uno peccante, alteri imputantur. *Primum* autem *peccatum* primi hominis non solum *peccantem* destituit *proprio* et *personali bono,* sc. gratia et debito

ordine animae, sed etiam *bono* ad naturam comm inem *perlinente.* Ut enim supra dictum est, sic natura humana fuit instituta in sui primordio, quod inferiores vires perfecte rationi subjicerentur ; ratio, Deo ; et animae, corpus ; Deo per *gratiam* supplente *id* quod ad hoc deerat *per naturam.* Huiusmodi autem beneficium, quod a quibusdam *originalis iustitia* dicitur, sic primo homini collatum fuit, ut ab eo *simul cum natura humana* propagaretur in posteros. Ratione autem per peccatum primi hominis se subtrahente a subiectione divina, subsecutum est, quod nec inferiores vires perfecte rationi subiiciantur, nec animae corpus ; et hoc non tantum in primo peccante, sed *idem dejectus communis* pervenit ad posteros, ad quos etiam *dicta originalis iustitia* perventura erat. Sic igitur *peccatum* primi hominis, a quo omnes alii, secundum doctrinam fidei, sunt derivati, et *personale* fuit in quantum ipsum primum hominem *proprio bono* privavit, et *naturale* in quantum abstulit sibi ct suis posteris consequenter beneficium collatum *toti humanae naturae.* Sic igitur huiusmodi *dejectus,* in aliis consequens cx primo parente, etiam in aliis *rationem culpae* habet, prout omnes homines computantur *unus homo* per participationem naturae communis. Sic enim invenitur voluntarium huiusmodi peccatum voluntate primi parentis, quemadmodum et *actio* manus *rationem culpae* habet ex *voluntate* primi moventis quod est *ratio;* ut sic aestimentur in *peccato naturae* diversi homines quasi *naturae communis paries,* sicut in peccato personali diversae unius hominis partes. Considerandum est etiam, quod praedicti defectus (ex peccato Adami provenientes) per naturalem originem traducuntur, ex eo quod *natura* destituta est *auxilio gratiae* quod ei fuerat in primo parente collatum, ad posteros *simul cum natura* derivandum ; ct quia haec destitutio ex voluntario peccato processit, defectus consequens suscipit *culpae rationem.* Sic igitur defectus huiusmodi ct *culpabiles* sunt per comparationem adprimum principium quod est peccatum Adae, et *naturales* sunt per comparationem ad naturam iam destitutam. Unde et Apostolus dicit, Ephes. 2, 3. : « *Eramus natura filii irae.* » — Ad rem spectat damnata propositio Baii 47. : *Peccatum originis*

vere habet rationem peccati sine ulla relatione ac respectu ad voluntatem a qua originem habuit.

Sexto : Peccatu originale in baptizato vere dicitur anere actu et transire reatu. — Caietanus, in I.-II. q. 81. a. 3. : « Quia et vere actu remanet *privatio iustitiae originalis;* sumus enim adhuc illa privati. Quoniam, quamvis habeamus *gratiam gratum jacientem* coniungentem supremum hominis Deo, non tamen habemus eam secundum *hunc effectum,* qui est iustitia originalis, in statu isto. Gratia enim, ut in Prima Part. q. 95. a. 1. dictum fuit, est *radix* originalis iustitiae; quae, olim cum suo fructu perdita, per baptismum reparatur secundum se, tantum fructum factura iustitiae originalis post resurrectionem. Et *vere transit reatu:* quia non remanet in baptizatis privatio originalis iustitiae sub *ratione culpae;* non enim amplius eis imputatur ad culpam, nec reservatur punienda. »

D. Thomas, III. q. 69. a. 3. ad 3. : « Sicut in Secunda Parte q. 81. a. i. dictum est, peccatum originale hoc modo processit quod primo *persona* infecit *naturam,* postmodum vero *natura* infecit *personam.* Christus vero converso ordine prius reparat *id* quod *personae* est, et postmodum simul in omnibus reparabit *id* quod *naturae* est. Et ideo *culpam* originalis peccati et etiam *poenam* carentiae visionis divinae, quae respiciunt personam, statim post baptismum tollit ab homine; sed poenalitates praesentis vitae, sicut *mors, james, sitis* et alia huiusmodi, respiciunt naturam ex cuius principiis causantur, prout est destituta originali iustitia ; et ideo isti defectus non tollentur nisi in ultima reparatione naturae post resurrectionem. »

Cone. Trid. sess. 5. decret. *De pec. orig.* can. 5. : « In baptizatis tolli totum id quod veram et propriam peccati rationem habet. Manere autem in baptizatis concupiscentiam vel fomitem, haec Sancta Synodus fatetur et sentit. »

CAPUT TERTIUM

De peccato primi parentis quoad eius universalitatem.

THESIS

Secundum fidem catholicam firmiter est tenendum, quod omnes homines, praeter solum Christum, ex Adam derivati peccatum originale ex Adam contrahunt.

Momentum quaestionis. — Thesis ista, ad litteram ex D. Thoma deprompta, constanter, semper et ubique ab Angelico Doctore propugnatur ; et non quomodocumque, sed tamquam quid necessarium in doctrina catholica tenendum, et quasi fidei articulus ab omnibus credendus, et veluti *conditio sine qua non* ad servandam in Christo Domino Redemptoris universalis omnium hominum dignitatem. Atque ex alia parte manifeste patet hanc quaestionem, quaestionisque sensum, per quam magni momenti esse ad D. Thomae declarandam doctrinam eiusque mentem aperiendam in celeberrima controversia *De -prima B. Virginis sanctificatione* atque *de eiusdem ab omni originalis culpae labe praeservatione.*

Loca in quibus D. Thomas suprapositam thesim statuit. — *a}* *Summa Theologica,* I.-II. q. 81. a. 3. : « Utrum peccatum primi parentis transeat per originem in omnes homines. Respondeo : dicendum, quod secundum fidem catholicam firmiter est tenendum, quod omnes homines, praeter *solum Christum,* ex Adam derivati, peccatum originale ex Adam contrahunt. »

b) ***II****. Sent.* dist. 31. q. 1. a. *2.* : « Utrum sit necesse omnes homines nasci in peccato originali? Respondeo : dicendum, quod necessarium est omnes qui ex Adam generantur per viam coitus, peccatum originale trahere. »

c) *De Malo,* q. 4. a. 6. : « Utrum peccatum originale ab Adam deiivetur in omnes qui scminaliter ab ipso procedunt? Respondeo : dicendum, quod erroneum est dicere, quod aliqui scminaliter ab Adam deriventur absque originali peccato. »

d) Quodlib. 6. a. 7. : « Apostolus dicit, Rom. 5, 12. : *In quo omnes peccaverunt;* a qua universalitate *solus Christus* excipitur, qui in Adam non fuit secundum seminalem rationem. »

Ex his plurimisque aliis locis constare videtur, quod thesis supra posita, prout a D. Thoma stabilitur ac defenditur, nullam patitur exceptionem ; solus enim Christus excipitur ; quod quidem adhuc magis comprobatur ex ipsismet argumentis quibus Angelicus Doctor thesim declarat asseritque tenendam.

Argumenta D. Thomae. — Arg. 1. — Ex ipsa dignitate Christi ut Redemptor — Hoc est enim capitale argumentum quod semper in primo loco ponitur a D. Thoma : *à)* ***II****. Sent.* dist. 31. q. i. a. 2. : « Ille qui non est peccato obnoxius, redemptione non indiget. Si ergo esset aliquis qui non in peccato originali nasceretur, praeter Christum, inveniretur aliquis qui redemptione facta per Christum non indigeret ; et sic Christus non esset caput omnium hominum, quod non est conveniens secundum fidem. Ergo nec ponere, quod aliquis sine peccato originali nasci possit. »

&) De Malo, q. 4. a. 6. : « Erroneum est dicere, quod aliqui scminaliter ab Adam deriventur absque originali peccato ; sic enim aliqui homines essent qui non indigerent redemptione facta per Christum. Unde simpliciter concedendum est, quod omnes qui scminaliter ab Adam propagantur, peccatum originale contrahunt mox in ipsa sua animatione. »

c) I.-II. q. 81. a. 3. : « Secundum fidem catholicam firmiter est tenendum, quod omnes homines, praeter solum Christum, ex Adam derivati, peccatum originale ex Adam contrahunt ;

alioquin non omnes indigerent redemptione quae est per Christum : quod est erroneum. »

Unde, iuxta D. Thomae doctrinam, haec duo sunt sibi mutuo correlativa, nimirum : peccatum originale ex Adam contrahere, et indigere redemptione quae est per Christum ; non datur secundum sine primo, neque sine altero alterum ; atque eodem modo ad fidem catholicam pertinet omnes homines ex Adam derivatos peccatum originale ex Adam contrahere, ac omnes homines ex Adam derivatos redemptione, quae est per Christum, indigere omnesque perinde a Christo fuisse redemptos.

Arg. 2. — Ex ipsa formali ratione peccati originalis. — *II. Sent.* dist. 31. q. 1. a. 2. : «Ad *esse* enim originalis peccati *duo* concurrunt, scilicet : *a) defectus quidam,* principia naturae humanae consequens ; et iterum, *b) quod fuerit in potestate naturae,* ut isto defectu careret vel non, sine quo *ratio culpae* in hoc defectu non esset. Utrumque autem necessarium est inveniri in illis qui ex Adam per modum dictum generantur. »

a) Quoad primum. — « Si enim *defectus ille* non traduceretur, non posset contingere nisi per hoc quod natura generantis perfecte reintegrata esset ; non enim potest contingere, ut virtute naturae deficientis aliquid in natura non deficiens generetur. Natura vero humana in statu huius viae non reintegratur quantum ad *id quod naturae* est, etsi per gratiam reintegratur quantum *ad hoc quod ad personam* pertinet ; sed in futuro perfecte reintegrabitur in beatis. Unde oportet, quod secundum totum decursum huius vitae *defectus iste* ex parentibus ad filios propagetur. »

δ) *Quoad secundum.* — « Similiter et *ratio voluntarii,* quae *culpam* causabat in *natura,* in omnes homines, qui ab Adam naturam accipiunt, transiit. Erat enim, ut supra dictum est, *tali conditione* sibi iustitia originalis concessa, ut *omnes,* qui ab eo naturam humanam acciperent, *simul cum natura* et iustitiam consequerentur ; unde, quod *illi* qui ab ipso nati sunt, *tali iustitia careant,* ex *voluntate ipsius Adae* consecutum est ; unde *ratio voluntarii* in omnes, qui ab eo naturam humanam accipiunt, *simul cum defectu* transiit. Et quia generatum

recipit naturam a generante, et patiens ab agente, ideo omnes, qui secundum seminalem rationem, quae est virtus activa, ab Adam descendunt, oportet quod in culpa originali nascantur. »

Arg. 3. — Ex hoc quod etiam in baptizatis peccatum originale anet actu, qua ıı vis transeat reatu. — I.-II. q. 81. a. 3. ad 2. : « Peccatum originale per baptismum aufertur *reatu,* inquantum anima recuperat *gratiam* quantum ad mentem ; remanet tamen peccatum originale *actu quantum ad /0-mitem,* qui est *inordinatio* partium inferiorum animae et ipsius corpoiis, secundum quod homo generat, et non secundum mentem ; et ideo baptizati traducunt peccatum originale. Non enim parentes generant in quantum sunt *renovati* per baptismum, sed in quantum retinent adhuc *aliquid* de vetustate primi peccati. » Quod iterum tradit Angelicus Doctor, *Rom.* cap. 5. lect. 3. : « Per baptismum homo liberatur a peccato originali quantum ad mentem, sed remanet peccati infectio quantum ad carnem ; unde infra cap. 7. v. 25. dicit Apostolus : *Ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.* Homo autem non generat mente carnales filios, sed came ; et ideo *non transmittit* novitatem Christi, sed *vetustatem* Adae. »

Arg. 4. — Ex eo quod intelligendum venit in verbo contrahendi. — D.Thomas, III. q. 14. a.3. : «Respondeo: dicendum, quod in verbo *contrahendi* intelligitur ordo effectus ad causam, ut sc. *illud* dicatur contrahi quod simul *cum sua causa ex necessitate trahitur.* Causa autem mortis et horum defectuum in humana natura est peccatum, quia *per peccatum mors intravit in mundum,* ut dicitur Rom. 5, 12. Et ideo illi proprie dicuntur hos defectus *contrahere* qui ex debito peccati hos defectus incurrunt. » Et *III. Sent.* dist. 15. q. 1. a. 3. : « Respondeo, dicendum, quod *dlud proprie contrahitur* quod *ex necessitate, alio tracto, trahitur;* et quia ex hoc ipso, quod humanam naturam trahimus ex parentibus per vitiatam originem, sequitur de necessitate quod hos defectus habeamus: ideo dicimur hos defectus contrahere. Verbum *contrahendi*

non solum importat *traductionem,* sed *necessarium ordinem* ad aliud tractum. Haec coniunctio *con* non solum notat simultatem temporis, sed ordinem necessariae consecutionis unius ad alterum. »

Rom. cap. 5. *led. 3.:* « Et ideo dicendum est, quod, sicut *peccatum actuale* est *peccatum personae,* quia per voluntatem personae peccantis committitur, ita *peccatum originale* est *peccatum naturae,* quod per voluntatem principii humanae naturae commissum est. Est enim considerandum, quod, sicut diversa corporis membra partes sunt personae unius hominis, ita omnes homines sunt *partes* et quasi *membra* humanae naturae. Unde et Porphyrius dicit, quod participatione speciei plures homines sunt *unus homo.* Videmus autem quod actus peccati exercitus per aliquod membrum, puta per *manum* vel *pedem,* non habet rationem culpae ex voluntate manus vel pedis, sed ex voluntate totius hominis a quo, sicut a quodam principio, derivatur motus peccati ad singula membra. Et similiter a *voluntate Adae,* qui fuit principium humanae naturae, *tota inordinatio* naturae habet *culpae rationem* in omnibus ad quos pervenit, quantum ad hoc quod susceptivi sunt culpae. Et sicut peccatum actuale, quod est peccatum personae, *trahitur* ad singula membra per *aliquem actum personalem,* ita peccatum originale *trahitur* ad singulos homines per *actum naturae,* qui est generatio. Et ita, sicut per generationem *humana natura trahitur,* ita etiam per generationem *traducitur dejectus* humanae naturae qui consecutus est ex peccato primi parentis. Est autem hic defectus *carentia originalis iustitiae,* quae erat primo homini divinitus collata, non solum ut erat persona quaedam singularis, sed etiam ut erat *principium* humanae naturae, ut sc. *eam simul cum natura in posteros traduceret.* Et ideo simili modo *amissionem originalis iustitiae* per peccatum ad posteros *transmittit,* habentem in eis rationem culpae, ratione iam dicta. »

Unde, sicut omnes ex Adam derivati, si Adam non peccaverit, simul cum natura iustitiam originalem acciperent, ita pariter, postquam Adam peccavit, omnes simul cum natura peccatum originale, quod est *iustitiae originalis amissio,* ex

necessitate, natura tracta, contrahunt. Contrariorum eadem est ratio ; intei naturam humanam transmittendam, et iustitiam originalem accipiendam, et peccatum originale contrahendum, similis prorsus est nexus ; aequalisque totaliter est ordo causae ad effectum, et effectus ad causam, mutatis mutandis.

Arg. 5. — Ex duobus per quae, si Deus absolute voluerit, talis ordo causae ad effectu tolleretur. — Duo enim sunt, quae, ut supra declaratum est, concurrunt ad *esse* originalis peccati, videlicet : i° *defectus,* principia naturae humanae consequens ; in quo quidem defectu, qui est ipsamet privatio originalis iustitiae, clauduntur defectus seu privatio perfectae subicctionis partis superioris hominis ad Deum, et perfectae subiectionis inferiorum virium animae ad rationem, et perfectae subiectionis ipsiusmet corporis ad animam. 2° *Ratio voluntarii,* unde ille *defectus* principia naturae humanae consequens *rationem culpae* habet. Nam, ut supra dictum manet, *defectus* illius originalis iustitiae, quae homini in sua creatione collata est, ex *voluntate* hominis accidit ; et sicut illud naturae donum fuisset in totam naturam propagatum, homine in iustitia persistente, ita etiam et privatio illius boni in totam naturam perducitur quasi *'privatio et vitium naturae;* atque in quolibet homine rationem culpae habet ex hoc, quod per *voluntatem* principii naturae, id est, *primi hominis,* talis defectus inductus est.

Iam vero, absolute loquendo, potens est Deus utrumque removere ab aliquo qui per viam generationis ex Adam derivatur. Quoad *defectum* quidem ; nam, ut D. Thomas tradit, *II. Sent.* dist. 31. q. 1. a. 2. ad 5. : « Dicendum, quod hoc non potest esse, ut *concupiscentia habitualis,* quae in deordinatione virium animae consistit, *tolleretur ex toto, nisi natura penitus reintegraretur ;* et hoc quidem nulli dubium est quin *Deus facere posset;* et si hoc fieret, procul dubio geniti sine originali peccato nascerentur. » Atque in tali hypothesi iam non concluderet illa ratio quam affert D.Thomas, *II. Sent.* dist. 31. q. i. a. 1. : « Et quia natura deficiens ab eo quod gratis impensum erat, non potest causare hoc quod supra naturam

collatum erat, cum nihil agat ultra suam speciem, ideo sequitur, quod ille, qui generatur ab habente naturam hoc modo deficientem, naturam in simili defectu suscipiat ; quia actus personae secundum conditionem suae naturae procedit et ultra non se extendit. Inde est, quod defectus in ipsam personam generatam redundat. »

Quoad *rationem* vero *voluntarii,* unde ratio culpae oritur. Etenim, ut D. Thomas ibidem adiungit : « Sed ratio culpae inde venit, quia illud quod collatum fuit gratis Adae, sc. originalis iustitia, non fuit sibi collatum personaliter, sed in quantum *talem naturam habebat,* ut *omnes,* sc. in quibus talis ab eo accepta natura inveniretur, *tali dono potirentur ;* et ideo, cum propagatione camis etiam illa originalis iustitia propagata fuisset. In potestate ergo naturae erat, ut talis iustitia semper in ea conservaretur ; sed per voluntatem personae existentis in natura factum est, ut hoc perderetur ; et ideo *hic defectus,* comparatus ad *naturam, rationem culpae* habet in omnibus in quibus invenitur *communis natura* accepta a persona peccante ; et quia per originem camis defectus iste naturali generatione traducitur simul cum natura, ideo etiam et *culpa originalis* per originem camis traduci dicitur ; et quia per voluntatem personae ratio culpae ad naturam transit, ideo dicitur persona naturam infecisse. Quia vero in personis aliis est originale peccatum a prima persona generantis, non est *ratio culpae* ex ipsis, cum non propria voluntate peccatum tale incurrant, sed in quantum *talem naturam* cum *ratione culpae* recipiunt. » Cum igitur iustitia originalis sit donum gratuitum naturae communi collatum *tali tenore* et *talibus conditionibus* ex libera Dei voluntate, manifestum est quod, absolute loquendo, si Deus voluisset, conferre potuisset alicui iustitiam originalem independenter ab Adamo ; ac proinde talis persona, sicut non penderet ab Adamo in iustitia originali consequenda, ita nec ab Adamo pariter penderet in transmissione originalis culpae.

Ergo, sive Deus reintegraret naturam in parentibus vel in came generati ante animationem, sive Deus conferret originalem iustitiam alicui independenter ab Adamo, in

utraque hypothesi homo non contraheret peccatum originale, etiamsi ab Adamo per carnalem generationem derivaretur ; sed talis homo iam non indigeret *personaliter* redemptione.

II

Quonam sensu sit verum et ad fidem catholicam pertineat, quod omnes homines, praeter solum Christum, ex Adam derivati peccatum originale ex eo contrahunt?

Primo : Responsio ipsius D. Thomae. — «) *IV. Sent.* dist. 43. q. i. a. 4. solut. 1. ad 3. : « Dicendum, quod hoc est erroneum dicere, quod aliquis sine peccato originali *concipiatur,* praeter solum Christum ; quia ille qui sine peccato originali conciperetur, non indigeret redemptione quae facta est per Christum ; et sic Christus non esset omnium hominum Redemptor. Nec potest dici, quod non hac redemptione indiguerunt, quia praestitum fuit eis, ut sine peccato conciperentur ; quia *illa gratia* facta est *parentibus,* ut in eis *vitium naturae* sanaretur, quo manente sine originali peccato generare non possent ; vel *ipsi naturae* quae sanata est. Oportet autem ponere, quod quilibet *personaliter* redemptione Christi indigeat, non solum *ratione naturae.* Liberare autem a malo vel a debito absolvi, non potest nisi *qui debitum incurrit* vel *in malum deiectus fuit;* et ita non possent omnes fructum dominicae orationis in seipsis percipere, nisi *omnes debitores nascerentur* et *malo subiecti ;* unde dimissio debitorum et liberatio a malo non potest intelligi quod aliquis *sine debito* vel immunis a malo nascatur ; sed, quia *cum debito natus,* postea per gratiam Christi liberatur. Nec etiam sequitur, si potest sine errore poni quod aliqui non moriantur, quod possit sine errore poni quod aliqui sine originali peccato nascantur, quamvis mors sit poena originalis peccati ; quia Deus potest ex misercordia alicui relaxare poenam ad quam obligatur ex culpa praeterita, sicut adulteram sine poena dimisit, Ioan. 8. ; et similiter poterit liberare a morte eos qui reatum mortis contraxerunt cum originali nascendo ; et sic non sequitur : *Si non moriantur, ergo nascantur sine originali.* »

b) ***II.*** *Sent.* dist. 28. q. 1. a. 2. ad 5. : « Dicendum, quod *mors* non respondet pro *poena* cuilibet peccato, sed peccato primae transgressionis, ex quo tota natura infecta est ; unde, sicut a *necessitate moriendi* homo non liberatur nisi per gratiam, ita et a *necessitate subiacendi* illi peccato per originem a parentibus in posteros transfuso. »

Secundo : Responsio Cardinalis Caietani. — Caietanus etiam in suis *Commentariis* in I.-II. q. 81. a. 3. ita scribit : « In articulo tertio eiusdem octogesimae primae quaestionis adverte *duo* circa *universalitatem* peccati originalis. »

Primum est, quod ad fidem catholicam spectat, quod omnes, praeter solum Christum, contrahant peccatum originale. Quod dictum non intelligendum est aliter quam de morte, quae est poena peccati originalis ; ita quod, sicut *omnes incurrunt mortem,* id est, *necessitatem moriendi,* ita *omnes incurrunt peccatum originale,* id est, *necessitatem habendi peccatum originale.* Et sicut non spectat ad fidem an singuli moriantur actualiter, an divina dispositione aliquis non moriatur, ita non spectat ad fidem an aliquis, ex speciali praerogativa gratiae, non incurrat actualiter originale peccatum. De utroque enim simul inquit Apostolus, Rom. 5, 12. : *Per unum hominem peccatum introivit in mundum, et per peccatum mors.* Est igitur necessarium secundum catholicam fidem credere, quod omnis utriusque sexus, ab Adam secundum rationem seminalem proveniens, ex ipsa sua generatione sit *obnoxius peccato originali.* Et contra Pclagianos, dicentes oppositum, Augustinus disserit et definit. De solo autem Icsu Christo verum est, quod ex ipsa generatione nulli obnoxius est peccato; iuxta verbum Angeli ad Beatam Virginem ante Filii conceptionem, quae vocatur nativitas in utero, dicentis, Luc. 1, 35. : *Quod ex te nascetur sanctum.* Et *iuxta hunc sensum militat ratio Auctoris* (D. Thomae), sc. quia aliter non indigerent redemptione quae per lesum Christum facta est. Si enim peccatum originale, vel *in actu* vel *in necessitate habendi* illud, quis non incurreret, non egeret redemptione : quod haereticum esset dicere. Sed si omnes obnoxii sunt peccato originali, sufficit ad indigentiam redemp-

tionis ; neque enim solum redemptione eget actualiter captivus, sed etiam obnoxius captivitati. Et haec bene notabis tu, Thomista, ne nimis zelo, non secundum scientiam, accensus, erronea dicas quae erronea non sunt, cum de Beatissimae Virginis Conceptione disputas aut praedicas.

Secundum notandum est, quod licet, ut dictum est, ad fidem [1] non spectet tamquam necessario credendum, utrum aliquis actualiter non habuerit, ex speciali gratia, originale peccatum, per hoc non excluditur quin spectare possit tamquam probabile, propter auctoritates sanctorum. In principio namque *Primae Partis* q. i. a. 8. ad 2. distinxit Auctor, quomodo multipliciter aliqua spectent ad Sacram Theologiam. Propter quod oportet sobrie se habere hominem in re hac, sicut et de actuali morte eorum de quibus loquitur Apostolus ad *Thessal.* cap. 4. ; et diabolicas aemulationes, detractiones rixasque, tam sub zeli quam sub pietatis umbra, evitare ; ac Spiritui Sancto obicem non ponere, iureiurando firmando hoc vel illud. » Haec recte ac sapienter Caietanus.

Tertio : Corollaria. — 1. Ergo iuxta fidem catholicam firmiter est tenendum, quod omnes homines, praeter solum Christum, ex Adam derivati, peccatum originale ex eo contrahunt, vel *in actu* vel *in necessitate habendi* illud.

2. Ergo dictum de peccato originali non est intelligendum aliter quam de morte quae est poena peccati originalis ; ita quod, sicut omnes incurrunt mortem, id est, *necessitatem moriendi,* ita omnes incurrunt peccatum originale, id est, *necessitatem habendi* originale peccatum.

3. Ergo ad fidem catholicam pertinet, quod omnes ex Adam derivati per carnalem generationem incurrant saltem *necessitatem habendi* illa omnia quae in peccato originali comprehenduntur ; ideoque *necessitatem* carendi gratia, et *necessitatem incurrendi maculam* quae ad privationem gratiae consequitur, et *necessitatem* moriendi, et *necessitatem* carendi visione divinae essentiae.

[1] Post Bullam dogmaticam *Ineffabilis Deus,* iam ad fidem spectat, quod B. Virgo actualiter non habuit, ut infra ex professo declarabitur

4. Ergo omnes ex Adamo propagati nascuntur *debitores* et malo subiecti, et obnoxii peccato originali, et cum debito originale peccatum habendi ; postea, posterioritate vel temporis vel saltem naturae, per gratiam Christi liberantur.

5. Ergo oportet ponere, quod omnes et singuli ex Adam derivati redemptione Christi indigent, non solum ratione naturae, sed etiam ratione personae.

6. Ergo ad indigendum redemptione quae per lesum Christum facta est, non est necessarium incurrere *actualiter* originale peccatum, sed dumtaxat esse obnoxium originali peccato propter *necessitatem* habendi illud.

7. Ergo, sicut omnes homines ex Adam derivati indigent redemptione quae est per Christum, ita pariter originale peccatum ex Adamo contrahunt nascendo *debitores,* etiamsi aliquis ex speciali gratia originale peccatum *actualiter* non habuerit.

Haec est mens ct doctrina D. Thomae ; et in hoc sensu thesis supra posita nullam prorsus patitur exceptionem ; atque ex modo absoluto, quo Angelicus Doctor loquitur, manifestum est. *Et iuxta hunc sensum,* concludit Caietanus, *militat ratio Auctoris.*

III

In eodem quippe sensu, quo iuxta fidem catholicam firmiter est tenendum omnes homines ex Adam derivatos peccatum originale ex Adam contrahere, tenendum quoque et omnes homines, praeter solum Christum, in Adamo peccasse atque in originali peccato conceptos fuisse, et maculam originalis culpae incurrisse.

Primo : Quia in Adamo peccare idem est ac originale peccatum ex Adam contrahere. — Ita D. Thomas : *a) De Malo,* q. 4. a. 3. ad 2. : « Dicendum, quod, cum peccatum originale sit *peccatum naturae,* non pertinet ad *animam* nisi in quantum est *pars* humanae naturae ; humana autem natura fuit originaliter in Adam secundum aliquam partem sui, sc. secundum *carnem* et secundum *dispositionem* ad

animam ; et secundum hoc dicitur horno in Adam peccasse peccato originali. »

b) IV. C. Gent. cap. 52. : « Secundum hoc igitur verum est dicere, quod, uno peccante, omnes peccaverunt in ipso, ut Apostolus dicit, *Rom.* 5, 19 ; non quod essent *actu* in ipso alii homines, sed *virtute,* sicut in originali principio ; nec dicuntur peccasse in eo quasi *aliquem actum exercentes,* sed in quantum pertinent ad *naturam* ipsius, quae per peccatum corrupta est. »

c) Ibidem : « Considerandum est etiam, quod, licet aliquis per gratiae sacramenta sic ab originali peccato mundetur, ut *ei non imputetur ad culpam,* quod est personaliter ipsum a peccato originali liberari, non tamen *totaliter sanatur;* et ideo secundum actum naturae peccatum originale transmittitur in posteros. Sic igitur in homine generante, in quantum est *persona quaedam,* non est originale peccatum, et contingit etiam in actu generationis nullum esse actuale peccatum; sed in quantum homo generans est *naturale generationis principium, infectio originalis peccati,* quod *naturam* respicit, *in eo manet* et *in actu* generationis ipsius. »

d) Rom. cap. 5. lect. 3. : « Deinde tangit (Apostolus) universalitatem processus peccati, cum dicit : ***In*** *quo omnes peccaverunt ;* quod, sicut Augustinus dicit in *Glossa,* potest dupliciter intelligi : Uno modo, *in quo,* sc. primo homine; vel *in quo,* sc. peccato ; quia sc. eo peccante, quodammodo omnes peccaverunt, in quantum in eo erant sicut in prima sua origine. Sic igitur nos accipimus *peccatum* ab Adam et *trahimus ;* atque naturam humanam ab eo accipimus sicut a *principio activo,* quod est esse in eo secundum seminalem rationem : quod quidem non competit Christo. »

Secundo : Quia hominem in originali peccato conceptum fuisse idem significat ac hominem in Adamo peccasse atque ex Adamo peccatum originale contrahere. — Ita D. Thomas :

a) Comment, in Psalm. 50. ; « *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.* Hic ponit radicem culpae. Radix omnis culpae actualis est *peccatum originale,* quod a parentibus contrahitur infectis illo peccato ; *haec infectio* erat in patre ipsius David et in matre. Quantum

ad patrem dicit : *In iniquitatibus conceptus sum;* non actualibus, quia non de adulterio, sed de matrimonio et sancto lesse natus sive generatus est, ut dicitur in lib. *Ruth,* cap. ultimo ; sed in originali ; nam in hoc peccato omnes nascuntur. Rom. 5, 12. : *Per unum hominem in hunc mundum peccatum intravit.* Sed cum originale sit unum, quare dicit : *I?i iniquitatibus?* Dicendum est, quod peccatum originale est *unum* in essentia, ut sic dicatur, *multa* tamen in virtute ; quia occasionem praebet ad omnia alia peccata... Quantum ad matrem, dicit : *Et in peccatis concepit me mater mea.*

Sed numquid non erant mundati parentes David per circumcisionem ab originali peccato? Dicendum est, quod baptismus et circumcisio mundant animam a culpa originali, sed adhuc remanet fomes, et circumcisio fiebat in carne, et homo generat filios secundum carnem ; et ideo necesse erat, quod iterum filius natus circumcideretur ; et sic modo natus ex parentibus baptizatis baptizatur. Alia littera habet : *Et in peccatis peperit me mater mea.* Et sic, quia quidam sanctificantur in utero ; sed omnes, praeter Christum, conciuntur in originali ; et ideo dicit, quod non sanctificatus est in utero, sed natus in originali. »

ô) I.-II. q. 81. a. 3. : « Ratio autem sumi potest ex hoc, quod supra dictum est in a. i. huius quaestionis, sc. quod sic ex peccato primi parentis traducitur *culpa originalis* in posteros, sicut a voluntate animae per motionem membrorum traducitur *peccatum actuale* ad membra corporis. Manifestum est autem, quod peccatum actuale traducitur ad omnia membra quae nata sunt moveri a voluntate. Unde et *culpa originalis* traducitur ad omnes illos qui moventur ab Adam motione generationis. »

c) *De Malo,* q. 4. a. 6. : « Dictum est enim supra, quod *peccatum originale* hoc modo comparatur ad *totam naturam humanam* ex Adam propagatam, sicut *peccatum actuale* comparatur ad *unam personam hominis singularem,* ac si omnes homines, in quantum ab Adam derivantur, sint *unus homo,* cuius membra sint *diversae personae.* Manifestum est autem, quod peccatum actual·; primo invenitur in aliquo principio, sc. in *voluntate,* quae primo est susceptiva peccati, ct ab

ea derivatur in alias potentias animae et etiam in membra corporis secundum quod moventur a voluntate ; sic enim actus sunt *voluntarii* qui exiguntur ad rationem peccati. Sic ergo et peccatum originale primo considerandum est in Adam ut in *quodam 'principio* a quo derivatur ad omnes qui ab eo *moventur.* Sicut autem moventur partes unius hominis per imperium voluntatis, ita movetur filius a patre per vim generativam ; unde Philosophus dicit, in ***II.*** *Physicor.* quod pater est causa filii ut *movens;* et in lib. II. *De generat, animal,* dicitur, quod in semine est *quaedam motio* ab *anima* patris quae *movet* materiam ad formam concepti. Sic ergo huiusmodi *motio* quae est per originem a primo parente derivatur in omnes qui seminaliter ab eo procedunt ; unde omnes qui seminaliter ab eo procedunt, *contrahunt* ab eo originale peccatum. »

Tertio : Quia maculam originalis culpae incurrere idem significat ac originale peccatum ex Adamo contrahere atque in Adamo peccasse et in peccato originali conceptum fuisse.

Ita D. Thomas : *a) De Pol.* q. 3. a. 6. ad 23. : « Dicendum, quod *macula* in anima non ponit naturam aliquam, sed *solam gratiae privationem,* tamen respectu ad actum peccati praecedentem, qui huius privationis *causa* fuit vel esse potuit ; et sic non oportet, quod habeat maculam alicuius peccati qui actum peccati illius non commisit. »

b) I.-II. q. 86. a. 1. : « Habet autem anima hominis duplicem nitorem : unum quidem ex *refulgentia luminis naturalis* rationis, per quam dirigitur in suis actibus ; alium vero, ex *refulgentia divini luminis,* sc. sapientiae et gratiae, per quam etiam homo perficitur ad bene et decenter agendum. Est autem quasi *quidam animae tactus,* quando inhaeret aliquibus rebus per amorem. Cum autem peccat, adhaeret aliquibus rebus contra lumen rationis et divinae legis. Unde ipsum detrimentum nitoris, ex tali contactu proveniens, *macula* animae metaphorice vocatur. Anima non inquinatur ex rebus inferioribus virtute earum, quasi agentibus eis in animam ; sed magis e converso, anima sua actione *se inquinat,* inordinate eis inhaerendo contra lumen rationis et divinae

legis. *Macula* non est aliquid positive in anima, nec significat *privationem solam,* sed significat *privationem quamdam nitoris animae in ordine ad suam causam,* quae est *peccatum;* et ideo diversa peccata diversas maculas inducunt ; et est simile de umbra, quae est privatio luminis ex obiecto alicuius corporis, et secundum diversitatem corporum obiectorum diversificantur umbrae. »

c) Caietanus, in I.-II. q. 86. a. i. : « *Macula* sumitur dupliciter : i° pro privatione coniunctionis ad Deum ex peccato ; 2° pro privatione nitoris. Et si hoc secundo modo sumitur, non est *id* quo formaliter post actum dicitur quis peccator, sed *effectus* eius. Est namque peccator *privatione* conversionis ad Deum, quam sequitur *detrimentum* nitoris. Anima namque Deo iuncta per charitatem, conformatur Deo, convertitur ad illum, coniungitur illi, illuminatur ab illo, fulget ex illo. Et per oppositum, *privatio* coniunctionis ex peccato, opposita facit ; et *elongatio, dissimilitudo, aversio, maculaque* dicitur. »

Quarto : Corollaria. — i. Ergo omnes istae propositiones, et si quae sunt aliae huiusmodi, nimirum : *a) In Adamo Peccare; b) in -peccato originali conceptum fuisse; c) maculam originalis culpae incurrere; d) peccatum originale ex Adamo contrahere,* unam eandemque rem quoad substantiam quaestionis significant atque in eodem sensu veniunt intelligendae, unumque et idem sub diversis verbis exprimunt, nempe : *privationem seu carentiam iustitiac originalis* simul ac omnia quae in huiusmodi privatione includuntur atque ex ea necessario derivantur.

2. Simili ergo modo, ad indigentiam redemptionis quae per Iesum Christum facta est, non opus est incurrere maculam seu inquinari contagio originalis culpae *actu* sive de *facto,* sed solummodo habere necessitatem praedictam maculam incurrendi ; sicut de peccato ipso dictum manet.

3. Ergo, sicut peccatum originale non est peccatum personae, sed *-peccatum totius naturae,* quod eatenus personam attingit quatenus talis persona talem naturam habet, ita pariter *macula* seu *labes* originalis culpae non est macula

personae, sed totius humanae naturae ex qua derivatur ad ipsam personam talem naturam habentem ac in tali natura complete constituta subsistentem.

4. Sic igitur ab Adam *maculam* primi peccati accipimus et trahimus, sicut ab eo simul cum natura *culpam* accipimus et contrahimus, nempe tamquam a *principio activo* humanae naturae, in quo omnes homines erant sicut in prima sua origine.

5. Nec dicendum est omnes homines peccare in Adam vel ex Adamo peccatum contrahere aut maculam originalis peccati incurrere propter hoc, quod voluntates omnium hominum essent veluti clausae in voluntate primi parentis; etenim homines minime dicuntur peccare in Adamo quasi *aliquem actum exercentes,* sed in quantum pertinent ad *naturam* Adami quae per peccatum corrupta est.

6. Omnes dicuntur in Adam peccasse, ex Adam peccatum contrahere, maculam primi peccati incurrere ; quia omnes moventur ab Adamo motione generationis, et omnes, in quantum ab Adamo derivantur, sunt *unus homo,* cuius membra sunt diversae personae.

7. *Causa* autem, per quam *macula originalis* relinquitur in anima, est ipsa propagatio humanae naturae. Humana autem natura traducitur a parente in filium per traductionem carnis, cui postmodu animam infunditur ; et ex hoc *infectionem incurrit,* quod fit, cum carne traducta, *una natura.* Originali culpae debetur poena secundum hoc quod culpa est ; et *hoc* non habet ex unione animae ad corpus, sed *ex voluntate* primi parentis, quod culpa sit*.

II. Sent. dist. 32. q. 2. a. 1. et 2. — *De Pot.* q. 3. a. 9. ad 3.

CAPUT QUARTUM

Quomodo originale peccatum divinitus tollatur atque per auxilium gratiae infectio naturae seu fomes peccati possit quoque ex toto tolli.

In quo conveniant et in quo differant duo pueri, quorum alter ex Adamo derivatus in originali nascatur, alter vero a Deo ex limo terrae formatus in conditione naturae suae esset relictus.

In quo conveniant. — Ad maiorem horum omnium, quae in peccato originali continentur, declarationem, et ut recte faciliusque capiatur qualiter defectus originalis iustitiae in his, qui ex primo parente prodierunt, *rationem culpae* et *poenae* possit habere, ipsemet Angelicus Doctor facit hanc comparationem inter homines qui ex Adam generantur, et *hominem alium* quem poterat Deus ex limo terrae formare ac in conditione naturae suae relinquere h Supponendo ergo duos pueros, in quibus nullum personale peccatum adhuc repentur, et quorum alter ex Adam per viam generationis derivatur, alter vero a Deo ex limo terrae formatus in conditione suae naturae sit relictus, habebitur :

i. In utroque est absentia gratiae ; in utroque carentia originalis iustitiae ; in utroque proinde deest illa rectitudo primi status in qua Deus hominem fecit, et secundum quam ratio subdebatur Deo, rationi vero inferiores vires, et animae corpus. (I. q. 95. a. 1.) Consequenter :

1 *II Sent.* dist. 31. q. 1. a. 2. ad 3.

BELLARMINE LIBRARY
Mary's College
ST. MARYS, KANSAS

2. In utroque etiam quatuor illae potentiae animae, quae possunt esse subiecta virtutum, sc. ratio in qua est prudentia, voluntas in qua est iustitia, irascibilis in qua est fortitudo, concupiscibilis in qua est temperantia, manent quodammodo destitutae proprio ordine quo naturaliter ordinantur ad virtutem. Ratio quidem, destituta suo ordine ad verum ; voluntas, destituta suo ordine ad bonum ; irascibilis, destituta suo ordine ad arduum ; concupiscibilis, destituta suo ordine ad delectabile moderatum ratione. (I.-II. q. 85. a. 3.)

3. In utroque perinde eadem prorsus seu fere eadem[1] difficultas ad prosequendum bonum et pronitas in malum.

1 Diversae reperiuntur sententiae etiam apud Thomistas, quorum quidam cum Gonet et aliis asserunt hominem in *statu natural lapsae,* non habentem peccatum actuale, sed solum originale, nullo modo esse *debiliorem* ad bonum morale ordinis naturalis, quam esset in *statu naturae purae.* Quidam vero cum Alvarez, Lemos, Contenson, Goudin et aliis, dicunt : « Vires naturales hominis ad bonum morale ordinis naturalis in statu naturae lapsae nondum reparatae, non sunt imminutae intrinsece et quoad entitatem ; probabilius est tamen esse minus habiles ad bonum morale extrinsece et ex appositione impedimenti, quod non luisset in natura pura, atque hoc sensu posse dici *minores* quam fuissent in natura pura. Conclusio quoad utramque partem deducitur ex variis locis D. Thomae. » (Billuart, tract. *De Gratia,* dissert. 2. pracambula, art. 3.). — Caietanus in I.-II. q. 109. a. 2. ait : « Differentia inter naturam in puris naturalibus et naturam lapsam, tanta est quanta est inter *personam nudam* ab initio et *personam exspoliatam.* Et hoc dico secundum rem ; secundum rationes vero rerum, multa adveniunt. Sicut enim persona nuda et persona spoliata non distinguuntur in hoc quod una sit magis aut minus nuda, ita natura in puris naturalibus, et natura spoliata gratia et iustitia originali, non differunt per hoc quod altera carum sit magis aut minus in naturalibus destituta... Sed quantum ad rationes rerum magna differentia est. Quia sicut in persona nuda *nuditas* negationis rationem habet, in exspoliata vero habet rationem privationis vestis debitae conservari etc., ita *defectus* animae et corporis naturae in puris naturalibus, nec *culpae* et *poenae,* nec *vulnerum* etc. rationem habent, sed naturalium conditionum ; in natura autem lapsa habent rationem *corruptionum, vulnerum, poenae* et *culpae* in parte susceptiva illius. Unde patet, quod quantum ad sufficientiam naturae humanae ad opera naturae proportionata, idem est indicium de natura in puris naturalibus, et de natura lapsa ; quia utrobique vires sunt aeque dispositae. » Atque in III. q. 15. a. 2. addit ad hoc ipsum propositum : « Differentia inter animam Christi et aliorum, est quod *anima* Christi est secundum quod erant animae in *statu innocentiae,* quantum ad elongationem a peccato ; *animae* vero reliquorum, quantumcumque sanctificatorum in utero, in hac vita sunt sicut anima hominis, qui *incidit in latrones,* et non *solum exspoliatus est gratuitis,* sed *vulneratus in naturalibus.* Et ideo in anima Christi, secundum sc, sola naturalis inclinatio partis sensitivae in bonum sibi consonum erat per virtutem subiicicnda perfecte rationi, ut nulla fomitis ratio maneret in eo. In aliis autem non solum est *naturalis inclinatio* partis sensitivae in bonum sibi consonum, sed *talis inclinatio* est *vulnerata.* Et propterea non sufficit in aliis ad tollendum fomitem perfectio virtutis ; sed *speciali* est opus *gratia sic sanante,* ut extinctus sit fomes peccati. Quod soli Beatae Virgini in hac vita concessum credimus. »

4. In utroque similiter passibilitas et corruptibilitas et mors et alii defectus corporales, omnibus hominibus communes, ut dolor, fames, sitis, fatigatio et huiusmodi, unde vita corporis est voluti quaedam corruptio continuata quae terminatur ad mortem.

5. Et in utroque pariter post mortem, carentia seu privatio visionis Divinae Essentiae.

In quo differant. — Verumtamen differunt :

1° Quia in puero quem a Deo formatum ex limo terrae et in conditione suae naturae derelictum praesupponimus, privatio gratiae est sola et simplex gratiae privatio quae non debetur naturae in se consideratae ; et carentia originalis iustitiae est simpliciter mera carentia quae nihil ponit nihilumque abstulit. In puero autem ex Adam generato carentia originalis iustitiae dicit privationem gratiae et aliorum donorum ; sed cum respectu ad actum peccati praecedentem, qui huius privationis causa fuit.

2° Ideo in puero ex Adam nato privatio iustitiae originalis habet *rationem culpae,* quia causatur ex voluntate primi parentis ; in altero autem puero rationem culpae non habet, cum non comparetur ad voluntatem sicut ad causam.

30 Similiter in puero ab Adam derivato vires animae, quatenus iustitia originali privatae, vere dicuntur *vulneratae ;*

et destitutiones rationis ad verum, et voluntatis ad bonum, et irascibilis ad arduum, et concupiscibilis ad delectabile ratione moderatum, quatuor sunt *vulnera* inflicta toti humanae naturae ex peccato primi parentis ; in altero autem puero iste defectus naturalis est, et nec rationem culpae nec rationem poenae habet, quia non per voluntatem est causatus.

40 In puero ex Adam derivato difficultas ad bonum et pronitas ad malum vocatur *fomes 'peccati,* eo quod, licet peccatum secundum se non sit, oritur tamen ex peccato et inclinat ad peccatum ; in altero autem puero nec *jomcs peccati* potest dici, nam quamvis ad peccatum quodammodo inclinet, ex peccato tamen non trahit originem.

50 Puer etiam qui ab Adam descendit, dicitur vere *incurrere* et peccatum et peccati maculam et peccati poenam, quia ab Adam sicut a principio activo descendit ; alter vero puer qui naturam humanam ab Adam non accipit, nec culpam originalem incurrit nec praedictos defectus sub ratione maculae aut poenae, cum non comparentur ad voluntatem sicut ad causam.

6° Passibilitas, corruptibilitas, dolor, fames, sitis, mors et omnes huiusmodi defectus in filio Adami *culpabiles* sunt per comparationem ad primum principium, quod est peccatum Adae, et *poenales* sunt per comparationem ad personam, et *naturales* sunt per comparationem ad naturam iam destitutam. In altero autem puero praedicti defectus sunt *pure naturales,* quoniam ex principiis naturae causantur ; talis namque puer est mortalis, est passibilis et pugnam concupiscentiae ad rationem sentiens ; in quo tamen nihil humanae naturae derogatur, quia hoc ex principiis solius naturae consequitur.

70 Similiter, « homo in solis naturalibus constitutus careret quidem visione divinae essentiae, si sic decederet ; sed tamen non competeret *debitum non habendi.* Aliud est enim *non debere habere,* quod non habet rationem poenae, sed defectus tantum ; et aliud *debere non habere,* quod habet rationem poenae. » *[Dc Malo,* q. 5. a. 1. ad 15.) « Carentia divinae visionis dupliciter competit alicui : Uno modo sic

quod non habeat in se unde possit ad divinam visionem pervenire, et sic carentia divinae visionis competeret ei qui m solis naturalibus esset etiam absque peccato ; sic enim *carentia* divinae visionis non est *poena,* sed *defectus* consequens omnem naturam creatam ; quia nulla creatura ex suis naturalibus potest pervenire ad visionem divinam. Alio modo, ut habeat in se *aliquid ex quo debeatur ei* quod careat visione divina ; et sic *carentia* visionis divinae est *poena* et originalis et actualis peccati. » *[De Malo,* q. 4. a. 1. ad 14.) Inde :

8° Puer a Deo ex limo terrae formatus et conditioni suae naturae derelictus, *non debet habere* iustitiam originalem, nec gratiam, nec gloriam, nec visionem divinae essentiae, quia haec omnia non debentur humanae naturae in se consideratae ; puer vero ex Adam generatus, *debet non habere* iustitiam originalem, et gratiam, et gloriam et praemium vitae aeternae, quia competit ei *debitum non habendi* et est in eo *aliquid ex quo debetur ei* quod careat supernaturalibus donis gratiae et gloriae. Inde :

90 Puer ex Adam derivatus indiget redemptione et salute quae est per Christum ; alter vero puer non indiget redemptione nec salute quae est per Crucis mysterium, etiamsi indigeat gratia ad gloriam assequendam. *[II. Sent.* dist. 31. q. i. a. 2. ad 3.)

Qualiter defectus iustitiae originalis habeat rationem culpae et rationem poenae in his qui ex primo parente prodierunt.

a) Quoad rationem culpae. — D. Thomas, *Comp. Theolog.* 201 : « Haec quaestio de facili solvitur, si distinguatur inter *personam* et *naturam.* Sicut enim in una persona multa sunt membra, ita in unà humana natura multae sunt personae, ut participatione speciei multi homines intelligantur *quasi unus homo,* ut Porphyrins dicit. Est autem hoc advertendum in peccato unius hominis, quod diversis membris diversa peccata exercentur; nec requiritur ad rationem culpae, quod singula peccata sint voluntaria voluntate membrorum quibus exercentur, sed voluntate eius quod est in homine principale.

sc. intellectivae partis. Non enim potest inanus non percutere aut pes non ambulare, voluntate iubente. Per hunc igitur modum *defectus originalis iustitiae* est *peccatum naturae,* in quantum derivatur ex *inordinata voluntate* primi principii in natura humana, sc. primi parentis; et sic est *voluntarium* habito respectu ad naturam, voluntate sc. primi principii naturae ; et sic transit in *omnes* qui ab ipso naturam humanam accipiunt, quasi in *quaedam membra* ipsius ; et propter hoc dicitur *originale peccatum,* quia per originem a primo parente in posteros derivatur; unde, cum alia peccata, sc. *actualia,* immediate respiciunt *personam peccantem,* hoc peccatum directe respicit *naturam.* Nam *primus parens* suo peccato infecit *naturam;* et *natura infecta* inficit *personam* filiorum, qui ipsam a primo parente suscipiunt. »

ô) Quoad poenam. — D. Thomas ibidem, cap. 100. : « Et quia praedictum originalis iustitiae bonum sic humano generi in primo parente divinitus attributum fuit, ut tamen per ipsum derivaretur in posteros (remota autem causa, removetur effectus) consequens fuit ut, primo homine praedicto bono per proprium peccatum privato, omnes posteri privarentur ; et sic de cetero, scilicet post peccatum primi parentis omnes absque originali iustitia et cum defectibus consequentibus sunt exorti. Nec hoc est contra ordinem iustitiae, quasi Deo puniente in filiis quod primus parens deliquit ; quia *ista poena* non est nisi *subtractio eorum* quae supernaturaliter primo homini divinitus sunt concessa, per ipsum in alios derivanda ; unde aliis *non debebantur,* nisi *quatenus per primum parentem in eos erani transitura;* sicut si rex det feudum militi transiturum per ipsum ad haeredes ; si miles contra regem peccat, ut feudum mereatur amittere, non potest postmodum ad cius haeredes devenire : unde iuste privantur posteri per culpam parentis. » Vide *II. Sent.* dist. 31. q. 1. a. 1. et 2.

II

Quomodo peccatum originale deleatur seu tollatur per gratiam quae confertur in Baptismo.

I 1

Doctrina D. Thomae.

a) II. Sent. dist. 32. q. 1. a. 1. : « Respondeo : dicendum, quod de remissione *culpae originalis* oportet nos loqui proportionaliter ad remissionem *cidpae actualis.* Ex *actu* enim *peccati* duplex effectus in peccante relinquitur, sc. *privatio gratiae* ex ratione aversionis a fine, et *dispositio quaedam* ad similem actum, quam actus peccati inducit ex ratione conversionis ; et ex hoc ipso, quod gratia privatus est propria voluntate, *reatum poenae* incurrit ; unde, gratia sibi restituta, simul et *macula illa* tollitur quae in defectu gratiae consistebat, et *obligatio* ad poenam quae reatus dicitur ; *dispositio* vero ex actu peccati inducta non ex toto statim tollitur, sed minuitur, in quantum gratia inclinat ad contrarium illius dispositionis ; sed postmodum per consuetudinem bonorum operum etiam illa dispositio tollitur. Similiter etiam ex *actu naturae,* qui est carnis propagatio, relinquitur *quaedam dispositio* inclinans ad malum in ipsa natura generati, quae *concupiscentia* vel *fomes* dicitur ; et ex hoc ipso, quod illa naturae corruptio, in se virtutem peccati, ex quo causata est, continens, *personam* attingit, *ipsam indignam* Dei gratia efficit ; unde relinquitur *macula* et *defectus gratiae* in anima ; et per hoc etiam ad *reatum* poenae obligatur, ut sc. praemio illo careat quod gratiae debeatur. Per baptismum autem *gratia* confertur, cuius virtute *illa infectio* ab homine tollitur, quae ex natura in *personam* devolvebatur ; et secundum hoc anima purgatur a *macula* culpae et, per consequens, solvitur *reatus* poenae. Illa autem dispositio ad malum, quae *fomes* et *concupiscentia* dicitur, non ex toto tollitur ; quia illa dispositio sequitur conditionem naturae ; baptismus autem non purgat *naturam* nisi in quantum pertinet ad *infectionem personae;* et ideo illa

dispositio ex toto non tollitur usque ad statum beatitudinis, quo natura perfecte curabitur ; sed tamen dispositio illa per baptismum *minuitur,* in quantum gratia, quam quis in baptismo consequitur, in contrarium inclinat ei ad quod fomes disponebat ; et ita virtus fomitis in nobis minuitur per auxilium gratiae. »

b) III. q. 69. a. 3. : « Respondeo : dicendum, quod baptismus habet virtutem auferendi poenalitates praesentis vitae, non tamen eas aufert in praesenti vita ; sed eius virtute auferentur a iustis in resurrectione, quando *mortale hoc induet immortalitatem,* ut dicitur I. Cor. 15, 34. Peccatum originale hoc modo processit, quod primo *persona* infecit *naturam,* postmodum vero *natura* infecit *personam.* Christus vero converso ordine prius reparat *id* quod *personae* est, et postmodum simul in omnibus reparabit *id* quod *naturae* est. Et ideo culpam originalis peccati et etiam poenam carentiae visionis divinae, quae respiciunt personam, statim per baptismum tollit ab homine ; sed poenalitates praesentis vitae (sicut mors, fames, sitis et alia huiusmodi) respiciunt naturam, ex cuius principiis causantur, prout est destituta originali iustitia ; et ideo isti defectus non tollentur, nisi in ultima repaiatione naturae per resurrectionem gloriosam ».

c) *II. Sent.* dist. 32. q. 1. a. 2. : « Respondeo : dicendum quod peccatum originale est primo et per se *infectio naturae,* et per consequens *inficit personam* secundum quod dispositio naturae in personam redundat ; et secundum hoc duplex poena originali debetur : Una *in quantum personam inficit,* sc. carentia divinae visionis ; visio enim divina actum quemdam designat ; actus autem omnis personae est, quia actus individuorum sunt, ut Philosophus dicit ; unde et carentia visionis ad personam referenda est, cum opposita sint circa idem. Alia poena debetur sibi in *quantum naturam inficit,* sicut necessitas moriendi, passibilitas, rebellio carnis ad spiritum, et huiusmodi : quae omnia ex principiis naturae causantur, et speciem totam consequuntur, nisi miraculose aliquid contingat. Dicendum est ergo, quod baptismus infectionem originalis mundat, secundum quod infectio naturae

in personam redundat ; et ideo per baptismum illa poena tollitur quae personae debetur, sc. carentia divinae visionis ; non autem baptismus removet infectionem naturae, secundum quod ad naturam per se refertur ; sed hoc erit in patria, quando nostra natura perfectae libertati restituetur ; et ideo oportet, quod remaneat illa poena post baptismum quae culpae originali debetur secundum quod naturam inficit ; et huiusmodi est *fomes, necessitas moriendi,* et huiusmodi. »

I 2

Adnotanda.

i. : Ordo processus in transmissione peccati originalis. — Ante omnia, valde notandus processus in transmissione peccati originalis, iuxta doctrinam Angelici Doctoris supra transcriptam ; in quo quidem processu talis ordo servatur :

«) Actus naturae, qui est *carnis propagatio,* absque quo non datur initium nec instrumentalis causa peccati originalis transmittendi, et quo posito ponitur simul ratio huiusce transmissionis.

δ) Ex praedicto naturae actu, quo humana natura propagatur in posteros, relinquitur *quaedam dispositio inclinans ad malum in ipsa natura generati,* quae *concupiscentia vel fomes* dicitur. Nam, licet semen generantis non habeat in se infectionem culpae in actu, habet tamen in virtute, ac de corpore patris, iustitia originali destituto, generatur corpus filii tali quoque ordine destitutum. Cum ergo peccatum originale, per se loquendo, sit *naturae vitium,* non potest causari per id quod est personae per se, sed solum per id quod naturae debetur.

c) Et ex hoc ipso, quod *illa naturae corruptio,* in se *virtutem peccati,* ex quo causata est, continens, *personam* attingit, ipsam *indignam Dei gratia* efficit. Peccatum equidem originale trahitur ex origine, in quantum per eam communicatur humana natura quam proprie respicit peccatum originale : quod quidem fit, quando proles concepta animatur. Quando ergo proles concepta animatur, *humana persona* constituitur

ex unione animae ad corpus cuius est forma substantialis; atque ex unione animae ad carnem cui infunditur, ipsa persona humana ita constituta efficitur *indigna Dei gratia.*

d) Ex eo, quod humana persona subsistens in natura humana ex Adam per viam generationis propagata, efficitur *indigna Dei gratia,* competit ei *debitum non habendi* gratiam seu iustitiam originalem in qua gratia iustificans includebatur; etenim talis persona est veluti membrum totius naturae humanae, et est *unus homo* cum Adamo ex quo trahit suam humanam naturam, et simul cum natura contrahit et habet in se *aliquid, ex* quo debetur ei quod privetur supematuralibus donis quae primo parenti ita fuerant collata, ut simul cum natura ad omnes suos posteros transmitterentur.

e) Unde relinquitur *dejectus gratiae* in anima et *carentia originalis iustitiae* in omnibus animae potentiis et in ipso corpore ; ac perinde ex ipso defectu gratiae in anima provenit *macula* 1 ; atque ex ipsa privatione originalis iustitiae cum fomite seu concupiscentia sequitur id quod est *formale* et *id* quod est *materiale* in originali peccato.

f) Ac per hoc, ex defectu gratiae in anima, etiam ad

1 Omni peccato, eo modo quo est peccatum, respondet macula. Unde D. Thomas, III. q. 87. a. 2. ad 3. : « Sicut in corpore contingit esse maculam dupliciter : *uno modo* per privationem eius quod requiritur ad decorem, puta, debiti coloris aut debitae proportionis membrorum ; *alio modo,* per superinductionem alicuius impedientis decorem, puta, luti aut pulveris : ita etiam animae inducitur *macula, uno modo* per privationem decoris gratiae, per *peccatum mortale; alio modo,* per inclinationem aflectus inordinatam ad aliquid temporale, ct hoc fit per *peccatum veniale.* Et ideo ad tollendam maculam peccati mortalis requiritur infusio gratiae ; sed ad tollendam maculam venialis peccati requiritur aliquis actus procedens ex gratia, per quam removetur inordinata adhaesio ad rem temporalem, » In rigore tamen loquendo, peccato veniali, eo ipso quod non tollit gratiam sanctificantem, non respondet macula proprie dicta. Unde ipse D. Thomas in *Expositione Psalmi 14.* ait : « *Qui ingreditur sine macula Sine macula,* sc. mortali ; quia peccatum veniale non habet maculam proprie. » — Vide I.-II. q. 86. — Et I -II. q. 89. a. 1. : « Unde, *proprie loquendo,* peccatum veniale non causât maculam in anima. Et si alicubi dicatur maculam inducere, hoc est *secundum quid,* in quantum impedit nitorem qui est ex actibus virtutum. »

reatum poenae obligatur, ut sc. praemio illo careat quod gratiae debebatur ; atque ex destitutione originalis iustitiae in potentiis animae, oritur etiam conflictus quo caro concupiscit adversus spiritum, ct spiritus adversus carnem.

g) Itaque originale causatur in anima ex conjunctione eius ad *tale corpus,* prout forma est ; sic enim ex utrisque coniunctis *talis natura* resultat ; quapropter peccatum originale est primo et principaliter in essentia animae tamquam in subiecto. Originale non transit in animam secundum quod coniungitur corpori ut *motor,* sed secundum quod coniungitur sibi *ut forma ;* quia sic humanam naturam constituit.

Λ) Causa autem, per quam *defectus gratiae* et *macula* relinquitur in anima, est ipsa propagatio humanae naturae ; quia huiusmodi defectus contrahuntur ex unione animae ad corpus. \/erumtamen, *originalis culpa* non habet quod sit *culpa* ex unione animae ad corpus ; nam caro non inficit nisi in quantum est principium activum in generatione ; sed ex *voluntate* primi parentis, cum quo omnes homines, ex eo derivati, sunt *unus homo,* habet quod *culpa* sit. Ex voluntate namque primi parentis causantur praedicti defectus in omnibus qui ab eo naturam accipiunt ; et cum ad talem voluntatem sicut ad causam comparantur, rationem culpae et poenae habent. Defectus originalis non habet rationem culpae ex hoc quod de necessitate trahitur per seminalem generationem, sed ex hoc quod natura est infecta infectione quae reputatur *voluntaria* propter sui principium. *(De Malo,* q. 4. a. 6. ad 12.)

2. Quot et quanta claudantur in ratione peccati originalis. — In peccato equidem originali tot et tanta claudi oportet, quanta et quot claudebantur in originali iustitia, cuius est privatio. Iam vero, ut Caietanus scribit I.-II. q. 82. a. 3. : « Originalis iustitia dicit tria, sc. : donum supernatural ; sublectionem mentis ad Deum ; rectum ordinem voluntatis et omnium potentiarum animae ad bonum. Et per oppositum, privatio iustitiae originalis *multipliciter* potest sumi, *ut privat hoc vel illo.* Et licet Auctor alibi dixerit

(De Malo, q. 4. a. 2. ad 7.) quod uterque defectus voluntatis, sc. *subiectionis* ad Deum et *dispositionis* ad bonum obiectum, spectat ad formale originalis peccati, in hoc tamen loco aut defectum nullum voluntatis, aut solius subiectionis ad Deum, posuit claudi sub formali originalis peccati... Sicut cum loquimur de iustitia originali, non de illo tantum tfow loquimur, sed de *ipsa sublectione mentis* ad Deum quae per illam fit, dum dicimus quod iustitia originalis consistit in subiectione mentis ad Deum, ab effectu donum illud declarantes : ita, cum dicitur *privatio originalis iustitiae,* potest intelligi cum *privatione primi effectus.* Et potest Littera concordari, distinguendo quod ad *formale peccati* originalis aliquid spectat primo, et aliquid secundario. Et quod formale primo est *sola privatio doni illius* quod subdebat mentem, et praecipue voluntatem, Deo ; secundario autem est etiam *ipsa privatio ipsius subiectionis....* Sola privatio iustitiae originalis, non in quacumque parte animae, sed in suprema, quae exprimitur per primum effectum, sc. privationem subiectionis voluntatis ad Deum, est formale in originali peccato.... Et quoniam privatio iustitiae originalis in supremo animae non est eius privatio secundum quid, immo est privatio principalis, et *totius virtualiter,* quoniam ex illa sequitur totius privatio : ideo absolute verum est, quod privatio originalis iustitiae est formale in peccato originali... » In peccato igitur originali clauduntur :

a) ex parte causae instrumentalis, actus naturae qui est carnis propagatio, prout ex tali propagatione relinquitur in natura generati *naturae ipsius corruptio* in se virtutem peccati, ex quo voluntarie a primo parente causata est, continens.

&) ex parte effectus in persona generati : i° ex natura infecta inficitur *persona,* quae ex ipsa naturae corruptione efficitur *indigna Dei gratia* ;2° defectus gratiae in ipsa anima; 30 macula resultans ex defectu gratiae ; 40 defectus rectitudinis in voluntate ; 50 defectus rectitudinis in inferioribus animae viribus ; 6° poena quae debetur peccato originali in quantum *personam* inficit, sc. carentia divinae visionis; 70 poena quae debetur peccato originali in quantum *naturam*

inficit, sc. fomes seu rebellio carnis ad spiritum, passibilitas, necessitas moriendi.

Unde D. Thomas, *De Malo,* q. 4. a. 2. : « Dicendum est, quod, cum peccatum originale sit *peccatum naturae,* sicut natura humana ex multis partibus componitur, ita *multa* conveniunt ad originale peccatum, sc. defectus diversarum partium humanae naturae. »

3. Quaenam ex his multis, quae in originali peccato includuntur, tollantur per gratiam baptismi. — Per infusionem itaque divinae gratiae, quae est perfectio personae, tollitur illa naturae infectio quae ex natura in personam devolvebatur, ac perinde : 1° tollitur defectus seu privatio gratiae, cuius indigna erat persona ex hoc, quod ab Adamo talem naturam acceperat et habebat, atque ex indigna efficitur a Deo digna per ipsammet gratiam quae ab ipso infunditur ; 2° ut D. Thomas dicit, I.-II. q. 114. a. 5. ad 2. : consequenter remittitur culpa ; 30 deletur macula ; 40 consequenter solvitur reatus poenae et redditur ius ad praemium quod gratiae debetur ; 50 reintegratur subiectio mentis ad Deum ac rectitudo ipsius voluntatis ; 6° minuitur dispositio illa ad malum quae *fomes* et *concupiscentia* dicitur, sed non ex toto tollitur, quia illa dispositio sequitur conditionem naturae, et baptismus non purgat naturam nisi quantum pertinet ad infectionem personae ; 70 ac perinde non tolluntur, sed remanent illae poenae quae debentur originali peccato secundum quod naturam inficit, ut passibilitas, fames, sitis, dolor, necessitas moriendi.

II. Sent. dist. 32. q. 1. a. 1. ad 1. : « In originali iustitia erat aliquid quasi formale, sc. ipsa rectitudo voluntatis ; et secundum hoc sibi opponitur culpae deformitas. Erat in ea aliquid quasi materiale, sc. ordo rectitudinis impressus in inferioribus viribus ; et quantum ad hoc opponitur sibi concupiscentia et fomes. Quamvis ergo non restituatur originalis iustitia quantum ad *id* quod *materiale* in ipsa erat, restituitur tamen quantum ad rectitudinem voluntatis ex cuius privatione *ratio culpae* inerat ; et propter hoc id quod culpae est, tollitur per baptismum, sed aliud poenale remanet. »

111

Qualiter, absolute loquendo, per Dei gratiam ex toto possunt tolli vel impediri omnia quae in originali peccato importantur.

Primo : Per Dei gratiam fomes peccati ex toto potest tolli. — *II. Sent.* dist. 32. q. i. a. 2. ad 2. : « In omni effectu quod per se iustitiae est, potentior est gratuita iustitia quam originalis ; sed excludere huiusmodi poenalitates (rebellio camis ad spiritum, corruptio, passibilitas) non est effectus iustitiae in quantum iustitia est, sed fuit effectus originalis iustitiae *ratione cuiusdam accidentis* sibi annexi, in quantum sc. fuit continuata et non interscissa in natura humana; decuit enim, ut, sicut anima sine interruptione in Deum dirigebatur per iustitiam, ita etiam corpus animae sine interruptione totaliter obediret ; et ideo non oportet, quod ille effectus gratuitae iustitiae conveniat, cum facta fuerit interruptio rectitudinis humanae naturae ad Deum. » Ad 4. : « *Simpliciter* loquendo, melius esset homini fomite carere quam ipsum habere ; constat enim quod ex *abundatio. gratiae* fit in aliquibus, quod a fomite liberantur. Sed quoad *aliquid,* et quantum ad aliquem statum hominis, expedit fomitem habere, ne in superbiam elatus cadat. » Ad 5. : « Quantumcumque de *gratia baptismati* infundatur, nunquam tamen potest hoc efficere, ut *ex toto tollat fomitem ;* quia gratia illa non est ordinata nisi ad curandum infectionem personae ex infectione naturae procedentem. Posset tamen Deus *alterius generis gratiam* infundere, per quam totum tolleretur; ut sic simul, et personae et naturae infectio, gratiae cederet. »

Secundo : Per Dei gratiam possunt praeservari ab omnibus quae habent rationem poenae in peccato originali omnes qui in peccato originali nascuntur. — *II. Sent.* dist. 31. q. i. a. 2. ad 2. .«Si tamen detur,quod non morientur (quidam homines in fine mundi), non sequitur, quod sine culpa originali nascantur. Hoc enim ex speciali dispensatione Dei agetur, ut hanc poenam remittat ex sua liberalitate ; quia voluntas Dei et potestas eius non est subdita ordini culpae ad poenam, sicut nec ordini naturalis causae ad effectum ; potest enim facere, et facit quandoque Deus, ut ignis non comburat, ut in tribus pueris patet, Daniel, cap. 3. Unde non est inconveniens, si faciat, ut nati in originali non moriantur ; et praecipue, cum *mori actu* non sit directe poenae originali respondens, sed *necessitas moriendi.* Illi autem homines *necessitatem moriendi in natura sua habent;* sed, hac positione facta, ab hac necessitate naturae per specialem gratiam liberabuntur ; sicut necesse est, secundum causas inferiores, ignem comburere, a qua tamen necessitate pueri in camino ignis per gratiam liberati sunt. » *De Malo,* q. 4. a. 6. ad 2. : « Potest autem contingere, quod aliqui necessitatem moriendi habeant, qui tamen nunquam morientur, divina virtute mortem prohibente ; sicut potest contingere, quod grave generatum deorsum non feratur propter aliquod impediens. » Et I.-IL q. 81. a. 3. ad i. : « Illi etsi non moriantur, est tamen in eis reatus mortis, sed poena aufertur a Deo, qui etiam peccatorum actualium poenas condonare potest. »

Nunc ergo, ut ipse D. Thomas tradit, *De Malo,* q. 4. a. 2. ‡ « *Carentia originalis iustitiae* est in natura ; et ideo potest pertinere ad originale peccatum quod est *peccatum naturae'* et quod si comparetur ad istum hominem prout est *persona quaedam,* non habito respectu ad naturam, sic est *poena;* si autem comparetur ad principium in quo omnes peccaverunt, sic habet *rationem culpae.* » *IV. C. Gent.* cap. 52. : « Sic igitur huiusmodi defectus in aliis consequens ex primo parente, etiam in aliis rationem culpae habet, prout omnes homines computantur *unus homo* per participationem naturae communis. »

Ergo omnia quae clauduntur in peccato originali, si comparentur ad *personam,* non habito respectu ad naturam, sic sunt *poena.* Ergo ex speciali dispensatione Dei omnia haec possunt remitti, quia voluntas Dei et potestas eius non est subdita ordini culpae ad poenam. Ergo potest contingere,

quod aliquis habeat *necessitatem carendi gratia,* et tamen nunquam careat, divina liberalitate confciente. Ergo, etsi pertineat ad fidem, quod omnes ex Adam derivati incurrunt necesitatcm contrahendi peccatum originale, Deus potest facere : *a)* ut *actu non contrahant; b)* ut *actu non careant gratia;* c) ut *actu non incurrant maculam; d)* ut *aciu non incurrant reatum; e)* ut *actu non -patiantur ; f)* ut *actu non moriantur ;* sicut potest facere, ut ignis non comburat et grave deorsum non feratur.

Tertio : Per Dei gratiam, absolute loquendo, possunt etiam aliqui ex Adam derivati praeservari ab ipsa necessitate personali incurrendi peccatum originale eaque omnia quae in tali peccato includuntur.

λ) *II. Sent.* dist. 31. q. 1. a. 2. ad 5. : « Dicendum, quod hoc non potest esse, ut concupiscentia habitualis, quae in deordinatione virium animae consistit, tolleretur ex toto, nisi natura penitus reintegraretur ; et hoc quidem nulli dubium est, quin Deus facere posset ; et si hoc fieret, procul dubio geniti sine originali nascerentur. »

δ) *III. Sent.* dist. 3. q. 1. a. 1. solutio 1. : « Conditio enim spiritualis a parentibus in prolem non transit, nisi sit ad naturam pertinens ; ut grammatica patris in filium non transit, quia perfectio personalis est. Unde et sanctificatio parentum in B. Virginem transfundi non potuit, nisi curatum esset in eis non solum *id* quod *personae* est, sed etiam *id* quod est *naturae* in quantum huiusmodi : quod quidem Deus facere potuit, sed non decuit. Perfecta enim naturae curatio ad perfectionem gloriae pertinet ; et ideo sic in statu viae parentes eius curati non fuerunt, ut prolem suam sine originali peccato conciperent. » 19

Igitur etiam ab *ipsa necessitate personali incurrendi originale peccatum* essent praeservati omnes qui fuerint sanctificati : *d)* vel in parentibus ; *b)* vel in carne ante animationem , c) \el in ipso instanti infusionis animae, ita quod prius prioritate ordinis intelligatur anima per gratiam sanctificari quam corpori uniri.

Quarto : Praeservati ab ipsa necessitate personali incurrendi originale peccatum iam non indigerent personaliter redemptione quae est per Christum. — Nam sanctificati in parentibus vel in ipso actu conceptionis vel in carne ante animationem, reciperent naturam penitus reintegratam iam in suis parentibus, vel reintegratam in carne sua ante infusionem animae. Sanctificati vero in ipso instanti infusionis animae ita, ut prius intelligatur gratia sanctificans infundi in essentia animae quam anima ipsa infundi in corpore, haberent iam gratiam sanctificantem ante constitutionem personae ; ideoque persona constituta ex unione substantiali animae ad corpus iam non indigeret redemptione et salute quae est per Christum, ut praeservaretur personaliter a peccato originali. ***III***. *Sent.* dist. 3. q. 1. a. 1. solut. 1. ad 2. : « *Gratia sanctificans* non omnino directe opponitur *'peccato originali,* sed solum prout peccatum originale *personam inficit;* est enim gratia *-perfectio personalis ;* peccatum vero originale directe est *vitium naturae;* et ideo non oportet, quod gratia sanctificans a parentibus traducatur, si peccatum originale traducatur ; sicut et *originalis iustitia,* cui directe opponitur, traducta fuisset. » ***IV***. *Sent.* dist. 43. q. i. a. 4. ad 3. : « Nec potest dici, quod non hac redemptione indiguerunt, quia praestitum fuit eis *ut sine peccato conciperentur ;* quia illa *gratia* facta est *parentibus,* ut in eis *vitium naturae* sanaretur ; quo manente, sine originali peccato generare non possent ; vel ipsi *naturae* quae sanata est. Oportet autem ponere, quod quilibet *personaliter* redemptione Christi indigeat, non solum *ratione naturae.* »

Quinto : Corollaria. — Ergo, ut *omnes* ex Adam derivati habeant necessitatem personalem redemptionis quae est per Christum, requiritur : *a)* ut *cum peccato originali concipiantur ;* δ) id est, ut *in originali peccato nascantur ; c)* id est, ut *omnes debitores nascantur et malo subiecti ; d)* id est, ut persona iam constituta ex anima et corpore, prout est membrum totius humanae naturae, prout accipit humanam naturam ab Adamo et computatur cum Adamo *unus homo,* indigna Dei gratia efficiatur, et debeat non habere gratiam, et habeat

in se aliquid ex quo debeatur ei, quod careat iustitia originali.

« Ergo, si consideretur iste defectus hoc modo per originem in *istum hominem* derivatus, secundum illud quod *iste homo* est *quaedam persona singularis,* sic huiusmodi defectus non p Aest habere *rationem culpae,* ad cuius rationem requiritu» quod sit *voluntaria:* sed si consideretur *iste homo generatus* sicut *quoddam membrum* totius humanae naturae a primo paiente propagatae, ac si omnes homines essent *unus homo,* sic habet *rationem culpae* propter voluntarium eius principium, quod est actuale peccatum primi parentis. »

Ergo « ei quod est per originem contractum, non debetur *poena* et *increpatio,* si referatur ad *personam,* quia sic non habet rationem voluntarii ; sed si referatur *ad naturam,* sic habet rationem voluntarii, ut dictum est; et hoc modo debetur ei increpatio et poena. » *(De Malo,* q. 4. a. 1.)

CAPUT QUINTUM

Cum D. Thomas tradit, quod Beata Virgo fuit concepta cum originali peccato, loquitur de conceptione quae animae infusionem praecedit.

Doctrina et argumenta D. Thomae.

a) Quodl. 6. a. 7. : « *Utrum liceat celebrare Conceptionem Dominae nostrae?* Respondeo : dicendum, quod hic inducuntur duae quaestiones : una principalis, altera accessoria, sc. : *An Beata Virgo fuerit concepta cum originali;* quod oportet primo determinari. Est ergo considerandum quod unusquisque peccatum originale contrahit ex hoc, quod fuit in Adam secundum seminalem rationem, ut Augustinus dicit *Super Genesim ad litteram*. Omnes autem illi in Adam fuerunt secundum seminalem rationem qui non solum ab eo carnem acceperunt, sed etiam secundum naturalem modum originis ab eo sunt propagati. Sic autem processit ab Adam Beata Virgo, quia nata fuit per commixtionem sexuum, sicut et ceteri ; et ideo concepta fuit in originali peccato, et includitur in universitate illorum, de qua Apostolus dicit ad Rom. 5, 12. : ***In*** *quo omnes peccaverunt;* a qua universitate solus Christus excipitur, qui in Adam non fuit secundum seminalem rationem ; alioquin, si hoc alteri conveniret quam Christo, non indigeret Christi redemptione. Et ideo non tantum debemus dari Matri, quod subtrahat aliquid honori Filii, qui est Salvator omnium hominum, ut dicit Apostolus, I. Tim. cap. 4.

Quamvis autem Beata Virgo in originali concepta fuerit, creditur tamen in utero fuisse sanctificata, antequam nata. Et ideo circa celebrationem Conceptionis eius diversa consuetudo Ecclesiarum inolevit. Nam Romana Ecclesia et plurimae aliae, considerantes *Conceptionem* Virginis in originali peccato fuisse, festum Conceptionis non celebrant. Aliquae vero considerantes *sanctificationem* eius in utero, cuius tempus ignoratur, celebrant *Conceptionem;* creditur enim, quod cito post conceptionem et animae infusionem fuerit sanctificata. Unde illa celebritas non est referenda ad Conceptionem *ratione conceptionis,* sed potius *ratione sanctificationis.* Sic ergo non est ideo celebranda Conceptio praedicta, quia fuerit sine peccato originali.

Non enim per hoc tollitur, quin fuerit specialius ceteris praeparata, eo quod in ipsa sanctificatione copiosius ceteris munus gratiae accepit ; non solum ut purgaretur a peccato originali, sed ut tota eius vita redderetur immunis ab omni peccato, tam mortali quam veniali, ut dicit Anselmus, *De Conceptu Virginali,* cap. 18. »

b) III. q. 27. a. 2. ad 3. : « Licet Romana Ecclesia *Conceptionem* Beatae Virginis non celebret, tolerat tamen consuetudinem aliquarum Ecclesiarum illud festum celebrantium. Unde talis celebritas non est totaliter reprobanda. Nec tamen per hoc, quod festum *Conceptionis* celebratur, datur intelligi quod in *sua conceptione fuerit sancta;* sed, quia quo tempore sanctificata fuerit ignoratur, celebratur festum *sanctificationis* eius potius quam *conceptionis* in *die Conceptionis ipsius.* »

c) *III. Sent.* dist. 3. q. 1. a. 1. sol. 1. : « Et ideo Beata Virgo in peccato originali fuit concepta, propter quod Bernardus in *Epistola ad Lugdunenses* scribit *Conceptionem* illius celebrandam non esse, quamvis in quibusdam Ecclesiis ex devotione celebretur, non considerando *conceptionem,* sed potius *sanctificationem.*' quae quando determinate fuerit, incertum est. »

II

Adnotanda.

Primo : In doctrina Divi Thomae idem significat esse conceptum in peccato originali ac peccatum originale ex Adam contrahere. — Quod quidem patet ex ipsismet argumentis supra allatis, quibus D. Thomas ostendit Beatam Virginem fuisse conceptam cum peccato originali ; sunt enim eadem omnino ad litteram argumenta quibus Angelicus Doctor conatur semper ostendere, quod omnes homines, praeter solum Christum, ex Adam derivati, peccatum originale ex Adam contrahunt. Etenim primum argumentum, et radix ceterorum, sumitur ex eo, quod Beata Virgo processit ab /Viam per viam generationis et nata fuit per commixtionem sexuum sicut et ceteri qui secundum naturalem modum originis ab Adamo sunt propagati. Alterum vero argumentum est, quia esse conceptum sine originali peccato est privilegium solius Christi ; nam solus Christus excipitur ab universitate illorum de quibus Apostolus, Rom. 5, 12. ait, quod omnes in Adamo peccaverunt ; et solus Christus, omnium hominum Redemptor, redemptione non indiget. Tertium denique argumentum est, quia alioquin, nisi Beata Virgo concepta fuerit in peccato originali, non indigeret Christi redemptione ; ac perinde Christus non esset Redemptor suae Matris. « *Et ideo* (concludit D. Thomas) *non tantum Hebemus dari Matri, quod subtrahat aliquid honori Filii, qui est Salvator omnium hominum.* »

Secundo : Differentia inter conceptionem Christi et conceptionem B. Virginis. — D. Thomas, III. q. 32. a. 4. ad 1. : Dicendum, quod illa conceptio (corporis Christi) tria privilegia habuit, sc. : 1° quod esset sine peccato originali ; 2° quod esset non puri hominis, sed Dei et hominis ; 30 item quod esset conceptio Virginis ; et haec tria habuit a Spiritu Sancto. Et ideo dicit Damascenus, quantum ad primum, quod Spiritus

Sanctus supervenit Virgini *purgans ipsam,* id est, praeservans, ne cum peccato originali conciperet. Quantum ad secundum dicit : Et *virtutem susccptivam Verbi Dei tribuens,* id est, ut conciperet Verbum Dei. Quantum autem ad tertium, dicit : *Simul autem et generativam,* ut sc. manens Virgo posset generare, non quidem active, sed passive ; sicut aliae matres hoc consequuntur ex semine viri. » Et exinde Doctor Angelicus concludit, **III.** q. 27. a. 2. ad 2. : « Christus *nullo modo* contraxit originale peccatum, sed in *ipsa sui conceptione* fuit *sanctus.* »

De Conceptione autem Beatissimae Virginis scribit *a)* **III.** q. 14. a. 3. ad 1. : « Dicendum, quod *caro* Virginis concepta fuit in *originali peccato ;* et ideo hos defectus contraxit. Sed *caro* Christi ex Virgine assumpsit *naturam absque culpa ;* et similiter potuisset naturam assumere *absque poena.* Sed voluit suscipere poenam propter opus nostrae redemptionis implendum. Et ideo habuit huiusmodi defectus (fames, sitis, dolor, mors), non contrahendo, sed voluntarie assumendo ». *b)* **III.** q. 27. a. 2. ad 3. et 4. : « Etsi parentes B. Virginis fuerint mundati a peccato originali, nihilominus Beata Virgo peccatum originale contraxit, cum fuerit concepta secundum carnis concupiscentiam ex commixtione maris et feminae... Nec tamen per hoc, quod festum Conceptionis celebratur, datur intelligi quod *in sua conceptione fuerit sancta;* sed quia quo tempore sanctificata fuerit ignoratur, celebratur festum sanctificationis eius potius quam conceptionis in die Conceptionis ipsius. » c) **III.** q. 31. a. 7. : « Sed *corpus* Beatae Virginis *totum* fuit in originali peccato conceptum, ut supra dictum est, q. 14. a. 3. ad 1. et q. 27. a. 2. ; et ita etiam secundum quod fuit in patribus, fuit peccato obnoxia. » Et ibid. a. 8. ad 2. : « Dicendum, quod, quia Beata Virgo fuit in originali peccato concepta, fuit in Abraham sicut *curatione indigens;* et ideo fuit ibi decimata, velut inde descendens secundum seminalem rationem. De corpore autem Christi non est sic, ut dictum est articulo praecedenti. »

Tertio : Conceptio itaque Beatissimae Virginis quam D. Thomas dicit non esse celebrandam, est Conceptio ante infusionem animae rationalis. — Quod profecto manife-te apparet : i° Ex ipso *Quodlibcto* 6. art. 7. ubi Angelicus Doctor dividit et contradistinguit *conceptionem* et *animae infusionem,* dicens : « Creditur enim, quod cito post conceptionem et animae infusionem fuerit sanctificata. Unde illa celebritas non est referenda ad Conceptionem ratione Conceptionis, sed potius ratione sanctificationis. Sic ergo non est ideo celebranda Conceptio praedicta, quia fuerit sine peccato originali. » Unde habentur per ordinem ista tria : *Conceptio,* et *animae infusio,* et *sanctificatio.* Conceptio enim praecedit animae infusionem ; animae vero infusio praecedit sanctificationem, saltem ordine et prioritate naturae. Atque praedictam *Conceptionem* asserit D. Thomas : *a)* fuisse cum peccato originali ; *b)* ideo non esse celebrandam.

2° Ex ***III.*** *Sent.* dist. 3. q. 1. a. 1. ubi expresse in terminis agitur de conceptione *carnis* Beatissimae Virginis, et *caro* Virginis concepta fuit in originali peccato ; et de conceptione *corporis* Beatissimae Virginis, et *corpus* Virginis totum fuit in originali peccato conceptum, ut supra dictum est ; et de conceptione activa ex parte parentum Beatissimae Virginis, qui prolem suam in originali peccato conceperunt et originale peccatum in prolem generatam transmiserunt ; atque ista est *Conceptio* quam D. Thomas post S. Bernardum scripsit celebrandam non esse.

30 Ex III. q. 27. a. 2. ubi agitur etiam ex professo : *Utrum B. Virgo fuerit sanctificata ante animationem;* et contra conclusionem articuli, sc. : « *Ergo Beata Virgo* woh *fuit sanctificata ante infusionem animae rationalis* » fit hoc argumentum : « Non celebratur festum nisi de aliquo sancto. Sed quidam celebrant festum Conceptionis Beatae Virginis. Ergo videtur, quod in ipsa sua Conceptione fuerit sancta ; et ita, quod ante animationem fuerit sanctificata. » Notet diligenter prudens et vigilans lector processum logicum, quo D. Thomas ex celebratione Conceptionis infert Conceptionis sanctitatem ; atque ex sanctitate Conceptionis deducit sanctificationem B. Virginis ante animationem.

Quid ergo clarius? Angelicus Doctor non reiicit logicum processum, sed respondet : « Talis celebritas non est totaliter reprehendenda. Nec tamen per hoc, quod festum Conceptionis celebratur, datur intelligi quod in sua Conceptione fuerit sancta ; sed, quia quo tempore sanctificata fuerit ignoratur, celebratur festum sanctificationis eius potius quam conceptionis in die Conceptionis ipsius. »

Ex quibus omnibus aperte liquet, quod, cum D. Thomas affirmat : *a)* B. Virginem non fuisse sanctam in ipsa sua Conceptione ; *b)* B. Virginem fuisse conceptam cum originali peccato ; c) Conceptionem B. Virginis non esse celebrandam: unum et idem sub diversis verbis affirmat ; de uno et eodem loquitur ; et hoc unum et idem est Conceptio Beatissimae Virginis ante *animationem,* ante *infusionem animae rationalis,* ante constitutionem personae B. Virginis ex anima informante corpus atque ex corpore substantialiter informato per animam.

III

Observationes circa argumenta quae ex dictis Sancti Thomae formantur a Capreolo.

Argumenta Capreoli. — ***III.*** *Sent.* dist. 3. q. i. a. i. ponit hanc conclusionem, sc. : *Quod Beata Virgo Maria fuit concepta in peccato originali,* adiungens : « Hanc conclusionem tenet D. Thomas, ***III.*** *Sent.,* in praesenti distinctione, q. 1. a. i. q. i. ; *Sum. Theol.* III. q. 27. a. 2. ; I.-II. q. 81. a. 3 ; *Quodl.* 6. a. 7. »

« Rationes autem ex dictis Sancti Thomae possunt quatuor formari.

Prima, talis est : Quicumque est redemptus per Christum, habuit peccatum. Sed Beata Maria fuit redempta per Christum. Igitur habuit peccatum ; non autem actuale ; igitur originale. »

Secunda, talis est : Nullius humanae personae conceptio aequatur in puritate, et immunitate, et elongatione a peccato, conceptioni Filii Dei. Sed Maria fuit humana persona. Ergo

eius conceptio non aequatur, in puritate aut elongatione a peccato, conceptioni Christi. Æquaretur autem, si nunquam habuisset peccatum originale. Igitur habuit. »

« *Tertia,* talis est : Singulare privilegium Filii Dei non convenit alteri. Sed concipi in gratia et sanctitate, singulare est privilegium Filii Dei. Igitur nulli alteri competit. »

« *Quarta,* talis est : Nulla persona concepta per sexuum commixtionem est expers peccati originalis. Sed Beata Maria fuit huiusmodi. Igitur non fuit expers originalis peccati, n

Quid valeant concludere Capreoli rationes ex dictis S. Thomae efformatae. — Ex dictis'in cap. 3. et in hoc cap. 5. facilis est responsio ad supraposita argumenta ; ex quibus minime demonstrari potest D. Thomam tradere, quod B. Virgo habuisset *actualiter* originale peccatum in primo instanti temporis suae animationis.

Ad primam ergo rationem dicendum. — Utique ; quicumque est redemptus per Christum, habuit peccatum vel in *actu* vel in *necessitate* habendi illud ; nam *terminus a quo* redemptionis est vel peccatum vel saltem debitum peccati. Ex quo nihil necessario sequitur, nisi quod B. Virgo habuit necessitatem incurrendi in originale peccatum ; at minime, quod actualiter habuerit illud.

Ad secundam vero rationem. — Si B. Virgo nunquam habuisset peccatum originale, nec actu nec in potentia debitrici, utique non indigeret redemptione ; et conceptio eius aequaretur, quantum ad hoc, conceptioni Christi. Sed B. Virgo indiguit redimi per Christum, ex cuius praevisa morte fuit praeservata ab omni originalis culpae labe ; *debebat* enim carere gratia ; non tamen necessario sequitur, quod gratia caruerit, neque de facto caruit ea ex speciali Dei privilegio.

Ad tertiam autem rationem. — Concipi in gratia et sanctitate, ex vi ipsius conceptionis, est singulare privilegium Christi, qui conceptus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine ; cui tamen competit concipi in gratia et sanctitate, non ex vi suae conceptionis, sed ex meritis ipsius Christi qui est omnium Salvator et Redemptor, et qui Matrem suam redimendo etiam a macula originalis culpae praeservavit.

Ad quartam denique rationem. — Utique ; ex modo et virtute suae conceptionis B. Virgo non fuit expers peccati originalis ; e contra, debebat carere gratia sanctificante, et perinde in maculam primi peccati incurrere ; sed ex morte Filii Dei praevisa, sanctiiicata est, non in parentibus, non in carne ante animationem, non in anima ante unionem ad carnem, sed in ipso instanti animationis post constitutionem personae, ita quod prius, prioritate naturae et ordinis, anima Beatissimae Virginis intelligatur corpori substantialiter uniri quam per Dei gratiam sanctificari. Unde in ipsomet temporis momento, quo anima infusa fuit corpori, gratia sanctificans simul fuit infusa essentiae animae ; ac perinde ipsa anima ab omni macula fuit praeservata immunis.

CAPUT SEXTUM

D. Thomas reicit sanctificationem Beatae Virginis ante animationem tamquam quid disconveniens atque incompossibile cum redemptione et salute quae est per Christum.

Triplex modus possibilis sanctificationis ante animationem.

Primo : Quid sit esse sanctificatum ante animationem. — D. Thomas, *III. Sent.* dist. 3. q. 1. a. 1. et *Sum. Thcol.* III. q. 27. a. 2. ubi ex professo ponit quaestionem istam, nempe : *Utrum Beata Virgo sanctificaia fuerit ante animationem,* declarat huiusmodi sanctificationem, quae nihil aliud est nisi triplex modus possibilis impediendi transmissionem peccati originalis in prolem generatam ; quorum primus vocatur *sanctificatio prolis in parentibus suis ante animationem;* alter vero, *sanctificatio prolis in carne sua ante animationem;* tertius denique, *sanctificatio prolis in ipso instanti infusionis animae,* ita tamen, ut prius prioritate naturae et ordinis intelligatur anima sanctificari quam corpori uniri.

Secundo : Quid sit esse sanctificatum in parentibus. — Hoc declarat D. Thomas, III. q. 27. a. 2. ad 4. et *III. Sent.* dist. 3. q. i. a. 1. solut. 1. dicens : «Nullo modo in parentibus sanctificari potuit (B. Virgo), neque etiam in ipso actu conceptionis eius. Conditio enim spiritualis a parentibus in prolem non transit, nisi sit ad *naturam* pertinens ; ut grammatica patris in filium non transit, quia perfectio personalis est.

Unde et sanctificatio parentum in Beatam Virginem transfundi non potuit, nisi *curatum esset* in eis non solum *id* quod *personae* est, sed etiam *id* quod est *naturae* in quantum huiusmodi : *quod quidem Deus jacere* potuit, sed *non decuit.* Perfecta enim naturae curatio ad perfectionem gloriae pertinet ; et ideo *sic* in statu viae parentes eius curati non fuerunt, ut prolem suam sine originali peccato conciperent; et ideo Beata Virgo in peccato originali fuit concepta; propter quod B. Bernardus in *Epist. ad Lugdunenses* scribit Conceptionem illius celebrandam non esse, quamvis in quibusdam Ecclesiis ex devotione celebretur, non considerando Conceptionem, sed potius sanctificationem : quae quando determinate fuerit, incertum est.... Parentes autem Beatae Virginis radix eius fuerunt per actum naturae propagationi deservientem. Unde, nisi *natura in eis sanctificata fuisset,* non potuit ex eis sancta proles concipi, sed vitiata propter vitium naturae. Non autem fuit in eis natura sanctificata. »

« Duplex est sanctificatio : *una* quidem *totius naturae,* in quantum sc. tota natura humana ab omni corruptione culpae et poenae liberatur ; et haec erit in resurrectione. Alia vero est *sanctificatio personalis,* quae non transit in prolem camaliter genitam ; quia talis sanctificatio non respicit carnem, sed mentem. Et ideo, etsi parentes Beatae Virginis fuerint mundati a peccato originali, nihilominus B. Virgo peccatum originale contraxit, cum fuerit concepta secundum carnis concupiscentiam ex commixtione maris et feminae. Dicit enim Augustinus, *I. De nupt. et concupisc.,* cap. 12. : *Omnem, quae de concubitu nascitur, carnem esse peccati.* »

Tertio : Quid sit esse sanctiflcatum in came ante animationem. — Hoc declarat etiam D. Thomas locis supra citatis ; atque ex supradictis de modo quo peccatum originale transmittitur, sufficienter manifestatur. Anima enim rationalis infectionem originalis peccati non habet ex sua creatione, nec ex ipsa infusione eius in corpus, habito respectu ad Deum infundentem ; sed ex hoc infectionem incurrit quod fit, cum carne traducta, *una natura;* ideoque anima inqui-

natur contagio originalis peccati ex *carne* cui unitur, ex *corpore* cui infunditur. Ergo, si *caro,* per quam traducitur humana natura a parente in filium et cui postmodum anima infunditur, fuerit a Deo *sanctificata* antequam anima uniretur ei ad constituendam naturam, anima, quae a Deo creatur *pura,* infectionem non reciperet ; et ideo maculam originalem *nunquam* incurreret, *nulloque modo* originale peccatum contraheret.

Quarto : Quid sit esse sanctificatum in ipso instanti infusionis animae, ita quod prius intelligatur anima sanctificari quam carni uniri. — Hoc declarat D. Thomas, ***III.*** *Sent.* dist. 3. q. i. a. i. dicens : « Sanctificatio Beatae Virginis non potuit esse decenter *ante infusionem animae,* quia gratiae capax nondum erat ; sed *nec etiam in ipso instanti infusionis,* ut sc. per gratiam *conservaretur* ne culpam originalem incurreret. Christus enim hoc singulariter in humano genere habet, ut redemptione non egeat, quia caput nostrum est, sed omnibus convenit redimi per ipsum. Hoc autem esse non potest, si alia anima inveniretur quae *nunquam* originali macula fuisset infecta ; et ideo nec Beatae Virgini, nec alicui praeter Christum hoc concessum est. » Ad cuius intelligentiam attente considerandum est, quod persona humana non constituitur nisi ex unione substantiali animae et corporis, cuius est substantialis forma. Licet autem uno eodemque temporis momento anima rationalis a Deo ex nihilo creatur, et corpori, cuius est forma, infunditur, corpusque, cui infunditur, animatur, ex quo natura humana completur ac persona constituitur, et sic constituta actu existit primo instanti temporis suae animationis et humanae existentiae : attamen prius, prioritate ordinis et naturae, est animam *creari,* quam *infundi;* et prius animam *infundi* et *uniri* corpori, quam corpus *animari;* et prius corpus *animari* per infusionem animae, quam ex substantiali unione ac compositione animae et corporis *humanam personam constitui;* constitutamque sic, *actu existere.* Nunc vero, si anima rationalis a Deo creata, dum infunditur corpori, prius prioritate naturae et ordinis intelligatur per gratiam tunc in ipso instanti infusionis

infusam *sanctificari* quam *corpori,* cuius est substantiaHs forma, *uniri:* persona inde ex unione animae et corporis constituta nullo modo culpam originalem incurreret et neque actu neque in potentia proxima peccatum primi parentis contraheret ; quapropter persona humana ita constituta iam non indigeret redemptione. Gratia enim sanctificans non omnino directe opponitur peccato originali, sed solum prout peccatum originale *personam inficit;* est enim gratia, *perfectio personalis;* peccatum vero originale directe est *vitium naturae.* Si ergo intelligatur animam in ipso instanti infusionis gratiam sanctificantem prius accipere quam corpori uniri, sequitur, quod et *vitium naturae* removetur antequam natura ipsa compleatur, et *personalis perfectio* suscipitur in anima antequam ex unione eius ad carnem resultet persona perfecte constituta.

Est itaque modus iste sanctificationis animae in ipso instanti infusionis correlativus ad modum sanctificationis corporis ante infusionem animae ; et relate ad praeservationem originalis peccati, idem habetur effectus, sive caro sanctificata fuerit ante animationem, sive anima ipsa gratiam suscipiat ante unionem ad carnem. In utroque casu excluditur *necessitas personalis* redemptionis et salutis quae est per Christum. Verificaretur in tali hypothesi quod D. I>. Thomas, quaerens : *Utrum caro Christi in antiquis patribus fuerit peccato obnoxia,* respondet dicendum, ***III.*** *Sent.* dist. 3. q. 4. a. i. ad 5. : « Quod caro Christi, actu existens caro Christi, nullo modo fuit infecta ; eius enim emundatio a praecedenti infectione, *saltem intellectu,* praecedit *assumptionem;* unde in divinam sapientiam nihil inquinatum incurrere potuit. » Similiter, sive sanctificetur caro Beatissimae Virginis ante animationem, sive in ipso instanti infusionis anima Beatissimae Virginis gratiam suscipiat ante unionem animae ad carnem, Beatissimae Virginis immunitas a peccato originali, saltem intellectu, praecedit *constitutionem* humanae personae in ipsa Beatissima Virgine, in quam proinde non modo nihil inquinatum actualiter incurrit, sed neque incurrere *potuit:* quod solius Christi est privilegium.

II

Si quocumque modo ante animationem Beatissima Virgo sanctificata fuisset, non indiguisset personaliter redemptione et salute quae est per Christum.

Argumenta D. Thomae. — *a)* ***III.*** *Sent.* dist. 3. q. 1. a. 1. : « Respondeo: dicendum, quod sicut Dionysius dicit *De Divin. Nominib.* cap. 12. : *Sanctitas est ab omni immunditia libera et perfecta et immaculata munditia;* unde, cum sanctificari sit sanctum fieri, oportet quod sanctificatio emundationem ab immunditia spirituali ponat, prout nunc de sanctificatione loquimur. Emundatio autem a spirituali macula, sc. culpa, sine gratia esse non potest, sicut et tenebra non nisi per lucem fugatur ; unde sanctificatio tantum ad eos pertinet, qui gratiae capaces sunt. Et quia proprium subiectum gratiae est rationalis natura, ideo ante infusionem animae rationalis Beata Virgo sanctificari non potuit. »

δ) III. q. 27. a. 2. : « Respondeo : dicendum, quod sanctificatio Beatae Virginis non potest intelligi ante eius animationem, duplici ratione. Primo quidem, quia sanctificatio de qua loquimur, non est nisi emundatio a peccato originali ; sanctitas enim est perfecta munditia, ut Dionysius dicit de *Div. Nominib.,* cap. 12. Culpa autem non potest emundari nisi per gratiam, cuius subiectum est sola creatura rationalis. Et ideo ante infusionem animae rationalis Beata Virgo sanctificata non fuit. Secundo, quia cum sola creatura rationalis sit susceptiva culpae, ante infusionem animae rationalis proles concepta non est culpae obnoxia. Et si quocumque modo ante animationem Beata Virgo sanctificata fuisset, nunquam incurrisset maculam originalis culpae, et ita non indiguisset redemptione et salute quae est per Christum, de quo dicitur Math. cap. 1, 21 : *ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Hoc autem inconveniens est, quod Christus non sit Salvator omnium hominum, ut dicitur I. Timoth. cap. 4. »

Commentarium Cardinalis Caietani. — Caietanus, in III. q. 27. a. 2. : « Sermo est de sanctificatione hominis descendentis ex commixtione maris et feminae ; supponimus enim omnem huiusmodi hominem peccatum originale contrahere, iuxta superius I.-II. q. 81. a. 3. determinata de peccato originali. Et propterea in Littera dicitur, quod *sanctificatio, de qua loquimur, est emundatio a peccato originali*.... Dubium occurrit de illa consequentia : *Ergo non indiguisset redemptione Christi.* Nam videtur non valere ; ex eo, quod, *multi* cum sint *modi* quibus redemptio et salus per Christum fit, etiam a peccato, ratio ista, unum tantum modum excludens, quasi omnes excluserit, infert negativam totaliter, quod non indiguisset redemptione Christi. Quod autem non sit *unicus* tantum *modus,* quo redemptio a peccato fit per Christum, ex eo patet, quod ultra illum communem modum quo salvat delendo inventam peccati maculam in anima, datur *alius,* quo tollendo contagionis *labem* a carne susceptura animam, *praeservat a peccato animam, ne incurrat in illud.* Ac per hoc, licet Beata Virgo non indiguisset illo modo, sc. *per deletionem maculae incursae,* redimi et salvari per Christum : indiguit tamen redimi et salvari per eundem *alio modo,* sc. *per emundationem foetus,* ut sic praeservaretur a culpa. »

« Ad huius evidentiam advertendum est, quod aliud est *personam* Beatae Virginis indiguisse redimi a peccato per Christum ; et aliud est *foetum illum,* ante animae infusionem, indiguisse sanctificari per Christum. Nam *personam ipsam* indigere salvari a peccato, est *liberari a peccato quod habet* vel *haberet;* oportet enim aut quod habeat peccatum, vel quod sit in *procinctu* seu *periculo habendi* peccatum, quisquis eget salvari a peccato ; si enim peccatum non habet nec est in periculo habendi peccatum, salvatore a peccato non indiget, ut patet. Foetum autem egere sanctificatione est quia, nisi sanctificetur, immundus erit. Si Beatae igitur Virginis foetus sanctificatus fuisset ante infusionem animae rationalis, cum *foetus* non sit *homo* nisi per animam rationalem, non *ipsa Beata Virgo,* quae non erat adhuc, sed *foetus ille* indiguisset sanctificari per Christum ; sed *ipsa Beata Virgo* fuisset concepta sine peccato originali *absque*

quacumque alia gratia; ita quod, ex hoc ipso quod *anima sua* infusa esset *materiae mundae,* originale peccatum non contraxisset, etiam si nulla superapposita fuisset gratia.

« Exemplum : Apostolus Paulus, quia *naius est civis Romanus* (Act. Apost. 22, 28), nunquam indiguit Caesarea gratia ad civilitatem Romanam ; quamvis aliquis ex patribus suis hac gratia indiguerit. Simile est in proposito : quia licet *caro* antecedens *'personam* Beatae Virginis indiguerit redimi tali modo per Christum, *ipsa* tamen *Beata Virgo,* quia nata in utero esset expers peccati absque infusa sibi gratia praeservante ne incurreret, non indiguisset simpliciter et absolute redimi, seu salvari a peccato, per Christum. Et hinc habes quod, si dicatur, quod Beata Virgo indiguisset in *carne praecedente* redimi a peccato, quamvis *non in se,* haec distinctio non obstat dictis. Quoniam indigere in antecedentibus non est ipsam indigere ; ita quod ly *in antecedentibus* est conditio diminuens *rationem indigentiae personalis.* Et propterea non valet consequentia : *Indiguisset in sui foetus carne. Ergo ipsa Beata Virgo indiguisset.* »

« Est ergo simpliciter vera doctrina in Littera tradita, quod, si Beata Virgo fuisset ante infusionem animae sanctificata, quod non eguisset redemptione et salute a peccato facta per Christum. Et bene nota, quod non dicitur quod non indiguisset *salute gratiae aut gloriae* facta per Christum, sed *salute a peccato,* a qua dictus est *lesus,* hoc est, *Salvator,* ut Angelus revelavit loseph, dicens Math. 1, 21. : *Vocabis nomon eius lesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* »

« Et per haec patet responsio ad obiectionem. Quoniam Beatam Virginem in praecedente foetu, vel parente, etc., indigere redemptione, non est ipsam Beatam Virginem indigere ; sicut Paulum in suis parentibus indiguisse gratia civilitatis Romanae, non est Paulum illa indiguisse, sed maiores suos indiguisse illa. »

Commentarium ipsiusmet Divi Thomae. — Ipsemet Angelicus Doctor declarat a radice Litteram huius articuli 2. q. 27. tertiae Partis *Summae Theologicae* in lib. *IJ . Sent.*

dist. 43. q. I. a. 4. solut. 1. ad 3. dicens : « Quod hoc est erroneum dicere, quod aliquis sine peccato originali concipiatur praeter Christum ; quia ille, qui sine peccato originali conciperetur, non indigeret redemptione quae facta est per Christum ; et sic Christus non esset omnium hominum Redemptor. Nec potest dici, quod non hac redemptione indiguerunt, quia praestitum fuit eis, ut *sine peccato conciperentur;* quia illa gratia facta est *parentibus,* ut in eis vitium naturae sanaretur, quo manente sine originali peccato generare non possent ; vel *ipsi naturae* quae sanata est. Oportet autem ponere, quod quilibet *personaliter* redemptione Christi indigeat, non solum *ratione naturae.* Liberari autem a malo, vel a debito absolvi, non potest nisi *qui debitum incurrit* vel in malum deiectus fuit ; et ita non possent omnes fructum dominicae orationis in *seipsis* percipere, nisi omnes *debitores* nascerentur, et malo *subiecti:* unde dimissio debitorum et liberatio a malo non potest intelligi, quod aliquis *sine debito* vel *immunis a malo* nascatur; sed, quia *cum debito natus,* postea per *gratiam Christi* liberatur. »

III

Observationes et corollaria.

Primo : Ergo esse sanctificatum ante animationem idem significat ac non indigere redemptione et salute quae est per Christum. — Hoc est, quod demonstrat D. Thomas, dum concludit, III. q. 27. a. 2. quod Beata Virgo non fuit sanctificata ante animationem. Quod quidem ostenditur ab Angelico Doctore duplici ratione : λ) Prima ratio est directa et positiva et sumitur ex ipsa quidditate gratiae sanctificantis, cuius subiectum est ipsa creatura rationalis. Cum ergo sola creatura rationalis sit subiectum gratiae quae nonnisi in essentia animae tamquam in subiecto recipitur, manifestum fit, quod *sanctificatio,* de qua loquimur et quae est emundatio a peccato originali, praesupponit infusionem animae

rationalis, ac perinde animationem corporis cuius anima est substantialis forma. Ideo ante infusionem animae rationalis Beata Virgo sanctificata non fuit.

b) Secunda vero ratio declaratur a D. Thoma, ducendo ad *inconveniens,* et sumitur etiam ex eo quod sola creatura rationalis est susceptiva culpae ; etenim, ut supra manet ostensum, cap. 2., peccatum originale quod est privatio gratiae seu carentia originalis iustitiae, habet tamquam subiectum primum ipsammet essentiam animae ; idcirco ante infusionem animae rationalis proles concepta non est culpae obnoxia, et *nullo modo* incurrere potest *personaliter* in peccatum primi parentis. Ideo nisi Beata Virgo sanctificata fuerit post eius animationem, non indigeret personaliter redemptione et salute quae est per Christum. Quod ex dictis clarius manifestatur sic :

c) Esse sanctificatum ante animationem est esse sanctificatum : *d)* vel in parentibus ; *b)* vel in carne ante infusionem animae ; *c)* vel in anima ipsa ante eius unionem ad carnem cui infunditur. Sed quocumque ex his tribus modis Beata Virgo sanctificata fuisset, ante unionem animae ad carnem fuisset sanctificata : ut supra manet ostensum. Ergo *persona* Beatae ATrginis *nullo modo* contraheret originale peccatum ; et ita non indiguisset redemptione et salute quae est per Christum.

Secundo : Ergo esse sanctificatum ante animationem significat idem ac nunquam incurrere maculam originalis culpae. — «) Ita D. Thomas in corpore articuli, dum exponit secundam rationem, ducendo ad inconveniens, dicens : » Secundo, quia, cum sola creatura rationalis sit susceptiva culpae, ante infusionem animae rationalis prolis concepta non est culpae obnoxia. Et sic, quocumque modo ante animationem Beata Virgo sanctificata fuisset, *nunquam incurrisset maculam originalis culpae.* » Atque D. Thomas prosequitur inde inferendo :

6) « Et ita non indiguisset redemptione et salute quae est per Christum. » Sed hominem derivatum ex Adamo et ab eo descendentem ex commixtione maris et feminae *non*

indigere redemptione Christi, idem significat ac talem hominem *esse sancti'ficatum* ante animationem, ut ex praecedentibus patet.

Tertio : Ergo haec tria : Esse sanctificatum ante animationem ; — Nunquam incurrere maculam originalis culpae ; — Non indigere redemptione et salute quae est per Christum : convertuntur. — Convertuntur equidem iuxta doctrinam et terminologiam Angelici Doctoris, qui hanc quaestionem sic miro ordine disposuit, et profunde introspexit, et dilucide explanavit, tantoque pondere et mensura definivit. Audiamus itaque D. Thomam seipsum declarantem in hac perdifficili materia. Hic in hoc art. 2. : *Utrum Beata* Irgo *sanctificata juerit ante animationem,* opponit sibi ipsi in *contra* subsequens argumentum : « Praeterea, conveniens fuit, sicut Anselmus dicit in libro *De Conceptu Trirginali* cap. 18., *ut illa Virgo ea puritate niteret qua maior sub Deo nequit intelligi;* unde et in *Cant.* 4, 7. dicitur : *lota pulchra es, amica mea, el macula non est in te.* Sed maior puritas fuisset Beatae Virginis, si nunquam fuisset inquinata contagio originalis peccati. Ergo hoc ei praestitum fuit quod, antequam animaretur caro eius, sanctificaretur. »

Et D. Thomas respondet sic : « Ad secundum : dicendum, quod, si *nunquam* anima Beatae Virginis fuisset contagio originalis peccati inquinata, *hoc derogaret dignitati Christi,* secundum quam est universalis omnium Salvator. Et ideo sub Christo, qui salvari non indiguit tamquam universalis Salvator, *maxima fuit* Beatae Virginis *puritas.* Nam Christus *nullo modo* contraxit originale peccatum, sed in ipsa sui conceptione fuit sanctus, secundum illud Lucae 1, 35. : *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Sed Beata Virgo contraxit quidem originale peccatum, sed ab eo fuit mundata antequam ex utero nasceretur. Et hoc significatur Job. 3, 9, ubi de nocte originalis peccati dicitur : *Exspectet lucem,* id est Christum, *et non videat* (quia nihil inquinatum intravit in illam, ut dicitur Sap. 7, 25.) ; *nec ortum surgenlis aurorae,* id est Beatae Virginis, quae in suo ortu a peccato originali fuit immunis. »

Ubi notandum *primo :* quid importet in sua significatione propositio : *Nunquam fuisset inquinata contagio originalis peccati;* seu : *Nunquam incurrisset maculam originalis culpae.* Quod profecto Angelicus Doctor apertis verbis declarat, dum ex illa propositione : « *Si nunquam fuisset* (B. Virgo) *inquinata contagio originalis peccati* », infert : *Ergo hoc ei praestitum fuit quod, antequam animaretur caro eius, sanctificaretur.* » Ergo nunquam fuisse inquinatum contagio originalis peccati, idem significat in praesenti quaestione ac esse sanctificatum ante animationem carnis. Et similiter hoc aperte ostendit quoque D. Thomas et corroborat, dum respondendo ad argumentum non negat consequentiam nec reprehendit logicum processum argumentationis, sed reducendo ad inconveniens, ex illa propositione : « *Si nunquam anima Beatae Virginis fuisset contagio originalis peccati inquinata* », infert : « *Hoc derogaret dignitati Christi, secundum quam est universalis omnium Salvator.* » Ergo nunquam fuisse contagio originalis peccati inquinatum idem significat in praesenti quaestione ac non indiguisse redemptione et salute quae est per Christum. Consequenter haec tria : *a) nunquam fuisse contagio originalis peccati inquinatum,* vel *nunquam incurrisse maculam originalis culpae; b) esse sanctificatum ante animationem; c) non indiguisse redemptione ct salute quae est per Christum:* sunt propositiones quae convertuntur, et quarum una ex altera necessario infertur, et quarum una semel admissa, aliae duae veniunt logica necessitate etiam admittendae. Ergo omnis qui indiget redemptione et salute quae est per Christum, *nullo modo* fuit sanctificatus ante animationem ; ct qui *nullo modo* fuit sanctificatus ante animationem et indiget redemptione et salute quae est per Christum, *aliquo* saltem *modo* incurrit maculam originalis culpae, seu fuit contagio originalis peccati inquinatus.

Secundo notandum, videlicet, quod Angelicus Doctor, dum contraponit Christum qui est universalis omnium Salvator ad Beatam Virginem quae salvari indiguit per Christum, adiungit : « Nam Christus *nullo modo contraxit* originale peccatum, sed in *ipsa sui conceptione fuit sanctus.* Sed Beata Virgo contraxit quidem originale peccatum...

Nec tamen per hoc, quod festum Conceptionis celebratur, datur intelligi quod *in sua conceptione fuerit sancta.* » Unde apparet manifestum inter Filium et Matrem discrimen. Christus enim fuit sanctus in ipsa sui conceptione ; B. Virgo in sua conceptione non fuit sancta. Christus nullo modo contraxit originale peccatum ; Beatissima Virgo contraxit *aliquo modo.* Christus salvari non indiguit, tamquam universalis Salvator omnium ; Beatissima vero Virgo indiguit redemptione et salute quae est per Christum.

Et concludit D. Thomas, in art. 2. : « *Unde relinquitur, quod sanctificatio Beatae Virginis fuerit post eius animationem.* »

CAPUT SEPTIMUM

De sanctificatione Matris Christi post eiusdem animationem.

I

Doctrina D. Thomae.

Compend. Theolog. cap. 232. scribit : «λ) Quia igitur, ut ex praedictis apparet, Beata Virgo Maria Mater Filii Dei facta est, de Spiritu Sancto concipiens, decuit, ut *excellentissima puritate* mundaretur, per quam congrueret tanto ministerio ; et ideo credendum est eam ab *omni labe* actualis peccati immunem fuisse, non tantum mortalis, sed etiam venialis ; quod nulli sanctorum convenire potest post Christum, cum dicatur I. Joann. 1,8.: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.* Sed de Beata Virgine Matre Dei intelligi potest quod *Cantic.* 4, 7 dicitur : *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.*

b) Nec solum a peccato actuali immunis fuit ; sed etiam ab originali, speciali privilegio, mundata. Oportuit siquidem, quod cum peccato originali conciperetur utpote quae ex utriusque sexus commixtione concepta fuit. Hoc enim privilegium sibi soli servabatur, ut *virgo* conciperet Filium Dei. Commixtio autem sexus, quae sine libidine esse non potest post peccatum primi parentis, *transmittit* peccatum originale in prolem. Similiter etiam, quia, si cum peccato originali concepta non fuisset, non indigeret per Christum redimi ; et sic non esset Christus universalis hominum Redemptor : quod derogat dignitati Christi. Est ergo tenendum, quod cum peccabo originali concepta fuit ; sed ab eo quodam speciali modo purgata fuit.

c) Quidam enim a peccato originali purgantur *post*

nativitatem ex utero, sicut qui in baptismo sanctificantur. Quidam autem quodam privilegio gratiae etiam in *maternis uteris* sanctificat! leguntur, sicut de Icremia dicitur, lerem. i, 5. : *Priusquam te formarem in utero, novi te; et antequam exires de vulva, sancti,ficavi te.* Et de loanne Baptista Angelus dicit, Luc. i, 15. : *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suae.* Quod autem praestitum est Christi praecursori et prophetae, non debet credi denegatum esse Matri ipsius. Et ideo creditur in utero sanctificata, ante sc. quam ex utero nasceretur.

d) Non autem sanctificatio praecessit infusionem animae. Sic enim *nunquam* fuisset peccato originali subiecta et redemptione non indiguisset. Non enim subiectum peccati esse potest nisi creatura rationalis. Similiter etiam gratia sanctificationis per prius in anima radicatur, nec ad corpus potest pervenire nisi per animam. Unde post infusionem animae credendum est eam sanctificatam fuisse.

e) Eius autem sanctificatio *amplior* fuit quam aliorum in utero sanctificatorum. Alii namque sanctificati in utero sunt quidem a peccato originali mundati ; non tamen est eis praestitum, ut postea *non possent* peccare, saltem venialiter. Sed Beata Virgo tanta abundantia gratiae sanctificata fuit, ut deinceps ab omni peccato conservaretur immunis, non solum mortali, sed etiam veniali. Et quia veniale peccatum interdum ex subreptione contingit, ex hoc sc. quod aliquis inordinatus concupiscentiae motus insurgit aut alterius passionis, *praeveniens rationem,* ratione cuius *primi motus* dicuntur esse *peccata:* consequens est, quod Beata Virgo nunquam peccavit venialiter, eo quod inordinatos passionum motus non sensit. Contingunt autem huiusmodi motus inordinati ex hoc, quod appetitus sensitivus, qui est harum passionum subiectum, *non sic* subiicitur rationi quin interdum ad aliquid praeter ordinationem rationis moveatur, et quandoque contra rationem, in quo consistit *motus peccati.* Sic igitur fuit in Beata Virgine appetitus sensitivus rationi subiectus per virtutem gratiae ipsum sanctificantis, quod *nunquam contra rationem* movebatur, sed *secundum ordinem rationis.* » Haec ad litteram D. Thomas.

II

Declaratio doctrinae D. Thomae per ipsum D. Thomam.

Primo : Beatissima Virgo fuit a peccato actuali omnino immunis. — Hoc declarat Angelicus Doctor ex professo *III. Sent.* dist. 3. q. 1. a. 2. solut. 2., dicens, quod Beata Virgo per gratiam sanctificantem qua primo sanctificata est, immunitatem a peccato deinceps consecuta est : « quae quidem immunitas a tribus causabatur, sc. : 1° *ex ligatione fomitis,* qui ad malum non incitabat ; 20 *ex inclinatione gratiae,* quae in bonum ordinabat, quamvis nondum per eam liberum arbitrium esset in fine ultimo stabilitum, sicut est in beatis, quia ad finem viae pervenerunt ; et iterum : 30 *ex conservatione divinae providentiae,* quae eam intactam custodivit ab omni peccato, sicut et in primo statu hominis ab omni nocivo protexisset. » Quod iterum magnifice perpendit ac explanat *Sum. Theol.* HI. q. 27. a. 4. ubi tribus rationibus ostendit quod Beatissima Virgo « non fuisset idonea Mater Dei, si peccasset aliquando... Et ideo simpliciter fatendum est quod Beata Virgo nullum actuale peccatum commisit, nec mortale, nec veniale ; ut sic in ea impleatur quod dicitur in *Cantic.* 4,7. : *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te* ».

Secundo : Beatissima Virgo oportuit quod cum peccato originali conciperetur. — Oportuit siquidem, ait D. Thomas ; sed oportet etiam quod sapiens theologus argumenta D. Thomae attente perspiciat eorumque vim penetret, ac D. Thomae assertionem in recto sanoque verborum sensu intelligat. Argumenta vero, quibus D. Thomas in *Comp. Theol.* cap. 232. probat Beatam Virginem cum peccato originali conceptam fuisse, sunt eadem prorsus ad litteram argumenta quibus in *Summa Theologica,* I.-II. q. 81. a. 3. ostendit omnes homines, praeter solum Christum, ex Adam derivatos, peccatum originale ex Adam contrahere ; argumenta, inquam, quibus iterum *Quodlib.* 6. a. 7. deducit, quod Beata Virgo fuit concepta cum originali. Semper ac constanter, quotiescumque D. Thomas asserit Beatam Virginem

conceptam fuisse cum peccato originali, demonstrat ex eo quod : i° Beata Virgo fuit in Adamo secundum seminalem rationem et ab Adamo processit generata per commixtionem maris et feminae qui peccatum originale in prolem *transmittunt ;2°* quia, si Beata Virgo cum peccato originali concepta non fuisset, non indigeret redemptione et salute quae est per Christum. Exinde infert Angelicus Doctor : « *El ideo non tantum debemus dare Matri, quod subtrahat aliquid honori Filii qui est Salvator omnium hominum.* » Haec quoque eadem prorsus argumenta sunt quibus D. Thomas, ***III.*** *Sent.* dist. 3. q. i. a. 1. et *Sum. Theol.* III. q. 27. a. 2. probat Beatam Virginem non fuisse sanctificatam ante animationem. Unde, Conceptio de qua D. Thomas loquitur, est conceptio activa ex parte parentum, et conceptio passiva quae praecedit infusionem animae ; atque in eodem sensu quo verum est et ad fidem pertinet omnes homines, praeter solum Christum, ab Adamo derivatos, ex Adamo originale peccatum contrahere, iuxta supra dicta et discussa cap. 3. et cap. 4., est etiam tenendum, quod oportuit B. Virginem : *a)* indiguisse per Christum redimi ; *b)* non fuisse sanctificatam ante infusionem animae rationalis ; c) ideoque cum peccato originali conceptam fuisse. Verumtamen :

Tertio : Beatissima Virgo ab originali peccato, speciali privilegio et quodam speciali modo, mundata est. — Atque ex multis deinde exponendis, quae in hoc privilegio speciali continentur et quae specialem hunc modum constituunt, *'primum,* incipiendo ab hoc quod aliquibus sanctis fuit etiam concessum, declarat D. Thomas, III. q. 27. a. 1. dicens : « Rationabiliter enim creditur, quod illa, quae genuit *Unigenitum a Patre plenum gratiae et veritatis,* prae omnibus aliis maiora privilegia gratiae acceperit. Unde, ut legitur Lu.. i, 28 : *Angelus ei dixit : Ave, gratia plena.* Invenimus autem quibusdam aliis hoc privilegium esse concessum, ut in utero sanctificarentur ; sicut leremiae, cui dictum est, lerem. I, 5 : *Antequam exires de vulva, sanctificavi te;* et sicut loanni Baptistae, de quo dictum est, Lue. 1, 15. : *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suae.* Unde rationabiliter creditur, quod Beata Virgo sanctificata fuerit antequam ex utero nasceretur. » Et ***III.*** *Sent.* dist. 3. q. 1. a. 1. solut. 3. ad 3. : « Dicendum quod, quamvis sanctificatio Beatae Virginis in utero *expresse* in Scriptura veteris et novi Testamenti non legatur, tamen pro certo haberi potest ex his quae ibi leguntur. Si enim loannes et leremias, qui Christum praenuntiaverunt, sanctificati sunt : multo magis Virgo quae Christum genuit. »

Quarto : Beatissima Virgo ampliorem sanctificationis gratiam obtinuit quam loannes Baptista et leremias. — Quod D. Thomas declarat, ***III.*** *Sent.* dist. 3. q. 1. a. 2. solut. 1. ad 4. : « Dicendum, quod illa sanctificatio Beatae Virginis excellentior fuit sanctificationibus aliorum, quod sic patet : In sanctificatione enim quae fit per legem communem in Sacramentis, tollitur *culpa,* sed remanet *jomes* inclinans ad peccatum mortale et veniale ; sed in sanctificatis ex utero *non* manet *jomes* secundum quod inclinans est ad mortale ; ‹ed tamen remanet *inclinatio jomitis* ad venialia, ut patet in leremia et loanne Baptista, qui peccatum actuale habuerunt, non mortale, sed veniale. Sed in Beata Virgine *inclinatio jomitis* omnino sublata est, et quantum ad veniale et quantum ad mortale ; et quod plus est, ut dicitur, gratia sanctificationis non tantum repressit in ipsa motus illicitos, sed etiam in aliis efficaciam habuit ita, ut, quamvis esset pulchra corpore, a nullo unquam concupisci potuit. » Et *Sum. Theol.* III. q. 27. a 6. ad 1. : « Dicendum, quod Beata Virgo, quae fuit a Deo electa in Matrem, *ampliorem sanctificationis gratiam* obtinuit, quam loannes Baptista et leremias, qui sunt electi ut speciales praefiguratores sanctificationis Christi. Cuius signum est, quod Beatae Virgini praestitum est, ut de cetero non peccaret, nec mortaliter nec venialiter ; aliis autem sanctificat is creditur praestitum esse, ut de cetero mortaliter non peccarent, divina eos gratia protegente. »

Quinto : Beatissima Virgo per huiusmodi sanctificationem adepta fuit plenitudinem omnium gratiarum. — Quod ex professo quaerit ac probat D. Ihornas, III. q. 27.

a. 5. : « Respondeo : dicendum, quod quanto aliquis magis appropinquat principio in quolibet genere, tanto magis participat effectum illius principii. Unde Dionysius dicit, *Coelest. hierarch,* cap. 4. quod Angeli qui sunt Deo propinquiores, magis participant de bonitatibus divinis quam homines. Christus autem est principium gratiae, secundum Divinitatem quidem *aiictoritative,* secundum Humanitatem vero *instrumcntaliter.* Unde et Joan. 1, 17. dicitur : *Gratia, et veritas per lesum Christum facta est.* Beata autem Virgo propinquissima Christo fuit secundum humanitatem; quia ex ea accepit humanam naturam. Et ideo prae ceteris maiorem debuit a Christo gratiae plenitudinem obtinere. » Ibidem ad 1. : « Dicendum, quod unicuique datur gratia secundum hoc ad quod eligitur. Et quia Christus, in quantum est homo, ad hoc fuit praedestinatus et electus ut esset Filius Dei in virtute sanctificandi, hoc fuit ei proprium, ut haberet talem plenitudinem gratiae quod redundaret in omnes, secundum quod dicitur Ioan. 1, 16. : *De plenitudine eius nos omnes accepimus.* Sed Beata Virgo Maria tantam gratiae obtinuit plenitudinem, ut esset propinquissima Auctori gratiae ; ita quod Eum, qui est plenus omni gratia, in se reciperet ; et Eum pariendo, quodammodo gratiam ad omnes derivaret. »

Sexto : Sanctificatio Beatissimae Virginis non praecessit infusionem animae. — Quod semper et ubique tradit et probat Angelicus Doctor. *Comp. Theol.* loco supra citato cap. 232. : « Non autem sanctificatio praecessit infusionem animae. Sic enim nunquam fuisset peccato originali subiecta, et redemptione non indigeret. Non enim subiectum peccati esse potest nisi creatura rationalis. Similiter etiam gratia sanctificationis per prius in anima radicatur, nec ad corpus potest pervenire nisi per animam. Unde post infusionem animae credendum est eam sanctificatam fuisse. »

Aralde notandae sunt duae istae rationes, quibus D. Thomas ostendit, quod sanctificatio Beatissimae Virginis non praecessit infusionem animae; sunt enim illae duae rationes quas exponit III. q. 27. a. 2. ad concludendum, quod ante

infusionem animae rationalis Beata Virgo sanctificata non fuit. « Respondeo : dicendum, quod sanctificatio Beatae Virginis non potest intelligi ante eius animationem *duplici ratione...* Et ideo ante infusionem animae rationalis Beata Virgo sanctificata non fuit. »

Una quidem ex rationibus sumitur ex parte ipsius gratiae sanctificantis, *cuius subiectum est sola creatura rationalis;* alia vero sumitur ex parte ipsius originalis culpae seu peccati, *cuius subiectum esse non potest nisi creatura rationalis.* Sola namque creatura rationalis est susceptiva culpae ; et sola creatura rationalis est susceptiva gratiae. Attamen *gratia sanctificans* per prius *radicatur* in anima, nec ad corpus potest pervenire nisi per animam ; e contra, *originale peccatum* per prius *radicatur* in carne in qua est virtualiter sicut in sua instrumental! causa, nec ad animam pervenire potest nisi per carnem cui anima unitur, seu per corpus cuius forma substantialis est anima. Gratia sanctificans infunditur a Deo ; originale autem peccatum trahitur ex primo parente et contrahitur ex origine in quantum per eam communicatur humana natura, quam proprie respicit peccatum originale. Inde :

1° Peccatum originale tunc contrahitur actu vel in necessitate personaliter illud contrahendi, quando proles concepta animatur.

2° « *Gratia sanctificans* non omnino directe opponitur *peccato originali,* sed solum prout peccatum originale *personam* inficit; est enim gratia *perfectio personalis;* peccatum vero originale directe est *vitium naturae* » (*III. Sent.* dist. 3. q. 1. a. 1. s. I.).

3° Peccatum originale prout *inficit personam* (id est sub ratione culpae et maculae et reatus poenae aeternae) non potest esse simul cum gratia sanctificante, per quam remittitur culpa et deletur macula et acquiritur ius ad visionem divinae essentiae.

4° Gratia tamen sanctificans potest esse simul cum debito personali contrahendi originale peccatum et incurrendi culpam et maculam ; nam, licet in eodem subiecto non possit esse simul gratia et gratiae privatio seu carentia, bene

tamen esse potest gratia sanctificans in subiecto ipso quod *debebat non habere talem gratiam.*

5° Si ergo sanctificatio praecedat infusionem animae, sive sit sanctificatio carnis ante animae infusionem sive sit sanctificatio animae prius prioritate intellectus ante unionem ad carnem, creatura rationalis ex anima et carne substantialiter composita et in ratione personae iam constituta : *a) nunquam* esset peccato originali subiecta ; *b) nunquam* incurrisset maculam originalis culpae ; *c)* non indigeret ■*personaliter* per Christum redimi.

6° Ideo, sanctificatio Beatissimae Virginis non praecessit infusionem ; et si quocumque modo ante animationem Beata Virgo sanctificata fuisset, non indiguisset, *ratione suae propriae personae,* redemptione et salute quae est per Christum ; et ita Christus, universalis omnium Salvator, non esset suae Matris Redemptor per sanguinem crucis suae.

III

Quonam sensu concludit D. Thomas : « Unde post infusionem animae credendum est Beatam Virginem sanctificatam fuisse, b — « Unde relinquitur, quod sanctificatio Beatae Virginis fuerit post eius animationem L »

i i

Interpretatio Caietani atque eiusdem refutatio per ipsum Caietanum.

Primo : Interpretatio Caietani. — Caietanus enim in III. q. 27. a. 2. sic conatur declarare sensum D. Thomae, scribens : « Circa corollarium : *Beata Virgo sanctificata fuit post animationem,* dubium occurrit, quia non videtur sequi ex praemissis. Nam ex hoc quod Beata Virgo non fuit sanctificata *ante animationem,* non sequitur quod sanctificatio eius fuerit *post animationem.* Stat enim quod nec ante nec post, sed in *ipso instanti* infusionis animae, fuerit sanctificata, ut multi moderni tenent.

l III q. 27. a. 2. et *Compend. Theol.* cap. 232

Ad hoc dicitur, quod aliud est discutere materiam hanc absolute ; et aliud, in quantum ex hac Littera infertur talis conclusio corollarie. Nam absolute loquendo, inter illas duas positiones extremas, sc. quod fuerit sanctificata *ante infusionem animae* vel *post infusionem animae,* est positio media, quod fuit sanctificata in *instanti infusionis* animae. Cuius opinionis Auctor hic non meminit, quia tempore suo non erat adinventa : omnibus communiter tenentibus *Beatam Virginem conceptam in peccato originali,* et ideo, ut videtur, reprobantibus *sanctificationem carnis* ante infusionem animae : ut in hac Littera patet.

Et propterea, loquendo secundum praesentis Litterae contextum, consequentia tenet : quia a negatione sanctificationis anterioris, *cum sua ratione, quia* sc. *contraxit peccatum originale,* infertur quod fuerit sanctificata post animationem.

Et clare patet, quod *sequela haec est efficax;* quoniam impossibile est in uno eodemque instanti contrahere peccatum originale et sanctificari ab illo. Stat ergo Littera solida, quamvis non sollicita de illa media opinione, tunc *inopinabili.* Quae hodie, mulieribus, vulgo, affectuque nonnullorum pio, multorum autem industria ac quaestu cogentibus, ita praevaluit, ut doctrinae Sanctorum aestimata pietas praeferatur ; et quod in communi asseritur, in his sc. quae credenda sunt, sectandos magis antiquos doctores quam modernos, in hoc particulari posthabetur, dum moderni antiquis, et nonsancti sanctis praeferuntur. Testatur autem erraticus hic processus similes esse istos peccantibus ex ignorantia electionis ; dum in universali scientes, applicando ad particulare ab universali declinant. »

Secundo : Quid dicendum de processu Caietani in sua interpretatione ? — De Caietano nonnisi bene, et praeclaras, quas, ut in pluribus, semper meretur, velim referre laudes. Quod ergo ad aliud simile propositum de ipso scripsit Melchior Cano in libro *De Locis Theologicis,* subscribens ego hic libenter transcribo : « Pudet autem (inquit Cano) virum alioquin ingeniosum et doctum, virum pium ac nostrae familiae columen, vano distinctionis novae commento argumentum

firmissimum eludere voluisset... Caietanus, vir (ut saepe iam dixi) cum primis eruditus et pius.... Aggrediar autem ad eam rem, si prius pauca quasi de fama Caietani dixero. Ego virum hunc, ut saepe alias testatus sum, semper feci maximi. Plurimun enim Ecclesiam Christi suis litteris adiuvit. Longum est autem hominis commendare sive eruditionem sive ingenium : molestum etiam universa ipsius opera commemorare. Illud breviter dici potest, Caietanum summis aedificatoribus Ecclesiae parem esse potuisse, nisi quibusdam erroribus doctrinam suam, quasi cuiusdam leprae admixtione, foedasset, et vel curiositatis libidine affectus, vel certe ingenii dexteritate confisus, Litteras demum Sacras suo arbitratu exposuisset, felicissime quidem fere, sed in paucis quibusdam locis acutius sane multo quam felicius... Invitus quidem facio, ut doctissimum virum nomine etiam expresso reprehendam...[1] »

Quare ergo tantus vir, tamque praeclarus D. Thomae interpres, etiam in hac, de qua peragitur materia, non remansit sibi ipsi constans, eademque fidelitate ac perspicuitate *Litteram* Magistri declarans ? Quare, cum corpus Articuli huius feliciter sit interpretatus, ad corollarium dum pervenit : *Unde relinquitur, quod sanctificatio Beatae Virginis fuerit fost eius animationem,* ita a recto quem sequebatur tramite declinavit, et neque Litteram nec spiritum Litterae retinuit? Quare oblitus est illius adeo veri, adeo pulchri, quod veri est splendor, *Commentarii,* quod antea scripserat, I.-II. q. 8l. a. 3. ubi mentem Angelici Doctoris circa totam hanc de peccato originali contrahendo materiam, bene, pulchre, recte exposuerat ? Verum enimvero, Caietanus non fuit oblitus illius magnifici Commentarii, cum et ille etiam in hoc loco ita scribat : « Sermo est de sanctificatione hominis descendentis ex commixtione maris et feminae ; *supponimus* enim omnem huiusmodi hominem peccatum originale contrahere, iuxta superius I.-II. q. 81. a. 3. determinata de peccato originali. » Bene quidem ; iuxta determinata de peccato originali ab ipso Caietano, doctrinam D. Thomae

1 Cano, *De Locis Thcol.* lib. VII. cap. 3. conclus. 5. ; et lib. II. cap. ii. ad 6. arg.

interpretante in loco profecto classico : *Utrum sc. omnes homines ex Adam derivati, praeter solum Christum, ex eo originale peccatum contrahant,* ostendere oportet, quod etiam vigilando *quandoque bonus dormitat Homerus.*

Tertio : Caietanus per Caietanum refutatur. — *a)* Caietanus, in I.-II. q. 81. a. 3. : « Ad fidem catholicam spectat, quod omnes, praeter solum Christum, contrahant peccatum originale. Quod dictum non intelligendum est aliter quam de morte, quae est poena peccati originalis ; ita quod, sicut omnes incurrunt mortem, id est *necessitatem moriendi,* ita omnes incurrunt peccatum originale, id est *necessitatem habendi peccatum originale.* Et sicut non spectat ad fidem, an singuli moriantur actualiter, an divina dispositione aliquis non moriatur ; ita non spectat ad fidem, an aliquis, ex speciali privilegio gratiae, non incurrat actualiter originale peccatum. De utroque enim simul inquit Apostolus ad Rom. 5, 12. : *Per unum hominem peccatum introivit in mundum, et per peccatum mors.* Est igitur necessarium secundum catholicam fidem credere, quod omnis utriusque sexus, ab Adam secundum rationem seminalem proveniens, ex ipsa sua generatione sit obnoxius peccato originali. Et contra Pelagianos, dicentes oppositum, Augustinus disserit et definit : *Coni, hdianum.* De solo autem lesu Christo verum est, quod ex ipsa generatione nulli obnoxius est peccato, iuxta verbum Angeli ad Beatam Virginem ante Filii conceptionem, quae vocatur nativitas in utero, dicentis Lue. 1, 35. : *Quod ex te nascetur sanctum.* Et iuxta hunc sensum militat ratio Auctoris (D. Thomae), sc. quia aliter non indigerent redemptione quae per lesum Christum facta est. Si enim peccatum originale, vel in *actu* vel in *necessitate habendi illud,* quis non incurreret, non egeret redemptione : quod est haereticum. Sed si omnes obnoxii sunt peccato originali, *sufficit ad indiynliam* redemptionis ; neque enim solum redemptione eget actualiter captivus, sed etiam obnoxius captivitati. Et haec bene notabis tu, Thomista, ne nimio zelo, non secundum scientiam, accensus, erronea dicas quae erronea non sunt, cum de Beatissimae Virginis Conceptione disputas aut praedicas. »

b) Caietanus, in *Opusculo* seu *Tractato De Conceptione Beatae Mariae Virginis,* cap. 3. : « Dicitur namque captivus non solum qui *totaliter* in captivitatem est redactus, sed qui *coepit in sui aliqua parte duci in captivitatem* et obnoxius est captivitati. Et similiter dicitur mors peccati, non solum ipsa actualis mors, sed *debitum* et *initium in propria persona* habendi illam. Et similiter dicitur a *peccato originali mundatos,* non solum qui a *contracta actuali macula* mundatus est, sed qui a macula quidem in *debito* et *initio* in *propria persona fundato,* et *reliquis tot quasi partibus* peccati originalis actualiter contractis, mundatus est ; et sic de aliis. Nec putet quisquam de mea haec phantasia me proferre, sed videat D. Thomam in *Prima Secundae,* q. 81. a. 3. (ubi inter alia tractat et illud ad Rom. 5, 12. : *Per unum hominem peccatum transivit in omnes, et per peccatum mors)* sustinentem, quod per *mortem* sufficit intelligere *debitum* seu *reatum,* in propria persona, *mortis,* quamvis nunquam actualiter aliquis moreretur. Ex quo habetur, quod cum Apostolus *duo* simul dicat (sc. quod in omnes pervenit peccatum et mors), sicut secundum, sc. *mors,* sufficienter salvatur, exponendo mortem vel in *acto* vel in *debito* in *propria persona :* ita et primum, sc. *peccatum,* salvatur, exponendo peccatum vel *in acto* vel *in debito in propria persona.* Dixi autem toties in *propria persona;* quoniam si *debitum* aut *initium* peccati originalis non ponitur *proprium* illius qui concipitur, sed *commune,* iam non salvaretur quod *illa persona* esset *mortua, redempta, reconciliata,* etc. Nec esset formalis differentia inter errorem *luliani,* contra quem scribit Augustinus, *ponentis,* per gratiam redemptionis Christi, *fdios Christianorum praeservatos a peccato originali,* quod habebant in *debito communi;* sed esset materialis differentia, quia ille gratiam praeservationis *communem* Christianorum filiis posuisset, hic autem poneretur propria uni. »

Quarto : Responsio ad Caietanum. — χθ Auctor, id est D. Thomas, etsi hic, in *Summa Theologica,* III. q. 27. a. 2. non faciat expressam mentionem de illa positione media, nempe quod Beatissima Virgo fuit sanctificata in *ipso instanti infusionis,* expresse tamen meminit in *III. Sent.* dist. 3. q. i. a. i. solut. 2. ubi sic ad litteram scribit : « Ad secundam quaestionem dicendum, quod sanctificatio Beatae Virginis non potuit esse decenter *ante infusionem animae,* quia gratiae capax nondum erat ; sed nec etiam *in ipso instanti infusionis,* utsc.per gratiam tunc sibi infusam conservaretur, ne culpam originalem incurreret. Christus enim hoc singulariter in humano genere habet, ut redemptione non egeat, quia caput nostrum est, sed omnibus convenit redimi per ipsum. Hoc autem esse non posset, si alia anima inveniretur quae *nunquam* originali macula fuisset infecta ; et ideo nec Beatae Virgini nec alicui praeter Christum hoc concessum est. » Ergo meminebat huius opinionis, quam reiicit propter rationes supra in capite 6. expositas. Ergo in tempore suo erat adinventa. Ergo videtur Caietanus non legisse vel saltem non meminisse, quod D. Thomas meminerit huiuscemodi opinionis.

2° Sanctus Bonaventura, ut postea dicetur, ponit quaestionem de sanctificatione B. Virginis per hunc ordinem : a) ante animationem ; *b)* in ipso instanti infusionis ; *c)* post animationem. Ergo tempore D. Thomae talis opinio iam erat *adinventa* et non erat *« inopinabilis » :* ut Caietanus asserere audet, qui fortasse S. Bonaventuram non legerat.

30 « *Omnibus communiter tenentibus Beatam Virginem conceptam in peccato originali.* » Utique ; omnes communiter tenebant B. Virginem conceptam in peccato originali ; et S. Bonaventura vocat hanc sententiam communiorem ; sed tamen *non omnes* absolute illam tenebant ; erant namque qui asserebant B. Virginem fuisse sanctiftcatam ante animationem, vel etiam in ipso instanti infusionis animae, ita quod prius intelligeretur animam sanctificari quam carni uniri. Praeterea : nec omnes communiter tenentes B. Virginem fuisse conceptam in peccato originali, tenebant B. Virginem incurrisse *actualiter* maculam peccati. Et quod ad rem magis directe spectat, quotiescumque D. Thomas tradit Beatissimam Virginem fuisse in peccato originali conceptam, ideoque talem conceptionem non esse celebrandam, loquitur de

Conceptione Virginis, quae praecedit infusionem animae : ut supra cap. 4. manet ostensum.

40 « *Et ideo reprobantibus sanctificationem carnis anti infusionem animae.* » Non quidem omnes reprobabant ; sed plures affirmabant ; contra quos insurrexerunt SS. Bernardus et Albertus et Bonaventura et D. Thomas. Abs dubio, Caietanus non viderat librum *De arcanis fidei catholicae,* a Galatino compositum et Leoni Papae X. dicatum ; in quo quidem non modo non reprobatur, sed et splendide exaltatur *talis sanctificatio carnis* in Matre Messiae ante infusionem animae. Nec reprobavit Lullius, nec Scotus, sed ultro libenterque approbaverunt. Sunt adhuc multi qui approbarunt et appmbant usque in hodiernum dicm L

1 In vespere ipso ante definitionem dogmaticam, postquam Pius IX. Encyclicam ad Episcopos misit, sententiam eorumdem exquirens, responsa Episcoporum aliqua propugnant sanctificationem B. Virginis ante animationem. In responsione quidem Episcopi Narniensis in Italia haec inter alia ad rem spectantia leguntur : « *Carnis Mariae emundatio ante animae in corpusculum infusionem...* Ex duplici capite pendet, ut censeo, Deiparae Mariae ab originali macula immunitas. Primo ex eo, quod a communi omnium hominum contagione, quae per carnis generationem acquiritur, extiterit libera, *divina virtute emundationem elementorum carnem formantium operante.* Secundo, ex temporis momento, quo anima corpori debite organizato infunditur, in cuius actu, *nisi prius removeatur carnis infectio,* anima, ct ipsa dum infunditur, inquinetur oportet. Hinc, cum originale peccatum, iuxta theologorum sententiam, ex carnis propagatione seu generatione in animam transfundatur ipso temporis ictu, quo corpus foedatum informat : *necessum erat, ut, ante animae infusionem in corpus, admirabilem immaculatumque Mariae conceptum praecederet materiae corporis Mariae emundatio.* » (Roskovany, *Immaculata ex monumentis omnium saeculorum demonstrata.* Tom. IV, pag. 322. ed. 1874.)

Et adhuc P. Janssens, O. S. B. ita ad hoc propositum scribit : « Ut ergo tandem nostram sententiam verbo exprimamus, *debitum contrahendae* labis originalis, tum ex parte ordinis praedestinationis divinae, tum ex parte ordinis ipsius conceptionis activae ct passivae, putamus in B. Virgine fuisse *simpliciter remotum;* tum *a)* quia praedestinatio B. Virginis *praecessit* decretum de universali transfusione peccati originalis ; (unde vocari potest, modo superius explicato, *debitum condittonalum* vel *debitum debiti)* ; tum *b)* quia *ipsa caro Mariae fiat, logice saltem, purgatione initiali praeparata* ad recipiendam animam gratia ornatam. » Et infra : « Quomodo concipienda est illa operatio Dei, B. Virginem immaculatam in sua origine constituens ? Missa opinione Rosmini, utpote iurc ab Romana Sede proscripta, ct prae oculis habitis quae superius diximus de debito peccati originalis in B. Virgine admmittendo, hoc ordine concipimus quae Deus praestitit, ut Filii Matrem in primo temporis instante suae animationis a contagione originalis liberaret. Naturali via ab Adamo traducta, *caro* B. Virginis debuisset esse *caro peccati,* ct hoc contra Rosminium ; at in secundo instante logico, *haec caro a Deo purificata tsl,* ca purificatione physica, (piae fomitem deleret. In secundo instante logico, anima B. Virginis *huic carni purificatae* est unita. In tertio instante logico, haec anima impleta est illa gratiarum plenitudine, quam mox eamdem decorasse probabimus. Unde anima B. Virginis, licet non fuerit prius tempore sanctificata quam corpori unita, imo licet logice prius fuerit corpori unita, fuit vere a primo temporis instante sanctificata, ac proin ab originali labe servata immunis. » — ItaP. Janssens, *Summa Thcol* Tom. V. *Dissert. De 1mm. Concept.* p. 37 et 119.

Hic repetenda sunt verba D. Thomae, III. q. *27.* a. *2.* : « Si quocumque modo ante animationem B. \irgo sanctificata fuisset... non indiguisset redemptione ct salute quae est per Christum.

5° « A *negatione sanctificationis anterioris, cum sua ratione, quia sc. contraxit peccatum originale, infertur quod fuerit sanctificata post animationem.* » Respondeat hic Caietano Caietanus ipse, *rationem* D. Thomae exponens ac declarans, I-II. q. 81. a. 3. : « Sicut omnes incurrunt mortem, id est *necessitatem moriendi,* ita omnes incurrunt peccatum originale, id est *necessitatem habendi peccatum originale...* Et iuxta hunc sensum militat ratio Auctoris (D. Thomae) sc. quia aliter non indigerent redemptione quae per Iesum Christum facta est. Si enim peccatum originale, vel in *actu* vel *in necessitate habendi* illud, quis non incurreret, non egeret redemptione : quod est haereticum. Sed si omnes obnoxii sunt peccato originali, *sufficit* ad indigentiam redemptionis ; neque enim solum redemptione eget actualiter captivus, sed etiam obnoxius captivitati. Et haec bene notabis tu, Thomista !... » Quare ergo tu, Eminentissime D. Thomae interpres, non notasti in tertia Parte *Summae,* q. 27. a. 2. illa omnia haec quae sic adeo bene notaveram et adnotaveras in I.-II. q. 81. a. 3.? Quare oblivioni tradidisti illum *sensum,*

iuxta quem *militat ratio* Auctoris? Ergone « a negatione sanctificationis anterioris, cum sua ratione, quia sc. contraxit peccatum originale, infertur quod fuerat sanctificata post animationem))? Utique infertur : at non, ut Caietanusconatur inferre ; sed secundum sensum iuxta quem militat ratio D. Thomae ; quia apud D. Thomam *conclusio* inferenda est atque intelligenda in illo eodem sensu iuxta quem militat et concludit *ipsa ratio* quam D. Thomas affert ad conclusionem probandam.

6° « *Et clare patet, quod sequela haec est efficax; quoniam impossibile est in- uno eodemque instanti contrahere peccatum originale et sanctificari ab illo.* » Utique impossibile est in uno eodemque instanti temporis contrahere *actu* peccatum originale et sanctificari ab illo ; sed non est impossibile in uno eodemque instanti temporis contrahere peccatum originale *in necessitate habendi illud,* et sanctificari ab illo. Et clare patet, quod sequela haec est efficax ; quia in argumentatione D. Thomae tunc est efficax sequela, cum sequitur sensum iuxta quem militat D. Thomae argumentatio.

7° « *Stat ergo Littera solida. Unde relinquitur, quod Beata Virgo sanctificata fuerit post animationem.* » Utique : dummodo talis conclusio per modum corollarii deducta ex directa conclusione Articuli, nempe : *Beatissima Virgo non fuit sanctificata ante infusionem animae,* intelligatur in sensu in quo a D. Thoma deducitur, qui non potest nec debet esse alius sensus nisi ille, iuxta quem militat ratio D. Thomae. *Ergo post animationem :* posterioritate vel temporis vel saltem naturae et ordinis.

? 2

Iuxta litteram ergo et spiritum doctrinae atque argumentorum D. Thomae « Post infusionem animae », « Post animationem », veniunt logice intelligenda dIsiunctive, nimirum: vel posteriotate temporis, vel solum posterioritate naturae et ordinis.

Primo : D. Thomas affert exemplum utriusque posterioritatis in hac materia de sanctificatione. — Loquens enim de prima sanctificatione angelorum, I. q. 62. a. 3. ait : « Creavit

Deus, simul in eis (angelis) condens naturam et largiens gratiam... *Informitas illa* angeli potest intelligi vel per comparationem ad *formationem* gloriae, et sic praecessit *tempore* informitas formationem ; vel per comparationem ad *formationem* gratiae, et sic non praecessit *ordine temporis,* sed *ordine naturae.* »

Iterum : loquens etiam de prima sanctificatione Adami, I. q. 95. a. i. ait : « Homo creatus fuit in gratia... Cum motus voluntatis non sit continuus, nihil prohibet etiam in *primo instanti* suae creationis primum hominem gratiae consensisse. »

Rursus : loquens de iustificatione hominis adulti, I.-II. q. 113. a. 8. ait : « Respondeo : dicendum, quod *praedicta quatuor,* quae requiruntur ad iustificationem impii, *tempore* quidem sunt simul, quia iustificatio impii non est successiva ; sed *ordine naturae,* unum eorum est prius altero ; et inter ea, *naturali ordine,* primum est *gratiae infusio;* secundum, *motus liberi arbitrii* in Deum ; tertium, *motus liberi arbitrii* in peccatum ; quartum vero est *remissio culpae.* »

Lnde in prima sanctificatione Beatissimae Virginis *ordine naturae* prius est animam *creari* quam carni *uniri* seu *infundi;* et prius animae *infusio* quam carnis *animatio;* et prius *unio* corporis et animae quam personae humanae *constitutio;* et prius *constitutio* personae quam *infusio* gratiae sanctificantis ; tempore quidem sunt simul[1].

1 Aliud sane egregium exemplum huiusmodi prioritatis ac posterioritatis, non temporis, sed solius ordinis ac naturae, habetur *1. Sent.* (list. 15. q. 5. a. i. solut. 3. ad 1. : « Dicendum, quod humana natura, quamvis tempore non fuerit ante unionem, tamen *prius* est ipsam considerare secundum intellectum *in sc,* quam *ut unitam;* et ideo ad ipsam fit missio Filii per gratiam unionis, quae dicitur missio in carnem. Similiter etiam secundum quod intelhgitur *unita,* adhuc est distans a Divina Natura *secundum conditionem naturae,* quamvis *non secundum unitatem Personae;* et ideo ad naturam humanam (tiam potest fieri missio per gratiam invisibilem in mentem, quamvis tempore natura gratiam non praecedat. » Applica ergo haec ad sanctificationem Virginis post animationem (III. q. 27. a. 2.) ; ct nullo negotio ex doctrina atque argumentis D. Thomae venit legitime inferenda sanctificatio B Virginis in ipsomet primo instanti suae animationis. .

Secundo : Quare D. Thomas noluerit determinare hanc clausulam : « Post infusionem animae», « Post animationem». — x° Quia D. Thomas nihil invenit *expresse* dictum de hac materia in Sacra Scriptura, nec apud Patres et antiquos Doctores, neque in documentis Romanorum Pontificum, imo, Ecclesia Romana Conceptionem Beatissimae Virginis adhuc non celebrabat. Unde ipse Angelicus Doctor scribit III. q. 27. a. i. : « Respondeo : dicendum, quod de sanctificatione Beatae Virginis Mariae, quod sc. fuerit sanctificata in utero, nihil in Scriptura Canonica traditur, quae etiam nec de eius nativitate mentionem facit. » Et ideo fatetur, et omnes simul hoc fatebantur, nimirum : *Quo tempore sanctificata fuerit, ignoratur* (III. q. 27. a. 2. ad 3.). *Quae* (sanctificatio B. Virginis) *quando determinate fuerit, incertum est. (III. Sent.* dist. 3. q. 1. a. 1.) *Cuius sanctificationis tempus ignoratur. Creditur enim, quod cito post conceptionem et animae infusionem fuerit sanctificata (Quodlib. 6.* a. 7.)

2° Quia agebatur de *facto,* ad quod certe determinandum nullum argumentum de necessitate concludit, ante voluntatem Dei per revelationem nobis aperte manifestatam et per Ecclesiae definitionem nobis propositam. Lnde de *hoc facta* sanctificationis Beatissimae Virginis idem est dicendum, quod de *facto* Incarnationis scribit Angelicus Doctor, III. q. i.a.3. : « Ea enim quae ex sola Dei voluntate proveniunt supra omne debitum creaturae, nobis innotescere non possunt, nisi quatenus in Sacra Scriptura traduntur, per quam divina voluntas nobis innotescit. » De qua quidem sanctificatione Beatissimae Virginis facta in primo instanti animations loquebatur Romanus Pontifex Gregorius XV. in Litteris die 4. Iulii a. 1622 datis, sic : « *Spiritus Sanctus, accuratissimis precibus exoratus, nondum tanti Mysterii arcanum Ecclesiae suae patefecit. Nos autem nonnisi eo praeeunto aeternitatis volumen in Christianae sapientiae Cathedra legere debemus.* »

30 Quia in hac materia de sanctificatione Beatissimae Virginis, de hoc maxime erat D. Thomas sollicitus, sc. ut nihil derogaretur dignitati Filii in quantum Redemptor; ideoque pro aris et focis laborabat ad reiciendam sanctificationem Beatissimae Virginis ante animae infusionem et ad

huiusmodi primam sanctificationem firmiter stabiliendam *post animationem,* post *constitutionem personae* Beatissimae Virginis, sive posterioritate temporis, sive posterioritate ordinis et naturae : cuius posterioritatis deteiminationem reliquit iudicio Ecclesiae opportuno tempore definiendam. Inde :

Tertio : D. Thomas nunquam posuit magistraliter quaestionem : « An Beata Virgo contraxerit peccatum originale, » vel : « Utrum B. Virgo fuerit a macula originalis peccati praeservata, » sed semper ponebat sic : « Utrum fuerit sanctificata ante animationem. » — Ad rem loannes a Sancto Thoma, *Curs, thcolog.* tom. I. disp. 2. a. 2. De Approb. doctrinae D. Thomae : « Secundum quod advertimus, est, quod D. Thomas nunquam posuit quaestionem : *An B. Virgo contraxerit peccatum originale! An vero fuerit praeservata!...* Ex his praenotatis liquido constabit de mente Doctoris sancti, quae si attente fuisset considerata et collata diversis suis locis inspecta, nihil sinistrum unquam de illo fuisset suspicatum in hac parte. Itaque invenit D. Thomas iam suo tempore controvert! hanc difficultatem, et multos inclinare in immaculatum conceptum Virginis, ecclesiasque non paucas celebrare hoc festum ex tolerantia Romanae Ecclesiae, ipsam tamen Ecclesiam Romanam nondum illud celebrare. Unde permaxime sollicitus fuit de *uno puncto,* quod in hac materia gravius et considerabilius est et ad doctrinam Christianam praecipue spectans, videlicet, ne *gratia sanctificationis,* quae tribuebatur conceptioni Virginis, ita sinistre intelligeretur ab aliquibus, quod *non ipsi personae* Virginis diceretur fieri, sed quaecumquc haec gratia seu beneficium hoc sit, *ipsi personae* Virginis debet fieri; non *parentibus,* sanando vitium naturae ; non *conceptioni activae* seu *praeparativae ;* non *embryoni ;* postremo, non *animae* nec *carni,* ante animationem et constitutionem personae. Hoc voluit maxime observari D. Thomas et in hoc *totum suum studium* posuit ; quia *videbat,* si in hoc sinistra aliqua intclligentia inolesceret et semel admitteretur non ipsi personae Virginis fieri hoc beneficium, *destrui grande principium in*

fide: quod daretur aliqua persona inter homines quae in se personaliter seu ratione suae personae non indigeret redemptione Christi. Ad hoc autem necesse erat ponere *debitum aliquod* seu *periculum* in ipsa persona, a quo si non teneretur non liberaretur. »

De hoc siquidem D. Thomas erat maxime sollicitus, nimirum, quod ita explicaretur prima sanctificatio Beatissimae Virginis, ut servaretur necessitas personalis redemptionis ; ac peiinde in hoc totum suum studium ponebat, ut concluderet ad sanctificationem B. Virginis post animationem, post constitutionem personae. Verumtamen, argumenta D. Thomae ac principia doctrinalia circa puritatem Beatissimae Virginis ab ipso stabilita conducunt via recta ad posterioritatem dumtaxat naturae ordine intclligendam. Imo, ipsemet Angelicus Doctor semel atque iterum praeservationem Beatissimae Virginis Mariae ab omni originalis culpae labe tradidit ac docuit.

Processus logicus D. Thomae sanctificationem Beatissimae Virginis post eiusdem animationem, posterioritate non temporis, sed solius naturae, manifeste ostendit.

Patet 1° : Ex ipsis D. Thomae argumentis. — Omnia enim argumenta, quibus Angelicus Doctor constanter probare conatur sanctificationem Beatissimae Virginis fuisse post eius animationem, reducuntur ad unum, quod est ceterorum caput, videlicet, *quia aliter Beatissima Virgo non indiguisset redonfitione et salute quae est per Christum.* Iam vero, ad indigentiam personalem redemptionis sufficit, iuxta eundem Angelicum Doctorem, contrahere peccatum originale non actu, sed in necessitate habendi illud ; sufficit debitum incurrere et cum debito nasci, ut ex dictis supra ostensum est. Processus ergo logicus D. Thomae non necessario requirit posterioritatem temporis in sanctificatione Beatissimae Virginis post animationem, sed postulat dumtaxat posterioritatem intellectus, ordinis et naturae. Quod ostenditur ex

duplici ratione, qua Angelicus Doctor concludit sanctificationem B. Virginis non posse intelligi ante eius animationem. Ait enim, III. q. 27. a. 2. :

« *Primo,* quidem, quia sanctificatio de qua loquimur, non est nisi emundatio a peccato originali ; sanctitas enim est perfecta munditia, ut Dionysius dicit, cap. 12. *De Div. Nomin.* Culpa autem non potest emundari nisi per gratiam, cuius subiectum est sola creatura rationalis. Et ideo ante infusionem animae rationalis Beata Virgo sanctificata non fuit.

Secundo, quia, cum sola creatura rationalis sit susceptiva culpae, ante infusionem animae rationalis proles concepta non est culpae obnoxia. Et si quocumque modo ante animationem Beata Virgo sanctificata fuisset, nunquam incurrisset maculam originalis culpae, et ita non indiguisset redemptione et salute quae est per Christum, de quo dicitur Math. 1, 21. : *Ipse salvum jaciet populum suum a peccatis eorum.* Hoc autem inconveniens est, quod Christus non sit Salvator omnium hominum, ut dicitur I. Timoth. cap. 4.

Unde reliquitur, quod sanctificatio Beatae Virginis fuerit post eius animationem. »

a) Ex *prima* namque ratione sequitur, quod sanctificatio Beatae Virginis fuerit post eius animationem, posterioritate naturae tantum, ac proinde in ipsomet primo instanti temporis quo corpus Virginis animatum fuit. Etenim ratio, quarc D. Thomas reicit sanctificationem Beatissimae Virginis ante eius animationem, est, quia sola creatura rationalis est subiectum gratiae sanctificantis per quam fit emundatio a peccato originali. Sed in ipso primo instanti animationis iam adest gratiae sanctificantis subiectum, quod est creatura rationalis, nempe persona Beatissimae Virginis. Ergo sanctificatio Virginis, iuxta supradictam rationem, non requirit posterioritatem temporis post animationem, sed potest e-se in ipsomet temporis primo instanti, quo anima infunditur et quo corpus animatur et quo rationalis creatura, gratiae sanctificantis subiectum, existit. Unde D. Thomas, I. q. 100. a. i. ad 2. : « Cum radix iustitiae originalis, in cuius rectitudine factus est homo, consistat in subiectione supernatural! ad Deum, quae est per gratiam gratum facientem, necesse

est dicere, quod, si pueri nati fuissent in originali iustitia, etiam nati fuissent cum gratia ; sicut de primo homine supra diximus, quod fuit cum gratia conditus. Non tamen fuisset propter hoc gratia naturalis ; quia non fuisset transfusa per virtutem seminis, sed fuisset collâta homini *statim cum habuisset animam rationalem ;* sicut etiam statim, cum corpus est dispositum, infunditur a Deo anima rationalis, quae tamen non est ex traduce. » Ergo relinquitur, quod sanctificatio Beatissimae Virginis fuerit *post eius animationem,* id est, statim cum habuisset animam rationalem ; sicut etiam statim, cum corpus eius fuit dispositumt infusa fuit corpori a Deo anima rationalis.

b) Ex *secunda* vero ratione similiter nihil aliud sequitur nisi quod, cum ante infusionem animae rationalis proles concepta non sit culpae obnoxia, necesse est prolem conceptam sanctificari *post animationem ;* quia, si quocumque modo ante animationem Beata Virgo sanctificata fuisset, *nunquam incurrisset* maculam originalis culpae, *nec actu* nec in *potentia debitrice.* Consequenter, non indiguisset redemptione ; quia sola creatura rationalis est susceptiva culpae. Si ergo Beata Virgo sanctificata fuisset post animationem, posterioritate temporis, tunc incurrisset *actu* originalem culpam ; si vero in ipsomet temporis instanti quo proles concepta animatur, tunc incurrisset culpam in *potentia tantum debitrici;* quia gratia et culpa non possunt simul esse in eodem subiecto, quod est essentia animae ; at possunt tamen simul esse in eodem subiecto *gratia* et *necessitas* incurrendi culpam seu *debitum* carendi gratia. Quamobrem, D. Thomas, *De Malo,* q. 4. a. 1. ad 9. : « Corruptio quae est in carne, est quidem *actus naturalis,* sed intentione et virtute *moralis.* Ex peccato enim primi parentis destituta est caro eius *illa virtute,* ut ex ea possit decidi *semen* per quod *originalis iustitia* in alio propagetur ; et sic in semine defectus huius virtutis est *defectus moralis corruptionis* et *quaedam intentio* eius ; sicut dicimus intentionem coloris esse in aëre, et intentionem animae esse in semine. Et ex hoc etiam est ibi virtus ad similem imperfectionem, sicut est ibi virtus ad productionem humanae naturae in prole generata. Et ex hoc habet virtutem causandi

et humanam naturam et originale peccatum. » Unde proles generata, cum animatur, habet in se *aliquid ex* quo *debetur ei quod carcat gratia.* Et tunc proles concepta est culpae obnoxia ; et si de facto careat gratia, ad defectum gratiae relinquitur *macula.* At si ex privilegio gratia ei confertur, non relinquitur macula ; verumtamen indiget redemptione et salute quae est per Christum, quia nonnisi per gratiam Redemptoris ab actuali macula praeservatur immunis.

Patet 2° : Ex principio generali in doctrina D. Thomae circa puritatem Beatissimae Virginis. — III. q. 27. a. 2. ad 2. : « Sub Christo, qui salvari non indiguit tamquam universalis Salvator, *maxima* fuit B. Virginis *puritas.* Nam Christus *nullo modo* contraxit originale peccatum, sed in ipsa sui conceptione fuit sanctus, secundum illud Luc. i, 35. : *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* » Et *III. Sent.* dist. 3. q. 1. a. 1. solut. 2. ad 3. : « Haec puritas soli Homini Deo debebatur, ut ipse, quasi unicus Redemptor humani generis, nulla peccati servitute teneretur, cui competebat omnes a peccato redimere. Unde non hanc puritatem, sed sub hac *maximam* Virgo Mater eius habere debet. » Ergo, secundum D. Thomae doctrinam, Virgo Mater Christi debet habere puritatem maximam sub puritate quae soli Homini Deo debetur. Ergo sub Christo, qui *nullo modo* contraxit peccatum originale, Beata Virgo contraxit quidem originale peccatum *aliquo modo:* id est. non *actualiter,* sed in *necessitate habendi illud.* Unde relinquitur, quod sanctificatio Beatissimae Virginis fuerit post eius animationem, posterioritate non quidem temporis, sed solius naturae ac ordinis.

Patet 3° : Ex declaratione illius sententiae S. Anselmi lacta ab Angelico Doctore, sc. : Conveniens fuit, ut Beatissima Virgo ea puritate niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi. — Quam D. Thomas sic declarat :

a) *I. Sent.* dist. 17. q. 2. a. 4 : « Augmentum enim puritatis est secundum recessum a contrario ; et quia in Beata

Virgine fuit depuratio ab omni peccato, ideo pervenit ad summum puritatis ; sub Deo tamen in quo non est aliqua potentia deficiendi, quae est in qualibet creatura, quantum in se est. »

b) *I. Seni.* dist. 44. q. 1. a. 3. ad 3. : « Dicendum, quod puritas intenditur per recessum a contrario ; et ideo potest aliquid creatum inveniri quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit; et talis fuit puritas Beatae Virginis, quae a peccato originali et actuali immunis fuit ; tamen sub Deo. in quantum erat in ea potentia ad peccandum. »

Patet 4° : Ex principiis doctrinalibus a D. Thoma traditis, iuxta quae oportet theologum de sanctitate Beatissimae Virginis loqui. — ***III.*** *Sent.* dist. 3. q. 1. a. 1. et *Sum. Theol.* III. q. 27. a. 1. :

a) « Plus gratiae collatum est B. Virgini quam alicui sanctorum. »

b) « Ipsa super omnes alios sanctos a peccato purior fuit. »

c) « Beatae Virgini aliquid ultra legem communem conferendum fuit. »

d) « Illa sanctificatio Beatae Virginis excellentior fuit sanctificationibus aliorum. »

c) « Credendum est ei collatum esse quidquid conferri potuit. »

/) « Rationabiliter creditur, quod illa, quae genuit *Unigenitum a Patre, plenum gratiae et veritatis,* prae omnibus aliis maiora privilegia gratiae acceperit. »

Cum ergo, iuxta doctrinam etiam D. Thomae, ad hoc quod Beatissima Virgo indigeat redemptione et salute quae est per Christum, non aliud requiratur nisi quod « *sanctificatio non praecedat infusionem animae* »: ideo, cum ipse D. Thomas ex hoc, quod Beatissima Virgo non fuerit sanctificata ante infusionem animae, concludat tandem quod sanctificatio Beatissimae Virginis fuerit post eius animationem, clare perspicitur, quod neque D. Thomae argumenta, nec processus logicus, nec principia eius doctrinalia in praesenti

materia, cogunt ad inferendam posterioritatem temporis ; sed, e contra, solam posteiioritatem naturae et ordinis lequirunt, exigunt ac postulant.

Patet 5° : Ex eo quod Angelicus Doctor expresse fatetur Beatissimam Virginem nullam omnino habuisse macula peccati.

ɳ) *III. Sent.* dist. 3. q. 1. a. 1. sol. 3. : « Dicendum, quod Beata Virgo *ante nativitatem ex utero* sanctificata fuit : quod colligi potest ex hoc, quod ipsa super *omnes sanctos a peccato purior fuit,* veluti Divinae Sapientiae Mater electa, in qua *nihil inquinatum* incurrit, ut dicitur Sap. 7. Unde cum *haec puritas* in quibusdam fuisse inveniatur, ut ante nativitatem ex utero a peccato mundarentur, sicut de loanne Baptista, de quo legitur Lucae 1, 15. : *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suae;* et de leremia. de quo dicitur lerem. 1,5. : *Priusquam exires de ventre sanctificavi te:* non est dubitandum hoc multo excellentius Matri Dei collatum fuisse. Si ergo hoc privilegium Matri Dei collatum fuit *multo excellentius,* si super omnes sanctos Mater Dei fuit a peccato *purior,* si *nihil* in Divinae Sapientiae Matre electa *inquinatum* incurrit : neque est dubitandum Beatissimam Virginem non modo sanctificatam fuisse *ante nativitatem ex utero,* sicut leremias et Baptista, verum etiam fuisse sanctificatam in *ipsomet ortu suo* qui dicitur *nativitas in utero.* Quod videtur Angelicus Doctor insinuasse, III. q. 27. a. 2. ad 2. dicens : « Nam Christus *nullo modo* contraxit originale peccatum... Sed B. Virgo contraxit quidem originale peccatum, sed ab eo fuit *mundata,* antequam ex utero nasceretur. Et hoc signatur Job 3, 9. ubi de nocte originalis peccati dicitur : *Exspectet lucem,* (id est, Christum) *et non videat ;* quia *nihil inquinatum incurrit in ea,* ut dicit Sap. 7, 25 ; *nec ortum surientis aurorae,* id est, Beatae Virginis, quae in *suo ortu* a peccato originali fuit immunis. » Fuit ergo Beatissima Virgo sanctificata, non tantum modo antequam ex utero nasceretur, sed etiam *in suo ortu* seu *nativitate in utero* a peccato originali fuit immunis. Et tamen B. Virgo dicitur ab originali peccato *mundata;* nam, ut Caietanus declarat in tract. *De*

Concept I *irginis,* cap. 3· ·« Dicitur enim a peccato originali *mundatus,* non solum qui, contracta actuali culpa, mundatus est ; sed qui a macula quidem, in *debito* et *initio* propriae personae fundato, mundatus est. Nec putet quisquam de mea haec phantasia me proferre ; sed videat D. Thomam, I.-II. q. 81. a. 3. sustinentem quod per mortem sufficit intelligere debitum seu reatum, in propria persona, mortis, quamvis numquam actualiter aliquis moreretur. »

b) III. Seni. dist. 3. q. 1. a. 2. : « Dei sapientia non solum in animam Virginis intravit, sicut et de ceteris dicitur, *Sap. q, 2η.* : *In animas sanctorum se transfert;* sed et corpus eius inhabitavit, carnem de ea assumens. Ergo in ea nullum peccatum fuit : quod colligi potest ex eo quod dicitur *Cantio.* 4, 7. : *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.* »

c) Exposit. in Psalm. 18 : «Quod ergo dicit : *In sole posuit tabernacuhCm suum;* id est, corpus suum Christus posuit in *sole;* id est, in Beata Virgine, quae *nullam* habuit *obscuritatem* peccati. *Cantic.* 4, 7. : *Tota pulchra es, amica nica, el macula non est in te.* »

d) Exposit. in Psalm. 14. : « In Christo et in Virgine Maria *nulla* omnino *macula* fuit. »

c) *Exposit. in Evang. Matth.* cap. 1. : « *Mater cius,* id est, Dei. Hic ostenditur eius dignitas. Nulli enim creaturae hoc concessum est, nec homini, nec Angelo, ut esset pater aut mater Dei ; sed hoc fuit privilegium gratiae singularis, ut non solum hominis, sed Dei Mater fieret ; et ideo in Apocalypsi, 12, 1. : *Mulier amicta sole,* quasi tota repleta Divinitate. »

/) Psalm. 45. : « *Fluminis impetus laetificat civitatem Dei; sanctificavit tabernaculum suum Altissimus ; Deus in medio cius non commovebitur ; adiuvabit eam Deus mane diluculo.* Et possunt haec referri ad B. Virginem, quia ipsa est civitas; in ipsa habitavit ; ipsam fluminis impetus, sc. Spiritus Sanctus, laetificavit ; ipsam sanctificavit in utero matris suae, postquam formatum fuit corpus et creata anima. Tunc primo operuit gloria Domini Tabernaculum, ut dicitur *Exod.* cap. 40. Et est alia sanctificatio B. Virginis, et aliorum sanctorum ; quia alii sic sanctificati fuerunt, quod nunquam mortaliter

peccaverunt, tamen venialiter. Sic. 1. Ioan. cap. 1. : *Si dixerimus quia peccatum non habemus, mendaces sumus, et veritas in nobis non est.* Beata autem Virgo nec mortaliter nec venialiter unquam peccavit. *Cantic.* 4. : *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.* Ideo dicit : *Non commovebitur,* nec veniali peccato. Et ideo dicit : *Adiuvabit eam Deus mane diluculo;* id est, adhuc ea existente in utero. Et hoc est quod dicit, quod auxiliatus est ei Dominus in ipso ortu matutino. »

g) *Exposit. orat, dominicae,* opusc. 5. petitio 5. : « Hoc nulli datum est, nisi soli Christo qui habuit spiritum non ad mensuram, et Beatae Virgini quae fuit plena gratiae, in qua nullum peccatum fuit, ut dicit Augustinus, *De nat. et grat.* cap. 36. Cum de peccatis agitur, nullam de ea vult fieri mentionem. »

h) Expos, de Ave Maria, opusc. 6. (edit. Vives) : « Excedit angelos quantum ad puritatem ; quia B. Virgo non solum est pura in se, sed etiam procuravit puritatem aliis. Ipsa enim purissima fuit et quantum ad culpam ; quia ipsa Virgo *ncc originale,* nec veniale, nec mortale peccatum incurrit h »

l Ita legitur in edit. Parisiis, apud Ludovicum Vivès, 1889, *Opera D. Thomae,* tom. XXVII pag. 201 :« Tertio, excedit angelos quantum ad puritatem ; quia Beata Virgo non solum erat pura in se, sed etiam procuravit puritatem aliis. Ipsa enim purissima fuit ct quantum ad *culpam;* quia ipsa Virgo ncc *originale,* nec mortale, ncc veniale peccatum incurrit, etc. » Ita etiam legebat in Concilio Basilccnsi Ioannes de Segobia \ *Allegatio 4.* scribens : « Sanctus Thomas hoc idem de immunitate Beatissimae Virginis a peccato originali dicit in *Expositione Salutationis Angelicae...* Ipsa enim purissima fuit quantum ad culpam, quia *nec originale,* nec mortale, ncc veniale peccatum incurrit... Haec fere de verbo ad verbum S. Thomas habet in praedicta *Expositione:* qui (prout ad oculum patet) manifeste

1 « Ioannes de Segobia, Sanctae Ecclesiae Toletanae Canonici, Sacrae Theologiae D"*, Episcopi Caesarini, et secundum aliquos S. R. E. Cardinalis, *Septem Allegationes et totidem Avisamenta pro informatione PP. Concilii basileensis, Praesidente tunc Indice fidei DD. Cardinali Arelatensi,* an. *Domini 14.16, circa Sacratissimae Virginis Mariae Immaculatam Conceptionem eiusque praeservationem a peccato originali in primo suae animationis instanti. — Studio et labore R. P. Er. Petri de Atra et Astorga. Rruxellis, 1664.* »

dicit quod intendimus, videlicet, quod Beatissima Virgo nunquam incurrerit originale peccatum. » Haec Joannes de Segobia.

P. Hurter in edit, huiusce *Opusc.* «Ocniponti facta adnotat : e Aliqui contendunt legendum esse : « Maria purissima fuit quantum ad omnem culpam, quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum aliquando incurrit. » Ita saltem legit Salmeron in Epist. ad Rom disp. 51. ; et Canisius, *De B. Virgine,* lib. 1.; et hanc lectionem aliqui quoque codices mss. habent... Ioannes vero a Turrecremata hunc textum cum illa additione — *nec originale* — expendens in tract. *Dc veritate Conceptionis,* quem composuit pro facienda relatione coram PP. Concilii Basilccnsis. scribit, part. 12. cap. 15. : « Ad istam respondetur primo, quod dubium magnum, quod S. Thomas illud verbum dixerit ; multis quidem originalibus perspectis, non est reperta illa particula, quod peccatum originale non incurrit, etc. » — Ad quod adiungit P. Hurter : « Hoc dubium confirmatur cx ipso hoc Opusculo; nam qui paulo superius n° 4. dixit : « Peccatum enim aut est originale, et de isto fuit mundata in utero ; aut mortale aut veniale, et de isto libera fuit ; et mox : Christus excellit B. Virginem in hoc, quod sine originali *conceptus* et *natus* est ; B. autem Virgo in originali est *concepta,* sed non *nata* : vix credi potest modo post paucas periodos dixisse B. Virginem nec peccatum originale incurrisse. » Haec P. Hurter.

Verum, iam istam apparentem antinomiam solverat atque in concordia posuerat in Cone. Basileensi Joannes de Segobia in *Avisamento* 5. : « *Conceptio* Virginis potest sumi dupliciter, sc. : *materialis,* quando convenerunt parentes ad ipsius generationem ; aut *personalis,* quando primum anima rationalis infusa fuit. Primo modo, sane intelligendo, non negatur *quin fuerit in peccato ;* hoc est, iuxta verba Augustini, in *foeditate libidinis ;* quia sua conceptio fuit communi modo generationis aliorum hominum. Et sic, ut infra declaratur, loquitur Bernardus in *Epistola ad Lugdunenses.* Sed, loquendo de eius Conceptione, prout est *constitutio personalis,* ipsa mwi *fuit in peccato ;* quia nunquam decuit, quod haec, quae post tres Divinas Personas incomparabilis excellentiae est, supra omnes personas angelorum et hominum, unquam fuerit odiosa et inimica D o Filio suo, nec subiecta miserabiliter servituti diaboli... Unde per huiusmodi distinctionem, quod *aptiludine,* et *non actu, concepta in peccato* dicatur (B V.), possent Doctorcs in *unum* convenire, qui, ut quibusdam apparet, in hac materia loquuntur *contrarie...* Sic etiam potest intelligi doctrina Sancti Thomae, qui in *Expositione Salutationis Angelicae* dixit, quod *Beata Vtrgo nec originale, nec mortale, nec veniale peccatu»; incurrit:* et cum hoc dicit, quod *sil concepta in peccato et mundata ab eo,* non contradicitur autem intelligendo primum *dc personali,* secundum de *materiali* cius Conceptione. » Haec sapienter Ioannes de Segobia. — Et quidnam aliud est hoc nisi ipsamet D. Thomae sapientia quam praeclarissime exponit Caietanus, *In* I.-II, q. 81. a. 3. :

«Secundum fidem catholicam firmiter est tenendum,quod on nes homines, praeter *solum Christum, ex* Adam derivati, peccatum originale ex eo contrahunt ; alioquin non omnes indigerent redemptione quae est per Christum. Quod dictum (ait Caietanus) non intclligendum est aliter quam de morte quae est poena peccati originalis ; ita quod, sicut omnes incurrunt mortem, id est, *necessitatem moriendi,* ita omnes incurrunt peccatum originale, id est, *necessitatem habendi Peccatum originale. Et iuxta hunc sensum militat ratio Auctoris* (D. Thomae). »

CAPUT OCTAVUM

Duplex via theologica per quam perveniri potest ad stabiliendam praeservationem Beatissimae Virginis a peccato originali, et duplex exinde sensus quo hulusmodi praeservatio potest intelligi.

Duplex via theologica.

Primo : In quo conveniat utraque via. — Tametsi per diversas vias gradientes, in hoc tamen theologi omnes conveniunt, nimirum, quod praeservationem Beatissimae Virginis ab omni prorsus peccato, ideoque et ab originali peccato, conantur iure merito concludere ac ostendere ex altissima dignitate Divinae Maternitatis atque ex identitate decreti unius, quo Virginis primordia cum Filii Dei Incarnatione fuerunt simul in consiliis Divinae Sapientiae signata et confirmata. Quod profecto traditur in Bulla dogmatica *Ineffabilis Deus* his verbis : « Ineffabilis Deus, cuius via misericordia et veritas, cuius voluntas omnipotentia... ab initio et ante saecula Unigenito Filio suo Matrem, ex qua caro factus in beata temporum plenitudine nasceretur, elegit atque ordinavit... Virginis primordia *uno eodemque decreto* cum Divinae Sapientiae Incarnatione fuerant praestituta. »

Secundo : Diversitas valde notanda in initio seu angulo utriusque viae. — Cum viae utriusque initium sit Filii Dei Incarnatio atque divina Beatissimae Virginis, ut sit Verbi Incarnati Mater, electio : statim via haec, una in sui initio, fit bipartita ac valde in consequentibus diversa, secundum

quod ponitur Incarnatio Filii Dei ante praevisionem peccati Adami decreta ; vel, e contra, asseritur quod, si homo non peccasset, Filius Dei incarnatus non fuisset. Etenim, iuxta 'ententiam theologorum ponentium Incarnationem Verbi intentam a Deo, primo et principaliter, tamquam remedium peccati, electio Beatissimae Virginis ad divinam Maternitatem ponenda perinde est post praevisionem originalis peccati totius humanae naturae ; dum, e contrario, oportet talem electionem, ex qua omnia supernaturalia B. Virginis privilegia pendere videntur, Adami culpam eiu^que totius posteritatis ruinam praecedere. Exinde :

Tertio : Diversitas utriusque viae per totam suam longitudinem. — In via itaque cuius initium est Incarnatio Filii Dei ante praevisionem peccati originalis : i° Deus voluit Incarnationem Verbi et summam gloriam ac gratiam animae Christi, ut fini propinquiori, eiusdemque Christi Matris electionem et sanctitatem. 2° Deus gratia ipsius Christi, cuius Maria est electa Mater, elegit plures alios ex angelis et hominibus, quorum Christus esset caput et princeps, eos praedestinando. 30 Christus et Mater eius, quemadmodum et ceteri electi, prius praevidebantur et praedestinabantur ad gratiam et gloriam, quam praevideretur peccatum et Christi passio, ut medicina contra peccatum. 40 In Christo sunt *duo genera* meritorum, videlicet, Christi impassibilis et Christi passibilis ; *merita Christi* per portionem superiorem, secundum quam summe dilexit Deum et proximum, sicuti habebat summam gratiam ; et puto, (aiunt illi) magis meruisse per huiusmodi actus dilectionis Dei quam per passionem ; et *merita Christi* quae fuerunt ex eius passione et morte, quam subivit pro genere humano, non pro angelis x. 5° Praedestinatio omnium electorum peracta est indepen-

l Non desunt tamen Scotistac qui asserunt lesum Christum mortuum fuisse pro angelis. « Les Anges glorifiés ont-ils eu rien de commun avec le péché ? Et pourtant, d'après l'Ecriturc, le Sauveur est mort pour eux. » (Le *grand drame de la création,* par F. Charbonnel, Ord. Minor.)

douter a Calvario et a sanguine Crucis Christi ; nam omnes electi prius natura erant praedestinati, quam Christi passio praevisa ; atque ita prius fuit volita illis gloria et gratia, quam ordinata medicina contra lapsum ; ideo, etsi passio praevisa potuerit fuisse ratio remittendi offensam et conferendi gratiam, non tamen potuit exstitisse ratio praedestinationis. 6° Intuitu ergo meritorum Christi impassibilis dedit Deus primam gratiam angelis et reliqua dona per quae pervenerunt ad coronam gloriae, ideoque merito est constituendus eorum caput et etiam Salvator. 70 Et quia angeli primam gratiam sibi promereri non potuerunt, data fuit illis ex meritis Christi impassibilis ; est enim eadem ratio de prima gratia data hominibus et angelis, et sicut in illis descendit de plenitudine Christi, ita et in istis. Utrorumque Christus est Salvator, hominum et angelorum. 8° Nonnisi postquam praevidit homines praedestinatos casuros in Adam, Deus praeordinavit remedium electorum, et voluit id esse passionem Filii sui, alioquin venturi, cum ante praevisionem lapsus eorum fuerit praedeterminata Christi futura Incarnatio. 90 Electio Beatissimae Virginis ad hoc, quod esset Mater Christi, facta est ante praevisionem peccati et ante praevisionem mortis Verbi Incarnati C

Quarto : Processus diversus alterius viae. — In via autem cuius initium est Incarnatio Filii Dei post praevisionem originalis peccati : i° Incarnatio Verbi fuit volita ac decreta primo et principaliter propter opus Redemptionis seu in remedium peccati. 20 Christus est quidem caput angelorum et hominum, sed nonnisi hominum est Salvator ac Redemptor. 30 Nec angelis nec primis parentibus in statu originalis iustitiae Christus meruit primam gratiam. 4° Praedestinatio Christi, quatenus ipse erat ab aeterno praevisus et passurus et reconciliaturus Deo electos per mortem suam, fuit causa meritoria praedestinationis eorum-

1 Montefortino, *Sum. Scoti,* t. I. q. 23. a. *1.* — T. V. q. 1. a. 3. ; q. 8 a. 4. ; q. 19. a. 4. ad 3. et in corpore antecedentis art. 4. ; q. 24. a. 4.

dem sanctorum. 50 Intuitu meritorum Christi, qui pro omnibus passus et mortuus est, facta fuit electio praedestinatorum ita, quod electionis negotium minime fuerit absolutum, independenter a Christi meritis ex passione praevisis. 6° Electio praedestinatorum facta fuit post praevisionem lapsus Adami ex communi massa perditionis. 70 Post praevisionem lapsus Adami et post praevisionem mortis Verbi Incarnati facta quoque fuit electio Beatissimae Virginis ad hoc quod esset Mater Christi.

Quinto: Utriusque viae terminus. — Iuxta logicum processum in via, cuius initium est Incarnatio Verbi ante praevisionem peccati Adami, pervenitur ad praeservationem Beatissimae Virginis a peccato originali, ex eo quod in ordine gratiae Adamus non est caput Mariae, nec Maria dependet proinde ab Adamo quoad transmissionem originalis iustitiae, nec per consequens quoad transmissionem originalis peccati. In hac quidem via Beatissima Virgo apparet posita totaliter extra subiectionem Adami, qui potius dependet a Beatis-ima Virgine, a qua sub Christo, cuius est electa Mater, etiam primi parentes in statu innocentiae acceperunt gratiam et originalem iustitiam. E contra, in via altera, Beatissima Virgo subiecta est Adamo tam in transmissione originalis iustitiae quam originalis peccati, quod in privatione iustitiae originalis formaliter consistit. Idcirco non est electa Vzerbi Incarnati Mater nisi post praevisionem ruinae totius generis humani, ac perinde praeelecta ante omnes alios electos ex communi massa perditionis. In prima via, Beatissima Virgo gaudet suis propriis gratiae privilegiis, et iure suo proprio est exempta ab omni peccato, et libera ab omni ratione culpae et poenae. In altera autem via, Beatissima Virgo ex se nullo gaudet privilegio quo eximi mereatur; sed, sicut omnes alii filii Adami, ex vi suae generationis habet in se *aliquid* ex quo debetur ei carentia originalis iustitiae; ideoque tunc, cum persona Virginis fuerit constituta, debet *non habere* gratiam, ex cuius privatione provenit ipsum detrimentum nitoris, quod *macula* animae metaphorice vocatur.

II

Duplex sensus praeservationis ab originali peccato.

Primo : Expositio huius duplicis sensus. — Caietanus, in opusculo *De Conceptione Beatae Virginis,* cap. 2. ita declarat duplicem sensum quo praeservatio Beatissimae Virginis a peccato originali intelligi potest : *a)* « Primo, ut B. Virgo sit praeservata *totaliter* a peccato originali, ita quod fuit exempta ab omnibus ad dictum peccatum spectantibus. Secundo, ut B. Virgo sit praeservata a *sola macula* peccati originalis, per infusionem gratiae personalis. Est autem inter istos duos sensus maior distantia quam inter coelum et terram. Nam, cum anima alicuius hominis, qui generatur, incurrit originale peccatum, non solum *macula* originalis peccati contrahitur ; sed in primo instanti in quo anima rationalis creando infunditur et infundendo creatur, prius, secundum naturae ordinem, *caro* seu *materia* cui anima infunditur, est *infecta,* utpote genita ex commixtione utriusque parentis ; et propterea anima quae infunditur illi carni, contrahit *maculam* in seipsa originalis peccati, quia infunditur carni infectae ; neque solam *maculam* ex camis infectione contrahit *persona* in utero genita, sed multa alia, sc. *reatum* clausae coeli ianuae, *fomitem* peccati, et *poenam* mortis temporalis ; ita quod infecta caio cui infunditur anima, est in qua fundatur ratio non potentiae contrahendi peccatum originale, sed *ratio contracti in propria persona debiti* quare contrahatur in anima rationali sua peccatum originale et secundum maculam et secundum reatum poenarum, spiritualis et temporalis ; imo, est talis carnis infectio, peccati originalis *initium inexistens* in persona, quae tunc simul concipitur et concepta est. »

ά) « Quocirca, positio dicens Beatam Virginem *praeservatam totaliter* a peccato originali, dicit ipsam non contraxisse carnem suam infectam ; ac per hoc non solum sine macula peccati conceptam et reatibus et fomite, sed etiam *sine debito* in propria persona *habendi* haec. »

c) « Positio vero dicens Beatam Virginem praeservatam *solum a macula* peccati originalis et iis quae a macula sunt *inseparabilia,* ut est reatus aeternae poenae damni, non negat Beatam Virginem carnem habuisse infectam, ac per hoc *in propria persona debitum contrahendi* maculam originalis, licet redundaverit et *fomes,* ligatus tamen per gratiam, et *reatus* clausae ianuae vitae aeternae, et mortis temporalis ; quia haec poena, sc. mortis, erat naturae ex parte camis ; illa, sc. clausae januae, erat naturae ex parte temporis ; quia sc. Christus adhuc non aperuerat per suam mortem ianuas paradisi clausas per originale peccatum ; et similiter fomes ex parte camis se tenet. »

t

Secundo : Praeservatio totalis a peccato originali videtur esse contraria fidei catholicae. — Ita ostendit Caietanus, ibid, cap. 3. : « Inter has igitur opiniones, haec mihi videtur quoad fidem differentia, quod positio dicens Beatam Virginem esse praeservatam a peccato originali et a reatibus etc., est contraria fidei catholicae ; quoniam repugnat his quae in Sacra Scriptura et in aliis documentis fidei certis et necessariis continentur. Oportet namque de Beata Virgine firmiter credere : a) quod Christus est mortuus pro ipsa ; *b)* et quod ipsa est mortua morte peccati ; quoniam in Sacra Scriptura habetur ista conditionalis : *Si Christus est mortuus pro omnibus, omnes mortui sunt,* ut patet II. Cor. cap. 5. Constat enim, quod omnis conditionalis vera est necessaria, et quod a destructione consequentis ad destructionem antecedentis valet argumentum. Formata ergo ratione, clare apparebit Scripturam esse falsam et fidem nostram, procedendo sic : Si *Christus est mortuus pro omnibus, omnes mortui sunt;* sed per istam positionem, *non omnes mortui sunt ;* quia Beata Virgo non est mortua morte peccati. *Ergo Christus non est mortuus pro omnibus:* quod est manifesta haeresis.

Nec potest hic locus glossari, quod *omnes* distribuat generaliter, et quod patitur exceptionem, et similia ; quoniam constat, quod in hac propositione illud signum *omnes* distribuit pro omnibus sine ulla exceptione ; quoniam haereticum constat esse dicentem : *Christum non esse mortuum*

pro omnibus sine ulla exceptione. Nec etiam potest negari, quin de morte peccati sit sermo in consequenti ; unde Augustinus, *VI. Contra lulianum,* tractans haec verba Apostoli, concludendo dicit haec verba : *Consequens ergo esse voluit, ut omnes intelligantur mortui, si pro omnibus mortuus est. Quia ergo non in corpore, restat, ut in peccato mortuos esse omnes, pro quibus mortuus est Christus, nemo neget, nemo dubitet, nisi qui se negat aut dubitat esse Christianus.* Haec ille.

Unde, cum opinio illa neget Beatam Virginem mortuam morte peccati, ac per hoc Christum non mortuum esse pro ipsa, sustineri iudicio meo non potest. Et ne longius protrahatur hoc, oportet summarie ante oculos habere, quod istae quinque propositiones sunt omnino confitendae, sc. : i° *Christus mortuus est pro Beata Virgine.* 2° *Beata Virgo est aliquo modo mortua morte peccati.* 30 *Beata Virgo est reconciliata Deo per Christum.* 40 *Beata Virgo est redempta per mortem Christi.* 50 *Beata Virgo post sanctificationem sui nonnisi fer mortem Christi aditum habuit paradisi apertum.* »

Tertio : Praeservatio a macula originalis peccati non est contraria Sacrae Scripturae nec ullis documentis fidei. — Caietanus ibidem : « In secundo autem sensu intellecta opinio de praeservatione Beatae Virginis, sc. quod praeservata est a *macula* peccati originalis, et *non ab infectione* camis, ac per hoc *nec a debito* in propria persona *illius maculae,* nec a fomite et poenis, non est contraria Sacrae Scripturae, nec determinationi Ecclesiae, nec aliquibus necessario creditis ; quoniam Beata Virgo praeservata ex speciali praeventione gratiae a *macula* originalis peccati, et habens cetera quae diximus, non est *extra latitudinem* mortuorum, inimicorum, indigentium remissione peccatorum, captivorum, habentium carnem peccati, obnoxiorum morti, et clausurae coeli. Et consequenter, non est *extra latitudinem* eorum pro quibus Christus mortuus est, reconciliatorum, liberatorum, redemptorum, mundatorum, introductorum denique per Chnsti mortem in vitam aeternam animae et corporis. Et in promptu ratio est, quia ex eo quod habet carnem infectam cum fomite ligato et reatibus, egebat futuro remedio per

incarnationem et mortem lesu Christi exhibendo. Et ex eo quod in *propria persona* habuit *debitum contrahendi* maculam originalis peccati, imo *initium,* unde redundare in animam suam debebat originalis peccati macula : *gratia illa,* quae praeveniendo sanctificavit eam, ligando etiam fomitem, habuit rationem *gratiae mundativae, reconciliativae, redemptivae,* etc. Liberans namque animam a macula, non actualiter habita, sed ex propria carne tum debita et in eadem carne tum initiata, non est extra latitudinem liberantium a peccato, mundantium a sorde, redimentium a captivitate.

Neque enim uno modo tantum quodlibet horum dicitur, sed latitudinem habet. Dicitur namque *captivus* non solum qui *totaliter* in captivitatem est redactus, sed qui *coepit* in sui aliqua parte duci in captivitatem et obnoxiu- est captivitati. Et similiter dicitur *mors* peccati non solum ipsa *actualis mors,* sed *debitum* et *initium* in propria persona *habendi* illam. Et similiter dicitur a peccato originali *mundatus* non solum qui a contracta actuali macula mundatus est, sed qui a macula quidem in *debito* et *initio* in propria persona *fundato,* et reliquis totis quasi partibus actualiter contractis, mundatus est ; et sic de aliis.

Nec putet quisquam de mea phantasia me haec proferre, sed videat D. Thomam, I.-II. q. 81. a. 3. (ubi inter alia tractatur illud *Ad Romanos,* cap. 5. : *Per unum hominem peccatum transivit in omnes, et per peccatum mors)* sustinentem quod per *mortem* sufficit intelligere *debitum* seu *reatum,* in propria persona, *mortis,* quamvis nunquam actualiter moreretur. Ex quo habetur, quod, cum Apostolus *duo* simul dicat (sc. quod in omnes pervenit peccatum et mors), sicut *secundum,* sc. mors, sufficienter salvatur exponendo *mortem* vel in actu vel in debito in propria persona : ita et *primum,* sc. peccatum, salvatur exponendo *peccatum* in actu vel in debito in propria persona. Dixi autem toties in *propria persona;* quoniam, si *debitum* aut *initium* peccati originalis non ponitur *proprium* illius qui concipitur, sed *commune,* iam non salvaretur quod illa persona esset *mortua, redempta, reconciliata,* etc. » — Hactenus Caietanus.

III

Corollaria.

1. Ergo ad necessitatem redemptionis oportet ponere, quod quilibet personaliter incurrit *debitum contrahendi* originale peccatum et incurrendi in omnia illa quae sub originali peccato includuntur.

2. Ergo quocumque modo ante constitutionem personae quilibet sanctificatus fuerit, nunquam incurreret, id est, nec actualiter nec in debito personali, maculam originalis culpae ; ac nullo modo peccatum originale contraheret, nec actu nec in necessitate personali habendi illud ; ideoque non indigeret redemptione quae est per Christum.

3. Ergo omnes illi modi praeservationis a peccato originali, nempe per sanctificationem in parentibus, vel in carne ante animationem, vel in ipso instanti infusionis animae, ita ut prius prioritate naturae intelligatur anima per gratiam sanctificari quam corpori uniri, excludunt necessitatem personalem redemptionis.

4. Ergo non sufficit ad indigentiam redemptionis ponere dumtaxat debitum ratione *communis 'propagationis* seu ratione naturae tantum. Unde Angelicus Doctor, *IV. Sent.* dist. 43. q. i. a. 4. : « Oportet autem ponere, quod quilibet personaliter redemptione Christi indigeat, non solum ratione naturae. » Et Caietanus, *De Concept. B. Virg.* cap. 2. : « Nec esset formalis differentia inter errorem luliani, contra quem scribit Augustinus, ponentis per gratiam redemptionis Christi filios Christianorum praeservatos a peccato originali quod habebant in *debito communi;* sed esset materialis differentia; quia ille *gratiam praeservationis communem* Christianorum filiis posuisset ; hic poneretur *propria uni.* »

5. Ergo omnes illi modi praeservationis a peccato originali, per quemcumque modum sanctificandi vel impediendi transmissionem originalis peccati ante animationem, veniunt postremo reducendi, quoad substantiam quaestionis, ad

illum modum qui directe eruitur ex electione B. Virginis ante praevisionem peccati Adami et per quem ostenditur B. Virginem esse independentem ab Adamo tam in transmissione originalis iustitiae quam in transmissione originalis culpae.

6. Ergo *terminus a quo* necessitatis redemptionis, vel est peccatum originale actualiter contractum, vel saltem debitum in propria persona habendi originale peccatum ; nam, ut ex supradictis cap. 3. patet, secundum fidem catholicam firmiter est tenendum omnes homines, praeter solum Christum, ab Adam derivatos, ex Adamo contrahere peccatum originale, vel actu vel in necessitate illud habendi ; alioquin non omnes indigerent redemptione quae est per Christum.

7. Ergo recte concludit D. Thomas, III. q. 27. a. 2. : « Et si quocumque modo ante animationem Beata Virgo sanctificata fuisset, nunquam incurrisset maculam originalis culpae, et ita non indiguisset redemptione et salute quae est per Christum, de quo dicitur Math. 1, 21. : *Ipse salvum laciet populum suum a peccatis eorum*. Hoc autem est inconveniens, quod Christus non sit Salvator omnium hominum, ut dicitur I. Tim., 4. »

8. Ergo frustra retorquere conantur aliqui argumentum D. Thomae contra doctrinam et conclusionem ipsiusmet D. Thomae, dicentes, quod Beatissima Virgo magis indigeret redemptione si *nunquam incurrisset maculam originalis culpae;* quoniam nunquam incurrere maculam culpae originalis idem significat ac « *nullo modo* contrahere originale peccatum, sed in ipsa sui conceptione fuisse sanctum « : quod est proprium solius Christi.

9. Cum ergo D. Thomas, III. q. 27. a. 2. ait : « Et si quocumque modo ante animationem Beata Virgo sanctificata fuisset, *nunquam* incurrisset maculam originalis culpae, et ita non indiguisset redemptione et salute quae est per Christum », vult dicere, quod *nullum* daretur temporis *instans* in quo persona Virginis, iam constituta, incurrisset maculam culpae originalis, vel actu, vel saltem in necessitate personali habendi illam.

10. Similiter, cum D. Thomas, III. q. 27. a. 2. ad 2. dicit :

« Si nunquam anima Beatae Virginis fuisset contagio originalis peccati inquinata, hoc derogaret dignitati Christi, secundum quod est universalis omnium Salvator » ; *nunquam fuisse contagione originalis peccati inquinatum,* hoc significat, sc. : *nunquam incidisse in necessitatem -personalem trahendi ex origine simul cum natura peccatum originale;* id est : *nunquam incurrisse debitum personale, debitum ratione suae propriae personae, nascendi cum dejectu originalis iustitiae.* Et hoc siquidem derogaret dignitati Christi, secundum quod est omnium Redemptor, etiam suae propriae Matris.

CAPUT NONUM

Via Scoti.

Doctrina Scoti circa Virginis conceptionem.

Primo : Triplex responsio possibilis ad quaestione Scotus, *In III. Sent.* dist. 3. q. I. : « Ad quaestionem dico, quod Deus potuit facere, quod ipsa (B. Virgo) *nunquam* fuisset in peccato originali ; potuit etiam fecisse, ut tantum in *uno instanti* esset in peccato ; potuit etiam facere, ut per *tempus aliquod* esset in peccato, et in *ultimo instanti* illius temporis purgaretur. »

a) « *Potuit* enim Deus in *primo instanti* illius animae infundere sibi gratiam tantam, quantam alii animae in Circumcisione vel Baptismo ; igitur in illo instanti anima non habuisset peccatum originale, sicut nec habuisset si postea fuisset baptizata. Et si etiam infectio carnis fuit ibi in primo instanti, non fuit tamen necessaria causa infectionis animae ; sicut nec post Baptismumx, quando manet secundum

1 D. Thomas, *De Malo,* q. 4. a. 1. opponit in 7. loco idem argumentum, dicens : « Praeterea : plus dependet anima a carne postquam ei est unita quam in ipsa eius unitione. Sed, postquam anima iam est carni unita, non potest infici a carne nisi per suum consensum. Ergo neque in ipsa unione. Peccatum ergo originale non potest contrahi per carnis originem. — Ad 7. dicendum, quod, sicut dictum est in corp, art., *peccatum originale,* per se loquendo, est *peccatum naturae,* non *personae* nisi ratione naturae infectae. Actus autem generationis proprie deservit naturae, quia ordinatur ad conservationem speciei ; sed carnem iam esse animae unitam, pertinet ad

multos, et infectio animae non manet ; aut potuit caro mundari ante infusionem animae, ut in illo instanti non esset infecta. »

b) « Quia, quando anima est *in peccato, potest* per potentiam divinam esse *in gratia;* sed in tempore illo quo fuit concepta, potuit esse in peccato, et per te (adversarium) fuit ; igitur similiter potuit esse in gratia. Nec necesse fuit tunc, quod fuisset in gratia in primo instanti illius temporis, sicut nec de mutatione et motu. Praeterea, in primo instanti potuit creasse gratiam in illa anima ; ergo.

c) « Tertium est manifestum. »

Secundo : Quid de facto peregit Deus. — Scotus ibidem : « Quod autem horum trium, quae ostensa sunt esse possibilia, factum sit, *Deus novit;* si auctoritati Ecclesiae vel auctoritati Scripturae non repugnet, videtur probabile, quod excellentius est attribuere Mariae. »

Tertio : Rationes Scoti ad ostendendum B. Virginem numquam fuisse in peccato originali.

Ratio i. *Ex excellentia Filii in quantum Redemptor.* — « Quia perfectissimus mediator meretur amotionem *omnis poenae* ab eo quem reconciliat. Sed *culpa originalis* est *maior poena* quam ipsa carentia visionis divinae, sicut declaratum fuit lib. II. dist. 36. ; quia peccatum est maxima poena naturae intellectualis inter omnes poenas eius. Igitur, si Christus perfectissime reconciliavit, istam poenam gravissimam meruit ab aliquo auferri, nonnisi a Matre. »

Ratio 2. *Ex innocentia B. Virginis.* — « Videtur etiam, quod cum Christus multis animabus meruerit gratiam et gloriam, et pro his sint Christo debitores, ut Mediatori:

constitutionem personae ; et ideo caro magis causât originale peccatum, prout consideratur in via generationis quam prout est iam unita. 0 Et ad 6. dixerat : « Caro nostra in sui natura bona est ; sed secundum quod est privata originali iustitia propter peccatum primi parentis, sic causât originale peccatum. » Unde neganda est paritas in argumentatione Scoti ; quia non est eadem ratio de prima animae unitione ad carnem, et de carne iam animae unita.

quare nulla anima erit ei debitrix pro innocentia? Et quare etiam omnes angeli beati sint innocentes, et nulla humana anima erit *innocens* in patria, nisi sola anima Christi? n

Ratio 3. *Ex ablatione causae peccati originalis.* — *a)* « Dato, quod sic contrahatur peccatum originale communiter, tamen infectio carnis manens post Baptismum non est necessaria causa quare maneat peccatum originale in anima, sed ipsa manente peccatum originale deletur per gratiam collatam illi ; ita posset Deus in primo instanti conceptionis Virginis, dando tunc gratiam, delere, ne esset causa necessaria infectionis in anima, si gratia tolleret culpam in anima. »

δ) « Si alicui in primo instanti creationis animae detur gratia, ille, licet careat *iustitia originali, nunquam tamen est debitor eius;* quia merito alterius, praevenientis peccatum, datur sibi gratia, quae aequivalet illi iustitiae quantum ad acceptationem divinam, imo *excedit.* Ergo, quantum est ex se, quilibet haberet peccatum originale, nisi alius praeveniret merendo. Et ita exponendae sunt auctoritates, quod omnes naturaliter propagati ab Adam sunt *peccatores;* hoc est, ex modo quo habent naturam, habent unde careant iustitia debita, nisi eis aliunde conferatur ; sed sicut posset post primum instans conferre ei gratiam, ita posset et in primo instanti. »

c) « Per illud patet ad rationes factas pro prima opinione, quia *Maria maxime indiguisset Christo ut Redemptore ;* ipsa enim contraxisset originale peccatum ex *ratione propagalionis communis,* nisi fuisset praeventa per gratiam Mediatoris. Et sicut alii indiguerunt Christo, ut per eius meritum remitteretur eis peccatum iam contractum, ita illa magis indiguit Mediatore praeveniente, *peccatum ne esset ab ipsa aliquando contrahendum,* et *ne ipsa contraheret.* »

d) « Et si arguatur : Maria non est iusta in primo in-tanti naturae; ergo in illo instanti est *iniusta* vel *non iusta :* Dico, quod consequentia non valet in praedicatis compositis : *Non est album lignum, ergo est lignum non album;* ita hic : *Non est iusta in primo instanti,* id est ratione sui, ergo *est non iusta,* non sequitur ; quia neutrum illorum essentialiter includit. Et si arguas : In primo instanti naturae vere intelli-

gitur *non iusta :* Dico, quod non, sed vere non intelligitur *iusta ;* quia abstrahentium non est mendacium.

e) « Et dato, quod in conceptione seminum fuisset creatio animae, non fuisset aliquod inconveniens *gratiam* tunc *fuisse infusam* animae, propter quam anima non contraxisset aliquam infectionem a carne cum libidine seminata ; sicut enim post primum instans Baptismi potuit manere infectio corporis, contracta per propagationem, cum gratia in anima mundata ; ita potest esse in primo instanti, si Deus tunc creavit gratiam in anima Mariae. »

II

Observationes circa doctrinam Scoti atque eiusdem argumenta.

Primo : Seotus non videtur sufficienter enumerare ea quae sunt possibilia in quaestione. — Utique possibile est : i° Beatam Virginem, et similiter quemlibet Adami filium, *nunquam* fuisse in peccato originali, sive *nullo modo* incurrere maculam peccati originalis, si Deus ita ex sua libera voluntate disposuisset ; 2° tantum in uno instanti esse in peccato ; 3° esse in peccato per aliquod tempus. Verum etiam possibile fuit Beatam \;irginem fuisse sanctificatam post animationem, posterioritate naturae, non temporis ; ac perinde praeservatam fuisse a culpa et a macula peccati originalis, non tamen a *debito 'personali* seu *personali necessitate* incurrendi culpam et maculam peccati. Atque hoc videtur esse non tantummodo possibile, sed etiam quod Deus voluit facere : ut patet ex definitione dogmatis.

Secundo : Seotus non videtur probare secundum ex possibilibus. — Imo : non videtur esse possibile animam esse uno et eodem instanti temporis in peccato simul ac in gratia ; contraria enim non possunt esse simul in subiecto; nec anima potest esse simul iniusta et iusta, aversa a Deo et conversa in Deum. Praeterea, si in primo instanti tem-

poris Deus creavit gratiam in ilia anima, eo ipso non resultat actu ratio culpae originalis, nec in ea relinquitur macula. Adhuc, si agatur de *instanti temporis,* sive continui sive discreti, secundum et tertium horum possibilium, quoad substantiam quaestionis spectat, in unum veniunt reducenda. Iterum, si de tempore continuo ageretur, inter duo instantia sibi succedentia oportet esse tempus medium : ut declaratur III. q. 113. a. 7. ad 5.

Tertio : Rationes Scoti ad ostendendum B. Virginem nunquam fuisse in peccato originali, ostendunt similiter, si quid probant, ipsam B. Virginem non indiguisse redeptione sive ab omni debito peccatum incurrendi penitus fuisse absolutam.

Ratio 1. *Ex excellentia Filii in quantum Redemptor.* — *a)* Primo namque, Seotus non satis distinguit inter rationem Mediatoris et rationem Redemptoris ; omnis quippe redemptor, mediator est reconciliationis ; at non omnis mediator est redemptor ; atque hoc praesertim Seotus debebat distincte adnotare, cum ipse tradat Christum esse Mediatorem angelorum, pro quibus tamen Christus nec passus nec mortuus est. *Terminus a quo* redemptionis est peccatum, vel saltem debitum peccati ac necessitas illud incurrendi. Deus autem *potuit* quidem praeservare B. Virginem etiam *a debito* peccati originalis ; sed in hac hypothesi B. Virgo iam non indigeret gratia salutis quae est per Christum et per sanguinem crucis eius. Indigeret utique B. ATrgo gratia Christi ; at Christus esset tunc suae Matris Mediator, quemadmodum ponitur a Scoto fuisse angelorum, non vero Redemptor.

i) Deinde, Seotus videtur quoque confundere *rationem culpae* cum *ratione poenae ;* quae profecto rationes sunt valde inter se diversae. Ratio poenae uno modo vel altero semper praesupponit rationem culpae sine qua poena, ut poena formaliter sumpta, consistere nequit. Ac, quamvis Deum

1 Montefortino, *Sum. Scoti, T.* F. *q 27. dissert, theolog.* Vide infra, cap. 10.

permittere aliquem cadere in peccatum, sit quandoque veluti poena antecedentis peccati, hoc tamen nec tollit diversitatem inter rationem culpae et rationem poenae, nec habet locum respectu primi peccati quod est culpa originalis. Christus itaque perfectissime reconciliando potuit, abs dubio, mereri, ut auferrentur a quolibet redempto, ac perinde a sua Matre, omnia prorsus quae habent rationem poenae in peccato originali ; potuit etiam mereri praeservationem suae Matris ab omni culpae originalis labe ; verumtamen, si ponatur, quod Christus etiam meruit praeservationem suae Matris *a debito* seu *necessitate personali* peccatum originale incurrendi, Christus iam non esset Mediator reconciliationis suae Matris, id est, Redemptor; sed simpliciter Mediator; salvaret quidem suam Matrem, at non per crucis mysterium.

Ratio 2. *Ex innocentia B. Virginis.* — Etiam in hoc argumento videtur Scotus, dum ex conceptu *innocentiae* argumentatur, quasi in aequivoco argumentari ; nam si per hoc intendit Scotus aliquid concludere, concludit profecto animam B. Virginis esse *innocentem,* quemadmodum omnes angeli beati sunt *innocentes,* et ipsa Christi anima est *innocens;* ac perinde, animam B. Virginis non indigere redemptione, sicut nec Christi anima nec angeli indiguerunt. Praeterea : Indigere redemptione minime prohibet aut impedit, quin dicere possimus de B. Virgine maiora et excellentiora quam de ipsismet angelis, atque ipsam Virginem esse plenam gratia et totam pulchram, et maculam non esse nec unquam fuisse in ea Si ergo auferatur a B. Virgine ipsa necessitas contrahendi peccatum originale, eo ipso tollitur necessitas ipsiusmet redemptionis. Exinde, B. Virgo erit *innocens* et

1 Ad rem Suarez. III. q. 27. a. 2. disp. 3. sect. 2. : « Sic igitur, quod B. Virgo *de se* fuerit *obnoxia peccato,* non derogat *perfectae «'«$ sanctitati et puritati,* sed tantum ostendit naturae originem et infirmitatem, quae ita per gratiam sanari potest, ut nullus in ipsa persona defectus appareat. Aliunde vero convenientissima ratione Divinae Providentiae factum est, ut B. Virgo simul cum tota natura in voluntate Adae fuerit constituta, ut perfecta ct universalis dignitas Redemptoris et efficacia gratiae eius redderetur illustrior et in Matre sua perfectius eluceret. »

immaculata, sicut angeli, non ex morte Filii Dei praevisa, sed ante praevisam mortem Filii Dei.

Ratio 3. *Ex ablatione causae peccati originalis.* — *a}* Utique, possibile est Deo, ut per gratiam suam impediret traductionem peccati originalis, removendo causam instrumentalem huiusmodi traductionis in posteros Adami, quae est *injectio* camis ; at tunc concludere oportet primam sanctificationem B. Virginis factam fuisse ante animationem, *b)* Similiter, si alicui in primo instanti creationis animae detur gratia sanctificans, ita ut prius intelligatur animam sanctificari quam carni uniri, certe etiam prius intelligitur sanctificatio animae quam animatio corporis ; et sic B. Virginem sanctificatam fuisse ante animationem, c) Pariter, si per gratiam Mediatoris praeveniretur, ne B. Virgo *contraheret peccatum originale,* et *ne esset ab ipsa aliquando contrahendum,* inde logica illatione sequeretur B. Virginem non modo peccatum originale haud contraxisse, verum quoque nec habuisse debitum contrahendi ; ideoque ipsam non indiguisse redemptione. ‹Z) Praeterea, ad necessitatem redemptionis non sufficit habere necessitatem contrahendi peccatum originale ex *ratione propagationis communis,* id est, ratione naturae ; verum etiam ex ratione personae ; ac proinde esse sanctificatum post animationem, saltem posterioritate naturae et ordinis. In quo quidem casu, Beata Virgo esset *insta* et *sancta* et *immaculata* in primo instanti temporis ; atque in illo, uno ct eodem primo temporis instanti, B. Virgo esset praeservata a culpa et a macula culpae, et vere intelligitur *immaculata* et cum *debito* contrahendi maculam, *e)* Denique, si in ipsa conceptione seminum fuisset creatio animae, et in ipsa creatione animae Deus tunc creaverit gratiam in anima Mariae, abs dubio B. Virgo esset immaculata et ab omni labe originalis culpae praeservata ; sed, si gratia non fuit infusa post animationem, post constitutionem personae, posterioritate ordinis, ipsamet persona B. Virginis iam constituta non indigeret redemptione et salute quae est per Christum.

III

Doctrina D. Thoma© ©t doctrina Scoti ad invicem comparata.

Primo : Si agatur de mera possibilitate et non de facto, nulla videtur esse differentia inter D. Thomam et Scotum. — Etenim, ut ex supra expositis patet, Angelicus Doctor tradit in terminis, quod Deus potuit facere quod B. Virgo nunquam fuisset in peccato originali, impediendo traductionem peccati originalis per omnia illa media ab ipso Scoto indicata atque admissa, sc. sanctificando B. Virginem : *a)* in ipsis parentibus sive in conceptione seminum ; *b)* in ipsa carne Virginis ante animationem ; seu mundando carnem ante infusionem animae ut in illo instanti non esset infecta ; c) creando gratiam in anima, prius prioritate ordinis quam ipsa anima uniretur carni infectae. Singula haec possibilia quoque asserit esse Angelicus Doctor ; atque si haec facta essent, B. Virgo *nunquam* fuisset in peccato originali. Attamen, D. Thomas addit, quod non decuit ; quoniam aliter B. Virgo non indigeret personaliter redemptione.

Secundo : Radicalis differentia inter D. Thomam et Scotum stat in ipso et argumento desumpto ex excellentia Redemptoris. — Scotus namque conatur huiusmodi argumentum, quod est maximum in quaestione, in adversarium retorquere et tacite argumentationem D. Thomae a radice infirmare et quasi in nihilum redigere, replicando : « Maria maxime indiguisset Christo ut redemptore ; ipsa enim contraxisset originale peccatum ex *ratione propagationis communis,* nisi fuisset praeventa per gratiam Mediatoris ; et sicut alii indiguerunt Christo, ut per eius meritum remitteretur eis peccatum iam contractum, ita illa magis indiguit Mediatore praeveniente, peccatum ne esset ab ipsa *aliquando contrahendum,* et *ne ipsa contraheret.* » Ex quo Scotus procedit ad concludendum, quod Christus habuit perfectissimum gradum mediandi respectu suae Matris, et quod exinde

B. Virgo fuit redempta excellentiori redemptione. Verum enimvero, Scotus non valet retorquere in D. Thomam ipsum D. Thomae argumentum. Ex argumento enim quod D. Thomas assumit ab excellentia Filii B. Virginis, in quantum Redemptor, Reconciliator et Mediator, minime a D. Thoma infertur nec inferri intenditur, quod Mater non sit redempta a Fliio suo sublimiori ac excellentiori redemptione quam omnes alii redempti per sanguinem Crucis Christi ; imo, ipse D. Thomas asserit expresse B. Virginem accepisse in sua prima sanctificatione ampliora gratiae dona quam ceteri sanctificati. Quod autem D. Thomas necessario deducit ex praedicto argumento Mediatoris ac Redemptoris, hoc videlicet est : i° quod B. Virgo non fuit sanctificata ante animationem ; nam quocumque modo sanctificata fuerit ante animationem, non indigeret *gratia salutis* quae est per Christum ; 20 quod B. Virgo fuit proinde sanctificata post animationem, post constitutionem personae. Et hoc manet firmum etiam post replicationem Scoti, qui videtur non attigisse acu argumentum D. Thomae nec eiusdem mentem intellectu comprehendisse. Inde :

Tertio : Ex supraposita radicali differentia oriuntur omnes aliae differentiae inter doctrinam D. Thomae et doctrinam Scoti in praesenti quaestione.

1. D. Thomas semper et ubique reicit sanctificationem B. Virginis ante animationem, tamquam incompossibilem cum excellentia Filii sui in quantum Redemptor ; Scotus vero nihil curat de hoc, imo ultro admittit huiusmodi sanctificationem Matris non modo tamquam possibilem, sed etiam tamquam perfecte compossibilem cum excellentia redemptionis.

2. D. Thomas constanter propugnat, veluti corollarium antecedentis conclusionis, quod B. Virgo, eo ipso quod indiget redemptione, debuit sanctificari post *constitutione»l personae,* quae quidem praesupponit, prioritate ordinis, ipsam corporis animationem ; Scotus autem non est sollicitus de his, quae sunt capitalia in controversia.

3. D. Thomas statuit, tamquam principium theologicum

ad salvandam dignitatem Redemptoris in Christo et necessitatem redemptionis in omnibus redemptis, quod quilibet filius Adami *debeat* contrahere originale peccatum non tantum *ratione naturae,* sed etiam *personaliter, ratione personae.* Scotus vero non satis subtiliter hanc duplicem rationem distinguit aut ponderat, sed simpliciter adnotat, quod e ipsa (B. Virgo) contraxisset originale peccatum ex *ratione propagationis communis,* nisi fuisset prae\renta per gratiam Mediatoris. »

4. D. Thomas tradit, tanquam catholicam doctrinam ad salvandam dignitatem Redemptoris in Christo et necessitatem redemptionis in omnibus redemptis, quod redimendi *nascantur cum debito et postea* (saltem posterioritate naturae et ordinis) *salventur per Christum* sanctificantem redemptos post animationem, quae dicitur *nativitas in utero.* Scotus vero scribit : « *Si alicui in primo instanti creationis animae detur gratia, ille, licet carcat iustitia originali, nunquam tamen est debitor eius,* quia merito alterius, praevenientis peccatum, datur sibi gratia quae aequivalet illi iustitiae quantum ad acceptationem divinam, imo excedit. »

5. D. Thomas tradit, quod filii Adami indigent Christo Redemptore, ut per eius meritum remittatur eis vel peccatum originale iam *actu* contractum, vel saltem praeventi gratia ipsius Redemptoris *ne actu contrahant;* at *debitum* personale tale peccatum contrahendi necessario praesupponitur, absque quo tolleretur *ipsa ratio* redemptionis. Scotus vero scribit : « Sicut alii indiguerunt Christo ut per eius meritum remitteretur eis peccatum iam contractum, ita illa (B. Virgo) magis indiguit mediatore praeveniente, *peccatum ne* esset ab ipsa *aliquando contrahendum,* et *ne ipsa contraheret.* »

6. D. Thomas tradit, tamquam dogma catholicae fidei, quod omnes homines ex Adam derivati, praeter solum Christum, contrahunt peccatum originale vel actu vel in necessitate habendi illud ; aliter non indigerent redemptione Christi. Scotus vero asserere non dubitat, quod magis indigerent redemptione Christi, si etiam praeservarentur ab *ipsa necessitate* habendi peccatum originale : quod quidem

evacuaret *terminum a quo* ipsius redemptionis, ideoque ipsanunet redemptionis rationem.

7. D. Thomas ait, quod B. Virgo fuit concepta in peccato originali ; at quotiescumque tamen hoc affirmat, loquitur semper de conceptione quae praecedit infusionem animae, ut ex dictis supra capite 5. ostensum manet ; idcirco sensus est, quod B. Virgo non fuit sanctificata in parentibus, nec in actu generationis, nec in carne ante animationem ; inde illae D. Thomae assertiones : « *Caro Virginis concepta fuit in originali peccato* (III. q. 14. a. 3. ad 1.) ; *Corpus B. Virginis totum fuit in originali peccato conceptum* » (III. q. 31. a. 7.). Scotus vero habet oppositam conclusionem, dum asserit, quod *B. Virgo non fuit concepta in peccato originali ;* etenim admittit ipsam fuisse sanctificatam in came ante animationem ; et « *quod fuerit praeservata ab obligatione* » ; et quod « *propagatio non est causa necessaria peccati originalis,* quia manifestum est, quod potest sine eo fieri, et quia potest impediri a causa fortiori causante contrarium in anima [»]. »

8. Cum ergo D. Thomas ait : *B. Virgo concepta fuit in peccato originali,* agitur de conceptione activa ex parte parentum, vel etiam passiva inadaequate sumpta ; ac perinde, de conceptione ante infusionem animae rationalis. Cum autem Scotus ait : *B. Virgo non fuit concepta in peccato originali,* agitur quoque de conceptione, vel active sumpta vel passiva inadaequate, in carne ante animationem. Ideoque *B. Virginem nunquam fuisse in peccato originali* importat in sua significatione *B. Virginem etiam nunquam habuisse necessitatem* vel *debitum personale* incurrendi originale peccatum.

9. Quapropter, D. Thomas et Scotus opposita praedicant de B. Virgine, dum alter negat, alter vero affirmat sanctificationem B. Virginis in carne ante animationem. D. Thomas quidem negat ac reicit, ut salvet in Filio excellentiam et dignitatem Redemptoris respectu suae propriae Matris ; Scotus autem affirmat et admittit talem modum sanctificationis, existimans, quod dignitas atque excellentia Redemp-

» *III. Sent.* d 3. q î. Oxon. et Rcp.

toris adhuc magis ct melius salvatur. Tametsi Scotus, veluti timens \ modeste adiungit : « *Si auctoritati Ecclesiae vel auctoritati Scripturae non repugnet.* » Ac revera, *Immaculata Conceptio* quam Scotus propugnat, non videtur procedere ex morte Filii Dei praevisa, sed potius praecedere praevisionem peccati Adami et mortis Christi Redemptoris ; proinde Christus non videtur esse, proprie ac in rigore loquendo, *Redemptor* suae Beatissimae Matris, sed solum *Mediator,* sicuti fuit Angelorum et Primorum Parentum in statu iustitiae originalis, iuxta theologicam ipsiusmet Scoti doctrinam: ut in subsequent! capite magis patebit.

l Frassen, O. M. in suo opere : *Scotus Academicus,* t.VIII. tract. 1. disp. 3. a. 3. sect. 3. q. 1. ita de Scoto eloquitur : « Subtilis Doctor, *III. Sent.* dist. 3. q. 1. n. 4., ubi primum de *Immaculata Conceptione* sermonem fecit, *non* ita quidem *assertive* eam ibi propugnat, sed dumtaxat solvit rationes quibus illibata Virginis Conceptio impugnari videbatur. Nam cum dixisset : *Quod Deus potuit facere, quod ipsa* (B. Virgo) *nunquam fuisset in peccato originali; potuit etiam facere, ut per tempus aliquod esset in peccato, et in ultimo instanti illius temporis purgaretur;* demum, cum omni submissione, pro solita sua modestia ac humilitate, suam sententiam *non assertive,* sed *dubitative,* profert his verbis : *Quid autem horum trium, quae ostensa sunl esse possibilia, factum sit, « Deus novit » ; si auctoritati Ecclesiae vel auctoritati Scripturae non repugnet, videtur probabile, quod excellentius est attribuere Mariae :* nempe, quod illam ab originali peccato illaesam servaverit. Verum, postmodum *animosior* factus, dist. 18. n. 13. absolute ct aperte pronuntiat quod B. Virgo Mater Dei numquam fuit inimica actualiter ratione peccati actualis, nec ratione originalis; fuerit tamen, nisi fuerit praeservata. »

Atque in *III. Sent.* dist. 3. q. 1. in *Commentario,* supra illa verba : *Quod autem horum trium... Deus novit. »,* adnotatur : « Aliqui dicunt, quod Doctor (Scotus) tantum probat Virginem conceptam sine peccato originali, *de possibili, non de facto.* Sed expresse patet, quod ex dictis cius concludunt argumenta *de facto,* ut patet in rationibus illis, quae non probant intentum de possibili, sed tantum de facto, ut patet intuenti. Et licet, respondendo ad quaestionem, ponat has tres conclusiones, tamquam si sint *possibiles,* non tamen negat primum de facto, sc. fuisse ; imo ex dictis cius approbat, quia ipse dixit : St *hoc non contradicit auctoritati Ecclesiae,* etc. »

CAPUT DECIMUM

Via Scoti, quae est via Raymundi Lulli, et Galatini, et Ambrosii Catharini, et aliorum plurium, logica deductione perducit usque ad Immaculatam Conceptionem ante mortem Filii Dei praevisam.

I

Diversae huius viae explicationes.

Primo : Quare via ista, via Scoti denominetur. — Tametsi Scotus non fuerit primus [1] qui Incarnationem Filii Dei tradiderit ex divino decreto futuram ante praevisionem peccati Adami, ac proinde quod, etiam /Adamo non peccante, Filius Dei fuisset incarnatus : Scotus fuit tamen qui hanc doctrinam theologicam diligentius excoluit atque ex illa, veluti ex

[1] Iam saeculo XII. tradiderunt talem doctrinam, inter alios : 1° Rupertus, *De gloria et honore Filii hominis, Super Math.* lib. XIII *Pat. Lal.,* t. CLVIII, p. 1628 ; 2° Honorius Augustodonensis, *Libell. octo quacst.* cap. 2. *Pat. Lat.,* t. CLXXII, p. 1187 ; 30 Eadmerus, *De Concept. B. Virginis.* — In sacc. XIII. docuerunt etiam B. Albertos Magnus, ***III.*** *Sent.* dist. 20. a. 4. ; Alexander Hales, *Sum. Thcol.* dist. 3. q. 3. etc. — Vide circa hoc opus valde eruditum, cui titulus : *De Primatu Domini Nostri lesu Christi, et Causa motiva Incarnationis,* a P. Ioan. Baptista, Ord. Min. S. Franc. Capucinorum, sermone gallico exaratum et a P. Ambros. Saldes eiusdem Ord. in Latinum versum, cap. 3. et ubique passim. Barcinone, 1902. — Vide etiam Galatinum, Ord. Minor., *De arcanis catholicae fidei,* lib. VII. *De Sanctissima Matre Messiae,* cap. 10. : *Opinio antiquorum Hebraeorum de « Immaculatissima Matris Messiae Conceptione ».*

quodam generali principio, plures theologicas conclusiones in medium deprompsit. Ex praedestinatione quidem Christi ante peccatum Adami praevisum, Doctor Subtilis intulit inter alia plurima : i° in Christo esse duo genera meritorum, quorum alterum ad Christum impassibilem, alterum vero ad Christum passibilem oportet referri ; 2° Christum esse Mediatorem tam angelorum quam hominum ; 30 gratiam angelis collatam simul ac primis parentibus in statu originalis iustitiae esse gratiam ex meritis Christi impassibilis ; 40 tam angelorum quam hominum praedestinationem factam fuisse ex meritis quidem Christi, sed independcnter ex sacrificio crucis in Calvario ; 50 electionem Virginis ad divinam maternitatem utpote uno eodemque decreto coniunctam cum electione hominis Christi ante praevisionem peccati et Calvarii peractam fuisse. Quapropter haec via, quam ante et post Scotum plures alii theologi secuti sunt, iure merito *via Scoti* potest denominari.

Secundo : Quomodo hanc viam declaret Raymundus Lullius. — Quidam Lulli discipulus ita illam exponit : « In hoc libro : *Disputatio super aliquibus dubiis quaestionibus Magistri Sententiarum,* erexit Raymundus vexillum, tamquam primicerius, pro Immaculata Virginis Conceptione ; quia fuit primus inter scholasticos scribentes super Magistrum, qui expresse defenderit et docuerit Immaculatam Beatae Mariae Conceptionem in Universitate Parisiensi, in qua communiter tenebatur opposita sententia. Nedum Raymundus in hoc Libro, quaest. 96. : *Utrum Beata Virgo contraxerit peccatum originale?* defendit Immaculatam Beatae Virginis Conceptionem in eo sensu quo postea promota fuit et quo est obiectum cultus ab Ecclesia exhibiti, sc. quod in instanti, quo anima Beatae Virginis fuit unita corpori, fuit etiam praeservata a peccato originali immunisque ab ipso ; sed etiam *in alio sensu,* quo tunc communiter ventilabatur quaestio et resolvebatur pro negativa, videlicet, quod semen, de quo concepta fuit Beata Maria, fuit purificatum ab illa infectione quam habet post Adae peccatum, ratione cuius, dum anima unitur corpori infecto, ex illo semine

formato contraint peccatum originale. Et sic illud semen fuit suo modo sanctificatum, non quidem proprie et formaliter per gratiam sanctificantem, sed tantum *dispositive,* quatenus fuit ab ipso ablata illa *prava dispositio* sive *injectio,* cum qua et propter quam semen humanum est *quasi instrumentum* quo contrahitur originale peccatum ; et sic iam in ipso semine, a parentibus deciso, fuit per Spiritum Sanctum praeparata et ordinata Conceptio Immaculata Beatae Virginis Mariae h »

Tertio : Quomodo eandem viam exponat Cardinalis Nicolaus de Cusa. — « Induere se debuit Deus humanitate Mariae ; quare humana natura Virginis digna facta est ab

l Raym. Pasqual, *Vindiciae Tullianae,* t. I. cap. 33. — Ex Raymundo Lullio dicitur ct narratur accepisse Scotus suam doctrinam circa Immaculatam Conceptionem. Ita enim in *prologo* cuiusdam opusculi : *Ensayo Critico. Santo Tomas de Aquino y la Inmaculada Concepcion de la Virgen Maria,* por Moïses Alujas Bros. Prôlogo del muy litre. Senor Dr. D. Salvador Bové, Canônigo Magistral de LaSco de Urgcl, Barcelona, 1909. — In quo quidem Prologo, p. xrx. sic scribitur : « Cuentan algunos autores, que en el libro del Beato Lulio l *Dominus quae pars* ? », al referir nucstro Santo las relaciones y confercncias que tuvo él en Paris con el Doctor sutil Escoto, se vc elaramente que quién acabô por inclinar el ânimo del Doctor Franciscano â favor del Mistcrio, fué Raimundo... — Él (Raimundo Lulio) sc merecc cl titulo de *Doctor de la Inmaculada,* por varias razoncs : «) por scr cl primcro entre los Doctores de la Escolâstica, cl primcro entre los Comentaristas del Maestro de las Scntcncias, que enscôô en sus obras haber sido *inmaculada* la Virgen Maria en cl primer instante de su sér natural ; ά) por haber defendido d *Privilegio* de Maria en un sentido menos restringido (mâs *radicat,* diriamos hoy dia), in *modo ct in re,* que cl Doctor Sutil Escoto ; *c)* por haber ensennado pùblicamcntc en la Sorbona é Vnivcrsidad Litcraria de Paris cl *Privilegio de* la Madré de Dios antes que dicho Venerable Escoto... I por ultimo, los argumentes que comcnzando por los de Escoto, se adueen â favor del Mistcrio, todos parccen sacados de los libros del *Doctor Arcangclico* (Lulio). Hasta cl punto quo cl argumento : *Potuit; Decuit; Ergo fecit,* que no se halla *expressis verbis* en Escoto, se halla, si, *expressis verbis,* cn cl Beato Raimundo Lulio. » — Undenam vero originem trahat hoccc argumentum per modum axiomatis : *Potuit; Voluit ; Ergo fecit,* vide infra cap. 13.

initio. Nam etsi ipsa concepta fuit de virili semine, via propagationis ab Aciam, in quantum ad *suum initium indiguit liberatore,* quia in iVdam, nisi liberentur aut praeserventur, omnes moriuntur, ut in Christo omnes qui vivificantur, vivificentur : tamen sicut anima eius rationalis nullo tempore fuit, antequam esset corpori unita, ita ipsa dum *crearetur, sancta creata fuit ;* sic etiam, quod nulla dubitatione fuit verum, dicere Virginem fuisse sub peccato. ... Hoc cedit in laudem Dei et Virginis Mariae Matris, quod ipsa sub principatu auctoris mortis, nullo unquam tempore fuit, in qua Vita debuit incarnari. *Non indiguit Virgo Liberatore,* qui ipsam absolveret a sententia in Adam et posteros eius ex voluptate carnis lata, cui numquam subiacuit, quia praevenit succurrere misericordia electae Matri misericordiae, qui concipitur et nascitur liber ; *nec indiget Liberatore a servitute* in qua numquam fuit. *Praeliberatorem* enim Virgo sancta habuit, ceteri *Liberatorem* et *Postliberatorem. Ipsa sola* post Adae lapsum *non indiga,* sed *plena originali iustitia* ut Eva, et multo magis, creata fuit ; sicut Christus, secundum humanitatis naturam in omni plenitudine iustitiae multo magis quam Adam creatus. Sola ipsa electissima Dei Mater hoc habet, quod in initio essendi sub nequitia maligni deficere nequivit, puta, quod in creatione rationalis animae in corpore et separatione a corpore in potestate maligni numquam fuit. Sola igitur gloriosissima Virgo non repentur tempore ullo peccato originali subiacuisse V »

, ‹ *'* 1 Cardinalis Cusanus, « in gravi quadam concione » (lib. VI, cap 49. et cap. 55.), citatus a P. Janssens, O. S. B., in sua *Sumina Theol.,* t. V. part. II. sect. I. niemb. I. *De Mariae sanctif. — Dissert. de Immac. Concept. — Appendix de mente S. Thomae ».* Deinde P. Janssens, quasi plaudens concionem Nicolai de Cusa, hanc quae sequitur coronam ei apponit : « *Ecquis non videt, quantum distet inter modum quo loquitur iste doctus Cardinalis, et quo S. Thomas dc eodem argumento tractat* ?» — Revera, nemo est qui non videat, modo oculos habeat, quod tantum distant, quantum inter se distant *Immaculata Conceptio* quae non indiget Liberatore, et *Immaculata Conceptio* quae indiget redemptione et salute quae est per Christum.

Quomodo hanc eandem viam exponebat loannes de Segobia in Concilio Basileensi. — *a)* « Pium, quinimo pientissimum est credere animam Immaculatae Virginis, Dei Genitricis, Mariae, fuisse in instanti suae infusionis in corpore praeservatam a peccato originali ; ac Beatissimam Virginem Mariam non fuisse in originali peccato conceptam. Constat apud sedem Apostolicam in Curia Romana, annuaria huiusmodi festum Conceptionis Sexto Idus Decembris celebrari... Et quoniam Ecclesia celebrat hoc festum eo die, quo fuit *prima conceptio,* non mediocre testimonium ex hoc videtur haberi ad illam positionem piam de *purificatione seminum* in die isto. »

ô) « Si homo non peccasset, equidem Filius Dei incarnatus fuisset. Ex quo sequitur, quod *finis principalis ac per se Incarnationis Filii Dei non fuerit mysterium Redemptionis.* ...Sic igitur se habet, quod opus Incarnationis absolute sit primo intentum, quam prout est ad mysterium Redemptionis ; Beatissima autem Virgo substantialiter ad illud pertineat ; ergo intelligetur intenta primo et ordinata a Deo *prius* quam *personae* primorum parentum ; similiter et illorum consequentium, quae ordinata sunt a Deo ratione peccati ipsorum, videlicet, decreti divinae maledictionis in contractione originalis peccati, et aliorum quae ordinata sunt ad restaurationem humani generis... Ita ergo, cum Beatissima Virgo multo maioris dignitatis sit quam primi parentes, *non debuit esse inclusa sub lege poenali,* qua communiter eorum filii, ratione peccati ipsorum, sunt condemnati ad contractionem originalis peccati et ad poena> ex ipso consequentes. »

c) « Sic igitur in praesenti videtur dicendum, quod, etiamsi ex verbis sacrae Scripturae dc contractione originalis peccati : *Cinis es et in cinerem reverteris;* sive ex illis : *Omnes in Adam peccaverunt,* Beatissima Virgo ad contrahendum originale peccatum videtur obligata, non tamen ex *intentione Legislatoris,* propter excellentias et praerogativas quas Sacra Scriptura loquitur de Beatissima Virgine et Ecclesia ei attribuit specialiter ex hoc, quod ipsa dicatur *Mater omnium filiorum Dei,* sive *Advocata, Rcconciliatrix* et *Mediatrix nostra.* Sic

ergo, concludendo hanc considerationem, potest rationabiliter dici, quod, multiplici excellentia suffragante, Beatissima Virgo excepta sit ab originali peccato, non solum ex *gratia singularis -privilegii,* sed quia *lex ad ipsam ex intentione Legislatoris non se extendit.* Sicut Christus fuit novissimus Adam coelestis, ita et Virgo Maria novissima Eva... Sic etiam exceptio Christi a contractione originalis peccati, sub eodem peccato non includit ; quinimmo, inter ipsos multiplici ratione sistente, *exceptio Christi a peccato* est *Virginis sub eodem exclusio :* quod sic esse verum, in praesenti *allegatione* ostensum iam fuit multiplici documento. »

d) « Quia Virgo simul cum Christo sunt *primum principium* in *esse spirituali* vitae omnium, ideo illa immunis est ab originali peccato. Quia Beatissima Virgo, simul cura Christo, suo modo est *primum principium omnium in esse spirituali,* oportet, quod in ea puritas maior resplendeat. Hoc autem dici non potest, nisi quia ipsa subiecta peccato non fuerit... Cum ergo Christus et Beatissima Virgo sint *primum principium* omnium viventium in esse spirituali sive gratiae et sempiterno, *causalitas corruptiva* primi parentis his esse contraria *non potuit* vel *non decuit se extendere* ad Christum et Beatissimam Virginem ; quibus, e contrario, *ratio activa principiandi* competit respectu omnium, qui ab illa corruptione liberantur et attingunt esse incorruptibile illi contrarium.... Constat autem, quod, sicut Christus, quantum ad *esse spirituale,* dicitur *Pater Adae,* primi parentis ita et Beatissima Virgo dicatur *Mater* suo modo. Si ergo dicamus, quod Adam potuerit alterum istorum principiorum *corrumpere* in *esse spirituali,* iam haec habitudo effectu-actionis non descendere a causa in effectum, sive a principiante in principiatum ; sed quia a filio in matrem, diceretur *ascendere* ab effectu in causam, et a principiato in suum principium ; *principium enim vitae spiritualis est Christus d Beatissima Virgo in primo homine...* Nam si Beatissima Virgo non sub Christo locata esse, sed a dextris eius sedere dicitur in perpetuo throno : quomodo hanc, quae dicitur sedere a dextris Dei, potuit *vis corruptiva* primorum parentum attingere, cum illorum *non tam filia* in esse corruptibili,

quam ipsa illorum vere dicitur *Mater* quantum ad esse incorruptibile et spirituale? Vis enim causativa nunquam ad priora ordine essentiali, sed dumtaxat ad posteriora subiecta sibi oportet extendi »

Quarto : Quomodo hanc eandem viam declaret Galatinus. — Petrus Galatinus, O. M., *De arcanis catholicae fidei,* lib. VIL : *De Sanctissima Matre Messiae,* sic per diversa capita antiquam doctrinam circa Immaculatam Conceptionem exponit :

a) Cap. 2. : « Quod amore Matris Regis Messiae et Filii eius, Deus mundum creaverit, quia viderat ipsos a peccato Adae immunes futuros. ... Et ideo amore lesu et Alariae Deus mundum creavit... Non solum autem totus mundus amore Beatae Virginis conditus est, sed etiam sustentatur. Mundus enim ipse ob nostras pravas actiones nullo pacto consistere posset, nisi ipsa gloriosa Virgo eum sua misericordia et clementia pro nobis orando sustineret. Ex his etiam sequitur, ipsam et Filium eius ab Adae peccato omnino immunes fuisse. »

b) Cap. 3. : « Quod Mater Messiae non fuerit in peccato originali concipienda ; et quod ipsa fuit ante peccatum Adae secundum *materiam* creata, et *caro* ipsius semper ab omni macula peccati praeservata. Ad quorum declarationem notandum est, quod opinio quorundam veterum iudaeorum fuit, *Matrem Messiae* non solum in mente Dei ab initio et ante saecula creatam fuisse, ut paulo superius dictum est ; verum etiam *materiam* eius in *materia* Adae fuisse productam, ipsamque gloriosam Messiae Matrem principalem extitisse causam cur eius amore (ut dictum est) mundus creatus sit. Nam cum Deus Adam plasmaret, fecit quasi *massam,* ex cuius parte nobiliori accepit intemeratae Matris Messiae *materiam*... quae postea emanavit ad Seth ; deinde, ad Enos ; deinde, succedaneo ordine, ad reliquos, usque ad S. loachim.

[1] *Septem Allegationes et totidem Avisamenta pro informatione PP. Concilii Basileensis circa Virg. Mariae Immaculatam Conceptionem.* Allegatio i., 3. ct 6.

Ex hac demum virtute Beatissima Mater Messiae formata fuit...l Ex qua quidem opinione aperte concluditur *carnem* gloriosae Matris Messiae non fuisse peccato originali infectam, sed purissimam a Divina Providentia praeservatam. Quocirca nec anima eius huiusmodi peccatum in conceptione contractura fuit. »

c) *Cap. 4. :* « Data huius opinionis veritate, sequeretur, gloriosam Matrem Messiae non vere ex Davidica stirpe descendisse, neque vere S. loachim filiam fuisse. Ait enim S. Thomas, ***III.*** *Sent.* dist. 3. quaest. quae incipit : *Utrum caro Christi,* etc... Non obstantibus igitur Doctoris sancti (S. Thomae) argumentis, *remanet* in suo robore conclusionis priscorum talmudistarum *veritas,* de immaculata beatissimae Matris Messiae conceptione. ... Ex his igitur necessario sequitur, praedictam veterum Hebraeorum opinionem *veram* esse, dicentium Matrem Messiae ex *nobiliori parte massae* Adae factam fuisse, atque ideo absque originali peccato conceptam. Et licet eius *materia* simul cum *materia* Adae creata fuerit, *prima* tamen fuit in causa excellentia et dignitate. Propter quod prisci quidem ludaeorum ipsam

l Inde assumpsit abs dubio Rosmini suam doctrinam circa Immaculatam Conceptionem, dum, ut illam explicaret, scripsit : Ad praeservandam B. V. Mariam a labe originis, satis erat ut incorruptum maneret semen in homine, neglectum forte ab ipso daemone, e quo incorrupto semine, de generatione in generationem transfuso, suo tempore oriretur Virgo Maria. » *Decretum a Suprema Congregatione Eminentissimorum Patrum Inquisitorum Generalium, approbante et confirmante SSmo. D. N. Leone* ***XIII****, emissum die 14 Decembris 1S87, quo damnantur XL propositiones ex operibus Antonii Rosmini Scrbati.* Propositio 34. inter damnatas.

Similem errorem damnat D. Thomas, ***III.*** *Sent.* dist. 3. q. 4. a. I. Et *Sum. Theol.* III. q. 31. a. 7. Atque in suis *Comm, in Evang. Ioan.* cap. 3. lect. 5. ita scribit : « Sed cavendus est hic error quorundam, dicentium, in Adam remansisse *aliquod materialiter non inquinatum macula originali,* et traductum in posteros *purum* usque ad B. Virginem ; et de hoc corpus Christi fuisse formatum : quod quidem *haereticum* est ; quia quidquid in Adam *materialiter* fuit, *macula originalis peccati* inquinatum est. *Materia* vero, de qua formatum est corpus Christi, *depurata fuit .irlute Spiritus Sancti,* sc. Beatam Virginem sanctificantis. »

Matrem Messiae *petram primariam* et *primam creaturarum* in genere humano, *primumque hominem* vocaverunt. ... Quia prima omnium quoad *materiam* producta est. »

d) Cap. 5. : « Ex quo colligitur Matrem Messiae non solum columbae comparari ratione praedicta, verum etiam ipsius fundamentum et principium absque peccato originali futurum fuisse. Et quia petra principium est et fundamentum, super quod aedificium sustentatur, ideo in foraminibus petrae (inquit), hoc est, in *embryone* ubi concepta fuit, in quo est foramen ubi fuit aedificata, illic fuit columba absque felle peccati originalis mundissima... Una sola ex omnibus feminis absque originali peccato concepta est, quemadmodum Christus solus ex omnibus viris... Quasi aperte diceret : Sicuti ego in embryone matris meae sine peccato originali concepta fui, ita quoque ipsum genui. »

i) *Cap. 6. :* « Septem naturalibus rationibus probabo et *materiam* intemeratae Matris Messiae *mundam* atque *immaculatam* in Adam praeservari debuisse, et consequenter ipsam Matrem Messiae absque initiali peccato conceptam fuisse... Nunc ad B. Pauli verba respondeamus. Cum igitur inquit : *Omnes in Adam peccaverunt,* sic exponamus dictum : Omnes sc. qui subeunt solum Adae regulam neque altiorem sortiuntur gradum ; hi enim in Adam vere peccatores sunt ac in originali peccato concepti. Gloriosa autem Virgo cum ad sublimiorem quam Adam ascendit gradum, dici non potest in peccatum Adae cecidisse ; quoniam ipsa sola inter ceteras omnes creaturas hoc privilegio donata fuit, ut in ea Filius Dei conciperetur. Quod autem hoc fuerit eius ultimus finis ac suae conceptionis, ex hoc potissimum patet, quod nulla unquam alia creatura praeter ipsam ad hoc concepta fuit, ut in ea Filius Dei incarnaretur, quia in nulla alia quam in ipsa Filius Dei incarnatus est. Concluditur igitur, Filii Dei incarnationem conceptionis Virginis *causam finalem* extitisse. Quare, ut ex praemissis rationibus colligitur, oportuit *materiam* et *formam* ipsius immaculatae Virginis perfectiorem atque sublimiorem quacumque alia materia ct forma in genere humano fuisse, ac sine peccati initialis infectione productam. »

ß) Cap. 10. : « Gloriosa autem Virgo ac eius Filius, cum peccati Adae haudquaquam participes fuerint atque originali peccato penitus alieni exstiterint, merito *impassibiles* et *immortales* esse debebant. Sed quia ob redemptionem nostram mors Christi et passio necessaria erat.... ideo Christus corpus passibile et mortale necessario habere debuit, Intemerata itidem Virgo cum Filium passibilem et mortalem genitura esset.... necessario mortalis quoque fuit ; quare tam mater quam filius mortui sunt. ... Si Beatissima Virgo ante Filii passionem obiisset, dic mihi : Quonam anima eius profecta fuisset ? Ad *inferosne* an in *coelestem paradisum?*... Primum enim dico, quod in neutrum locum accessisset, sed ad *alium locum coelorum sanctissimum*... Ex his igitur quae in praemissis capitibus dicta sunt, sole clarius patet : quod non obstantibus Hogostrati obiectionibus, opinio antiquorum Hebraeorum de immaculatissima Matris Messiae conceptione, verissima atque catholica sit. »

Quinto : Quomodo hanc ipsam viam declaret Ambrosius Catharinus, O. P. — *à) De eximia praedest. Christi,* lib. II. : « In Christo enim et propter Christum, primus gradus electionis ac praedestinationis considerandus est in Matre sua... Ipsa sola sic fuit praedestinata, ut non solum non valeret ab ipso fine tandem excidere, quod et aliis concessum est, verum etiam... ut esset perpetuo immaculata et sancta a primo suae Conceptionis instanti atque in omni vita... Et una inveniretur Christo semper immobili charitate adhaerens, ut merito ante alios unice praeelecta in illo ut filia, et mater, et soror, et sponsa singularis. »

δ) *De casu hominis et peccat, orig.,* lib. unus : « Beata Virgo, secundum quod vere fuit filia Adae, debuit hoc peccatum contrahere simul cum aliis ; sed quod de facto contraxerit, non est opinandum quovis modo. Quoniam ad incursionem huius peccati non satis fuisset esse filios Adae, nisi *pacto* coniuncta fuisset *causa filiorum* cum *causa patris.* Quod ergo Beatissima illa Virgo id non incurrerit, ob eam gratiam fuit, *quia excepta fuit in pacto illo.* Hoc autem quod excepta fuerit, multis rationibus suadetur ; quoniam haec erat electa et praeelecta primogenita filia et sponsa omnium amantissima et omni honore dignissima Mater, ut merito benedicatur inter omnes mulieres et benedictus fructus ventris eius. »

c) De Immaculata Concept., lib. III. : « Prima ergo et summa omnium rationum, quae est omnium persuassionum radix et fundamentum, haec est : *Si Deus potuit hoc Matri suae privilegium dare; ergo etiam dedit. Potuit autem.* Ne quis vero me derideat, non meus est hic processu-, sed Augustini. ... Christus et Virgo. Ille, caput et origo perfectae salutis ; et ideo ille ex seipso vere innocens. Beata Virgo post eum, imo etiam per eum, in secundo innocemiae gradu ; innocens tamen reipsa omnino, et absoluta a colligatione prima, ut idonea fieret ad solvendum illam et digne applicaretur viro summe innocenti. »

Sexto : Quomodo hanc viam ostendere ex professo conentur alii scriptores et theologi. — Alii vero vestigia Ambrosii Catharini prementes, ex ipsomet origine peccati originalis conantur deducere *Immaculatam Conceptionem* Beatissimae Virginis Mariae, ex eo videlicet quod Beatissima Virgo non erat inclusa in voluntate Adami, nec ex Adamo pendebat quoad transmissionem originalis iustitiae, ac proinde nec quoad transmissionem originalis peccati quod formaliter in carentia iustitiae originalis consistere videtur. Aiunt enim :

« Congruum deinde fuit, ut libera facultas eius consensus ac dispositionis necessariae pro sanctificatione posterorum committeretur *arbitrio* et *electioni* Adae... Nihil tale factum est aut oportuit ut fieret respectu Angelorum... Ratione longe maiori *eximi debuere a voluntate Adae,* et a communicatione ac contingentia electionis eius, *Christus Dominus* et *Christi Domini digna Mater*... Absurdum autem fuisset subiicere voluntatem melius praeparatam voluntati remissius praeparatae, et creare periculum in voluntate aliena, quale nullum adesset in propria. Eadem igitur benignissima bénéficientiae ratione, qua voluntates ceterorum congruenter transfusae sunt in voluntatem Adae, eximi

in id idem debuere, et exemptae de facto sunt voluntas Christi et voluntas Beatae Virginis. Quapropter universale illud Rom. 5,12 : *In quo omnes -peccaverunt,* accipiendum est de omnibus inferioris conditionis quoad dona gratiae quam fuerat Adam ante peccatum. Quia *peccare unum in alio,* praesupponit *unum in alio praecontincri,* non solum secundum corpulentam substantiam, aut etiam secundum seminalem rationem, quod est commune cuivis homini respectu sui patris ; sed praeterea, idque maxime, secundum potestatem liberam ac moralem vitandi et committendi peccati. Haec porro *praccontincntia* requirit, saltem ex natura rei, maiorem in eodem genere, certe non minorem perfectionem *praecontinentis,* quam *praecontenli ;* nec dissone ac violenter concludatur, et quasi comprimatur, quod maius est, intra id quod minus est secundum eandem rationem, secundum quam illud excedit, et hoc exceditur. Apparuit autem non solum Christum Dominum, sed etiam Beatam Virginem debuisse longe praeeminere Adae quoad perfectionem potentiae liberae ac moralis. Ergo non solum *voluntas Christi,* sed neque *voluntas Beatae Virginis* praecontenta fuit in *voluntate* Adae quoad contractionem peccati originalis. Ergo neuter intelligendus est inter eos omnes qui peccaverunt in Adam ; quia neuter intelligitur praecontentus moraliter in eodem. Eadem est ratio et similis intelligentia circa alias eiusmodi elocutionis formae universalis. ... *Credendum minime est Beatam Virginem subiacuissc voluntati et arbitrio Adae* quoad sortem amittendae aut obtinendae iustitiae originalis, et contrahendi reipsa aut non contrahendi peccati originalis x. »

ô) « Multi, iique docti, auctores strenue defendunt, Mariam non solum *a peccato,* sed etiam *a peccati debito* contrahendo fuisse immunem. Ita sentiunt Galatinus2 et Cusanus3,

1 *Immaculata Conceptio Beatae Alariae Virginis, deducta ex origine peccati originalis,* per R. P. M. DE Esparza Artîeda. S. I. Romae, 1654.

2 *De arcan. cath. verit.* lib. 7, cap. 3 et 4

2 *Exerc. VIII.*

Cardinalis de Ponte 1, de Salazar 2, Catharinus 3, Novarinus4 et Viva5, cum Cardinali de Lugo®, /Egidio, Richerio, aliisque. Hanc autem asserunt rationem (quae quidem probabilis videtur), cum Deus nobilissimam hanc creaturam gratiae suae donis prae hominum vulgo magnopere distinxerit pie credi posse, Eum *voluntatem Mariae* non inclusisse in *Adami voluntate;* atque ita factum est, ut etiam *a peccati debito contrahendo* fuerit immunis 7. »

c) « Secunda sententia defendit *Virginem non peccasse in Adamo, nec debitum* (intelligo, *proximum} contrahendi peccatum originis in propria persona incurrisse.* Hanc sententiam plures theologi docent, quorum primus est Ambrosius Catharinus, qui eam absolute et erudite tuetur in opusculo *De peccato originali,* cap. ultimo, et *De Concept. Mariae, ad Synodum Tridentinam,* I, cap. 1. Eandem etiam amplectitur Petrus Galatinus, lib VII. *De Arcanis,* cap. 10. Ait enim : *Christum et Beatam Virginem peccati Adami non fuisse participes ; ideoque immortales et impassibiles esse debuissent, licet propter aliquas causas mortui essent...* Pro eo autem suppono, quod iterum dixi et cap. 26. probavi, videlicet, Christi et eius Matris praedestinationem ante omne peccatum, tam originale quam actuale, factam fuisse ; ita ut prius Dei voluntatem erga utrumque versari cognoscamus, quam divinus intellectus aliquod in hominibus aut Angelis peccatum praeviderit. Unde fit *praedestinationem Virginis* ad Maternitatis dignitatem praecessisse *voluntatem pacti* quod Deus cum Adamo habuit de iustitia originali in posteros transfundenda, ipso non peccante ; sin minus, omnes sine illa concipiendos. Quo posito, sic procedo probando illam minorem. Nam antequam Adamus et posteri in illo pecca-

1 *In Cani. II. Exhort, i).*

2 *Dc Virg. cono.* cap. 7.

3 *Dc pecc. orig.* cap. ult.

4 *Umb. Virg.* cap. 10. *Exc. XVIII.*

5 *Curs. theol.,* part. 8. disp. 1. q. 2. a. 2.

6 *Dc Incarn.* disp. 7. sect. 3.

' G. M. VAN Rossum, S. *Alphonsus M. de Ligorio et Immaculata Conceptio B. Alariae Virginis,* n° 11, p 10. Romae, 1904.

rent, Deusque cum co pactum dictum inisset, Virgo Sanctissima electa fuit ad Christi Maternitatis dignitatem; ergo decens fuit sub illo pacto non comprehendi. Haec consequentia mihi nota est ; quia cum Maria pro illo signo ad Dei Maternitatem fuerit electa, certissimum est ad maxima quoque privilegia, dona, charismataque, et abundantiam gratiae fuisse praedestinatam, utpote quae supra creaturas ceteras etiam producibilcs dilectissima a Deo erat. Ex quo certum esse videtur non fuisse cum omnibus aliis hominibus in Adamico pacto inclusa, nec id decuisse fieri ; tum, quia hoc esset ceteris aliis Dei Matrem aequare ; tum et praecipue, quia esset hoc eam evidenti periculo exponere, quod in Adamo peccasset, et per consequens non digna Dei Mater esset, cum sciret Deus conditionata scientia Adamum tale pactum transgressurum, si illi imponeret praeceptum... Ratio ex praedestinatione Virginis petita, iam est adducta, et adeo efficax mihi videtur, ut vix credam theologum ullum affirmantem *praedestinatam esse* (B. Virginem) *ante ullum peccatum praevisum,* ut probabilissime plures defendunt, negare posse nostram sententiam b »

II

Terminus huius viae, cuius initium est Mysterium Incarnationis ac praedestinatio Beatissimae Virginis ad Christi Maternitatem ante praevisionem peccati, necessaria et logica deductione est Immaculata Conceptio B. Virginis ante mortem et passionem Christi a Deo decretam et praevisam.

Quod quidem ex professo dataque ex opera reperitur traditum atque in terminis assertum et declaratum in diversis scriptis ipsorum discipulorum Scholae Scotisticae, ex quibus aliqua testimonia in medium proferre oportet.

1 P. Fr. Ioan. Baptista de Lezana, Ord. Carmelit., *Liber apologeticus pro Immaculata Deiparae Virginis Mariae Conceptione,* cap. 32 , 34. et 35. Matriti, anno 1616.

Primum. — Sit namque primum, quaedam bene elaborata dissertatio, cuius ipscmct titulus satis iam mentem et intentionem totius Scholae praesignat, totamque huius viae longitudinem usque ad logicum eiusdem viae terminum perspicue aperit et determinat, nimirum : « *Thesis Franciscalium de praeelectione Christi logica deductione ipsos duxit ad Immaculatam Virginis Conceptionem pro viribus tuendam.* »

Ex qua quidem dissertatione, quae subsequuntur, fideliter ad litteram transcribuntur :

λ) « Et sane, Franciscales permoti opinione, quae ipsis studium est erga Incarnationis motivum, Virgini Mariae puritatem tribuunt originalem. Forsitan aliquis, iis auditis, me Franciscalium opinionem tueri velle opinetur, vel Thomitarum impugnare ; sed indulgeat, quaeso, dum eum in errore versari asseram ; hoc non est meum ; summa enim verisimilitudine eas gaudere credo ; tantummodo Franciscanam cum Thomistica conferam, ut *Immaculata Conceptio,* cuius sit evidentius consectarium, perspiciatur. Ut autem meum assequar consilium, vobis ostendam : primum, Franciscanam opinionem, quae statuit Verbum Divinum incarnatum iri, etiam si homo non peccasset, seu quae defendit *Christi Domini praeeleclionem,* tamquam huius assertionis *principium;* secundo, Thomisticam, quae ipsi opponitur ; et denique, quod *Christi pracelcctio* sit etiam *principium* ex quo logice et evidenter deducitur *cius Matris praeclectio et ab originali labe immunitas.* »

b) « Duabus sententiis quae e regione opponuntur explicatis, earum consectaria perpendam : *Christo omnibus rebus prioritate praecellente,* ut tenent Franciscales, *Virgo etiam praecellit.* Hoc est primum corollarium, quod pandere intendo. Christus non est solus ; sed in mente divina, alia comitatur creatura, eius sc. Mater. Maria enim, quae disiunctissimas res, Deum cum homine sociat, Christo taliter coniungitur necessitudine, ut ab illo avelli nequeat. Sine Maria, sine Matre, nec Deus homo, nec homo Deus est. Quod apprime convenit verbis ab immortali Pio IX. in Bulla *Ineffabilis* consignatis : *Virginis primordia uno eodemque decreto cum Divinae Sapientiae Incarnatione luerunt*

'praestituta... Fateamur ergo Christo homini futuro Mariam referri ; Christi praeclectionem, Virginis exigere praeelectionem. »

c) « Equidem Maria praeelecta fuit, ut esset angelorum Regina, hominum Domina, atque, post Christum et in Christo, exemplar, finis ordinatus, et causa creationis motiva... Post haec, quis (sequuntur Franciscales) praecellentissimae Mariae, huic eximiae Reginae, originale peccatum affingere audebit ? Intellectus noster hanc ideam reiicit. Imo : potuit Deus *Adamum* suae Reginae *caput* constituere? Equidem, potuit ; veritatem renuere nolo. Decuit vero ? Videamus. Deus decernens omnes Adae filios in ipso, tamquam in *capite morali,* contineri, suam considerabat *Filiam,* Unigeniti sui *Matrem,* Spiritus Sancti *Sponsam,* gratia plenam : non decuit igitur Mariam ab illa communi lege eximere? Patris, Filii et Spiritus Sancti Amor nonne hanc expostulabat exemptionem ? diabolo in servitutem Mariam abdicente Divina Trinitas quodammodo ei non esset subiecta? Non decuit ergo Mariam Adamo subiicere. Deo aliter faciente, omne ens a supremo usque ad postremum conqueri potuisset ; omne ens a supremo usque ad postremum *Non decet!!* exclamasset. »

d) « Franciscanam perpendimus ; consectaria Thomistarum pandamus. In expositione supra allata perspeximus, quod Incarnatio a peccato pendeat[1] ; lapsus ergo humani praevisio, Incarnationis praevisione prior est. Quamobrem logice deducitur, priusquam Maria ad divinam Maternitatem et quodcumque aliud privilegium electa fuisset, peccatum Adae praevisum esse. *Maria* igitur *Adamo /uit subiecta;* quia nullo gaudebat privilegio, quo eximi mereretur. Potuit Deus, verum est, *Mariam Adamo subiectam,* in eius Conceptione *illibatam* servare. Sed Mariae magis egregium non est, quod omnibus hominibus sub Adamo constitutis Ipsa secernatur, sicut eius Filius, et ex Franciscana opinione colligitur, quam ea etiam sub illo constituta peccati expers postea crearetur ? Quomodo a *debito non solum remoto, nec diam proximo,* tunc Mariam absolveremus? »

1 Non ut a causa, sed ut a conditione *sine qua non*

c) « Ostendi iam, ut opinor, *Christi 'praeelectionem* esse *principium* ex quo logice et evidenter deducitur eius *Matris praccleclio* et *ab originali culpa immunitas.* Ostendi iam Franciscales ipsam tueri, non solum propter amorem, non solum propter traditionem et Sancti Patris (Francisci) praecepti obsecutionem, verum etiam propter *theologicam disciplinam* quam defendunt. Semel dicam, ostendi iam thesim Franciscalium de praeelectione Christi *logica deductione* ipsos duxisse ad Immaculatam V. Mariae Conceptionem pro viribus tuendam »

1 ‹ Fr. Carmelus ab Iturgoyen, O. M. C. *Velada cicntifico-litcraria, con molivo del quincuagesimo aniversario de la dtfinition dogmatica de la Immaculada,* Pamplona, 1904 » — Per hanc ear.deni viam, quae est *independentia* B. Virginis ab Adamo in ordinc iustitiae originalis in posteros transmittendae, declaratur ab all's theologis Scholae Scotisticae *praeservatio* B. Virginis a peccato originali, quos inter : *a}* Charbonnel, O. M., *Le grand drame de la création* (Paris, 1909, p. 221-228) « Dans l'ordre surnaturel, la Vierge s'appuie immédiatement sur le Christ, et sur le Christ seul, et elle ne relève que de Lui. Aussi quand, par son crime, le premier homme tarit en son cœur la source de la vie divine, elle *n'en subit pas, et ne peut en subir Us effets.* En péchant, Adam ne prive de la grâce que ceux de ses enfants à qui il a reçu mission de la communiquer. Or, loin de devoir la communiquer à Marie, c'est d'elle, aussi bien que du Christ, qu'il la reçoit. N'est-ce pas, en effet, par les *mérites* de la Vierge unis à ceux de Jésus, comme nous l'avons prouvé, que le *premier homme innocent* obtient *toute grâce:* sa justification personnelle et le don qu'il doit, comme tête morale du monde, transmettre à sa descendance ? Dans l'ordre surnaturel, la dépendance d'Adam en regard de Marie est la même que celle d'un membre en regard du cou qui lui transmet les énergies de la tête. Mais, par contre, Marie, dans ce même ordre, ne dépend d'Adam *en aucune façon;* sa fille, selon la chair, elle est sa mère selon l'esprit. Que le chef de l'humanité conserve ou épuise en lui la vie divine, l'ânie de la Vierge *ne peut* en être atteinte. Etablie sur le fleuve de la grâce, en amont du premier homme, elle *se tient* près de Jésus à la source des dons célestes. Or, la source ne cesse jamais de bouillonner vive, pure et limpide, même quand un peu plus bas l'eau est troublée et salie. *Immaculée,* ornée de la grâce, Marie le sera donc toujours. Elle le sera malgré la faute d'Adam, puisque, *indépendante d'Adam* dans l'ordre surnaturel, *elle ne peut subir,* même lui tombant, *l'obligation* de contracter la faute originelle. On le voit, du *dogme de la Maternité d: grâce* compris

Secundum. — Secundum vero testimonium habetur ex alio discipulo Scoti, asserente quod argumenta Doctoris Subtilis pro Immaculata Conceptione probanda concludunt similiter Beatam Virginem, utpote Christi Matrem, soli Christo fuisse subiectam in ordine gratiarum, et nequaquam Adamo, excepta naturali propagatione. Ait enim : *a)* e Videtur proinde gratiae plenitudo, quae Mariae obvenit, de Christi plenitudine atque meritis accepisse, *independenlcr ab Adamo,* nec propterea in ipso peccare potuisse, ab omni debito penitus absoluta. Et ad hunc intellectum nullo negotio

au sens où nous l'avons développé, on *peut conclure* au dogme de l'immaculée Conception. Mère de la divine grâce, Marie reçoit de Dieu, sans autre intermédiaire que Jésus, la vie qu'elle doit dispenser à toute créature. Mais ne relevant que du Christ dans l'ordre surnaturel, elle est indépendante d'Adam, son père selon la chair, lequel, en conséquence, *ne peut perdre pour elle* une grâce qu'il n'avait pas mission de lui transmettre... Les anges glorifiés ont-ils eu rien de commun avec le péché ? Et pourtant, d'après l'Ecriturc, le Sauveur est mort pour eux. ... Marie est sanctifiée et sauvée par Jésus souffrant et mourant, aussi bien que les anges, mais pas plus que les anges elle n'a contracté de dette au péché. »

« Si la Vierge est immaculée, c'est-à-dire pure, sans tache, omée de la grâce de sa conception, c'est donc qu'elle habite un lieu à part, ct qui est sien, lieu impossible d'accès au serpent. »

&) Le P. d'Argentan, *Conférences sur les Grandeurs de la Vierge Marie,* t. I, Conf. V, a. r : « Ne confondez pas la très Sainte Vierge avec tout le reste des hommes, car elle n'a rien de commun avec eux, que la nature humaine en sa pureté. Quand elle est conçue avec son Fils unique dans les décrets éternels de Dieu, c'est un homme pariait ct c'est une fille parfaite ; l'un ct l'autre infiniment éloignés du moindre péché ; l'un pour être le modèle de tous les hommes, l'autre pour être l'exemplaire de toutes les femmes. Jésus-Christ n'a pas été formé à la ressemblance d'Adam, mais Adam a été créé d'abord à la ressemblance de Jésus-Christ. La Sainte Vierge n'a pas été formée à la ressemblance d'Eve, mais Eve a été formée d'abord à la ressemblance de la Sainte Vierge ; ct c'est pour cela qu'Adam ct Eve ont été produits au commencement dans une parfaite innocence, parce qu'ils devraient être des images de Jésus-Christ et de sa sainte Mère; l un ct l autre étaient si remplis de grâce, qu'ils en avaient assez pour enrichir leur postérité ; mais ils avaient la liberté d'en faire un bon ou mauvais usage ; et abusant misérablement de ce beau privilège que Dieu leur avait donné, ils perdirent leur grâce pour eux-mêmes,

possunt inflecti pene omnia argumenta Scoti de actu perfectissimo .Mediatoris respectu Matris suae *(Oxon.* 3. dist. 3. q. 1.). Nani si impetrare et obtineri potuit, ut Dei gratia praeveniente a peccati foeditate sua ipsius Mater immunis appareret : quanto magis et *a debito contrahendi illam,* cum tale debitum peccatum formaliter non sit, etsi de peccati radice prodeat? *Carentia* autem *originalis iustitiae* in Adae posteris rectissime *Dei offensa* et *'peccatum* iudicatur, dicente Scriptura : *Quacumque dic comederis, morte morieris,* nempe tu, ceterique omnes pro quibus tibi concredita iustitia fuit. ‹

et pour toute la nature humaine qui dépendait d'eux, comme le ruisseau dépend de sa source.

Voilà donc les copies de Jésus-Christ ct de Marie qui sont défigurées par leur propre faute ; direz-vous pour cela qu'ils ont gâté leur original ? Cette source empoisonnée s'est bien écoulée dans les ruisseaux qui sont plus bas qu'elle ; mais elle n'a pu remonter plus haut. Quand Dieu voit toute la nature humaine dans ses idées étemelles, son Fils unique et sa mère sont conçus avant tous les hommes dans une très éminente sainteté : Adam ct Eve sont formés à leur image dans une parfaite innocence ; ils la perdent, et devenant criminels, toute la suite de leur postérité est enveloppée dans leur crime ; de sorte que naissant d'un père révolté, ils viennent au monde tous révoltés comme leur père, et par conséquent sont regardés de Dieu comme des objets de sa juste colère ; et tout cela ainsi arrêté dans les décrets étemels de Dieu s'exécute ainsi dans le temps. Tout est exécuté dans le temps, comme il est arrêté dans le décret étemel de Dieu : Jésus et Marie naîtront si pleins de grâce ct de sainteté, qu'ils seront infiniment éloignés de toute sorte de péchés, parce qu'ils sont ainsi conçus dans le dessein étemel de Dieu. Adam et Eve seront produits pleins d'innocence, comme d'excellentes images qui les représentent parce qu'ils sont ainsi conçus dans les pensées éternelles de Dieu ; mais tous leurs descendants naîtront souillés du crime de leurs premiers parents, et en porteront la peine que toute la nature humaine, réunie en Adam ct Eve désobéissants à leur Dieu, a très justement méritée parce qu'il est ainsi arrêté dans les décrets étemels de Dieu.

Si vous demandiez comment il se peut faire que la Sainte Vierge ne soit pas comprise dans ce décret universel, puisqu'elle est leur fille, elle même vous répondrait : *nondum erant abyssi ct ego iam concepta tram* (Prov., 8). Ces profonds abîmes du péché et des misères qu'il traîne après soi n'étaient pas encore que j'étais déjà conçue et qu'il était arrêté dans les décrets éternels de Dieu que je naîtrais sans péché. Ce qui vous abuse, et ce qui trompe tout le monde, c est que

b) « Deinde, actus iste mediandi quo principio terminoque, Filio nempe eiusque Matri, congruere intelligatur, perfectissimus prae ceteris mediandi actibus sit oportet. Si vero respectu *solius culpae* arcendae vim suam exercuisset, non item ne *debitum* illam habendi inesset : utique, perfectior foret ille actus, qui simul utrumque munus complecteretur ; non extitisset proinde Christus, altissimus, excellentissimus Mediator Deum inter et Beatissimam Matrem suam, non dando ei quod exhibere potuisset, quove magnificentius, imo magnificentissime sua ipsius excellentia prae omnibus creaturis eniteret. Et vere, si nos iussit honorare parentes, quanto magis ipse quidquid cedere potuit in decus, honorificentiam atque excellentiam Matris suae credendus est impendisse? »

c) « Et porro dubitari non potest, nec debet, merita Redemptoris extendi non potuisse ad hanc impetrandam et obtinendam Matri suae, prae omnibus Adae filiis, praerogativam atque immunitatem. Ut sicuti ceteri omnes conclusi

l'on ne la regarde que comme la fille d'Adam terrestre, au lieu qu'il faut la regarder comme la mère de l'Adam céleste. Jésus et Marie, inséparables l'un de l'autre dans la conception éternelle de Dieu, sont les deux grands originaux de l'innocence et de la sainteté, sur lesquelles tous les hommes et toutes les femmes, qui ne sont que leurs copies, doivent se former ; mais les originaux ne sont pas formés sur les copies ; c'est le plus grand de tous les malheurs que ces copies se soient toutes défigurées, mais les originaux conservent toujours leur perfection tout entière.

Venez, divins originaux, paraissez au monde dans la plénitude des temps ; rendez-vous visibles au milieu des hommes, afin que l'on puisse en vous regardant reformer tout ce qui a été gâté dans toute la nature humaine. Ils ne viennent donc pas pour être semblables à tous les enfants d'Adam, mais afin que tous les enfants d'Adam se rendent semblables à eux. Ils ne viennent pas pour être engagés dans le péché de toute la nature, mais pour dégager du péché toute la nature. Sans ces divins originaux, jamais rien n'eût été réparé ni rétabli dans le bon ordre ; et s'ils avaient été eux-mêmes défigurés par quelque péché, comme tous les autres, comment eussent-ils servi d'exemplaires pour les réformer ; mais c'est ici qu'il faut admirer la conduite de la divine sagesse et la profusion de sa miséricorde dans l'exécution des décrets étemels de Dieu, qui vont faire voir clairement combien la Sainte Vierge a été éloignée d'avoir aucune part au péché originel comme tout le reste des hommes.

U. M.

sunt sub peccato et lege incidendi in illud, et Mariam voluit exceptam a lege cuiuscumque peccati, ita et a debito contrahendi illud exemptam voluisse pie credere et sentire possumus, et non alia via et ratione nisi quia plenitudinem gratiae ipsi Deus immediate contulit *propter Christi merita praevisa;* aliis vero dedit, vel se daturum statuit, quia concredidit eandem Adamo ; non sic intelligendo, quasi gratia danda posteris ex illo accipienda et transferenda fuerit, sed quoniam, stante pacto et lege, Adam sibi suisque omnibus eam conservaret, si Dei mandato obedire maluisset.1 »

Tertium. — Tertium denique testimonium desumitur ex opere *Mistica Ciudad de Dios* cum suis *Commentariis* ubi doctrina Scoti circa Mysterium Incarnationis et circa praeelectionem Beatissimae Virginis Mariae ad Divinam Maternitatem stabilitur, propugnatur atque erudite evolvitur. In isto namque opere indicantur illa logica momenta vel signa in quorum primo (iuxta Scotum, *Oxon.* 3. d. 7. q. 3.) Deus intellexit se in ratione Summi Boni ; in secundo, intellexit omnes alias creaturas possibiles ; in tertio, voluit summam gloriam et gratiam animae Christi, ut fini propinquiori, et gratia ipsius Christi elegit plures alios ex angelis et hominibus, quorum Christus esset Caput et Princeps, et circa alios habuit actum negativum, non praedestinando. In quarto signo, praevidit homines praedestinatos casuros in Adam. In quinto signo, praeordinavit remedium electorum, et voluit id esse *passionem* et *mortem Filii sui,* alioquin venturi ; cum ante praevisionem lapsus eorum fuerit praedeterminata Christi futuritio. Itaque Christus, quemadmodum et ceteri electi, prius praevidebantur et praedestinabantur ad gratiam et gloriam, quam praevideretur Christi passio, ut medicina contra peccatum ; perinde ac medicus qui prius vult sanitatem hominis quam ordinet et disponat quidquam de medicina ad morbum depellendum et inducendam sanitatem. *Merita* itaque *praevisae passionis* fuerunt oblata a

1 Montefortino, *Dims Scott Summa theologica,* III. q. 27. a. 2., *Dissertatio theologica,* t. V. p. 31S. Romae, 1903.

(hristo in satisfactionem peccati originalis et provenientium ab ipso, ut verissime propterea sit omnium Redemptor; sed *intuitu eorum,* nullus est electus ad gloriam, quia electionis negotium absolutum fuit *independenter* ab omni peccato et a *Christi meritis ex passione praevisis* 1. In sexto denique signo, dum determinabatur creatio totius generis humani, et praevidebatur ruina Adami et omnium qui in Adamo peccarunt, et ordinabatur remedium per humanitatem sacratissimam *Christi passibilis,* praevidebatur quoque Beatissimam Virginem Mariam esse liberam ct independentem ab Adamo in ordine supernatural! gratiae omniumque gratiae donorum, ita quod Beatissima Virgo, utpote ab initio simul cum Christo praedestinata ut esset ipsius Christi Mater, ex solo Christo penderet, et soli Christo subiecta esset, et de Christi plenitudine acciperet, gratiam pro gratia, antccedenter ad ipsum Adamum et ad peccati Adami, in quo peccaverunt omnes, praevisionem. Ex quibus omnibus theologus, Scoti discipulus et operis *Mistica Ciudad de Dios* commentator, ita infert, deducit et concludit :

i° Deus praeservavit Beatissimam Virginem, utpote electam ad divinam Maternitatem, non modo a peccato originali tantum, verum etiam ab ipso debito originale peccatum contrahendi.

2° Medium huiusmodi praeservationis in hoc stat, nimirum, quod Adamus non fuit constitutus *caput morale* Beatissimae Virginis ; quapropter Beatissima Virgo non pendebat ab Adamo, in quo omnes alii peccaverunt, neque quoad transmissionem iustitiae originalis, si Adam in primo statu remansisset ; nec quoad amissionem originalis iustitiae, si Adam peccasset, ut de facto peccavit.

3° In negotio enim tanti momenti minime oportebat quod Adam fuisset constitutus Beatissimae Virginis morale caput, nec quod B. Virgo fuerit subiecta Adamo ; e contra, Adamus pendebat a Beatissima Virgine, ipsique erat sublectus quoad gratiam accipiendam etiam in stat u originalis iustitiae.

l Vide Montefortino, *Duns Scoti Sum. Theol.,* I. q. 23, a. 1.— III. q. i. a. 3.

40 Omnes qui in Adamo continebantur sicut in primo parente et ab illo descendunt per seminalem propagationem, omnes prorsus sine exceptione indigent redimi a Christo et quoad debitum culpae et quoad culpam actu contractam ; at hocce tamen redemptionis genere minime opus est Mariae, quae nec in Adamo peccavit nec in Adamo sicut in *morali capite* continebatur.

50 Beatissima Virgo in ordine supernatural! gratiae et gloriae, utpote electa ab aeterno ante praevisionem peccati Adami, pendebat a solo Christo ; et soli Christo, cuius fuit electa Mater, subiiciebatur ; et per Christi equidem praevisa merita fuit ab omni culpae labe praeservata ; at per Christi tamen merita independenter a sacrificio Calvarii, independenter a sanguine Crucis Christi, et ante passionem et mortem Christi praevisam.

En terminus viae, cuius initium est electio Beatissimae Virginis Mariae ad hoc quod esset Mater Filii Dei, qui, etiam si homo non peccasset, in visceribus B. Virginis de Spiritu Sancto incarnatus esset et Homo factus fuisset. Theologi, per istam viam euntes et ambulantes, necessario perveniunt et pervenire debent in suo processu logico ad stabiliendam firmiter ac indubitanter *Immaculatam Conceptionem* Matris Messiae, Matris Verbi Incarnati ; et in vanum videntur laborare et sudare, dum conantur praesertim hodie, et similiter dum heri quidam eorum conabantur, ut terminus talis viae sit *Christus patiens* et *moriens,* Christus passibilis et factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis. Posito quolibet, sequitur quodlibet. Praesupposito divino decreto Incarnationis Verbi ante praevisum Adami peccatum, praesupponenda quoque venit et necessario affirmanda *Immaculata Conceptio* Beatissimae Virginis Mariae, quae est Verbi Incarnati Mater, per merita quidem Christi impassibilis, *ante mortem Filii praevisam*1.

l V. Maria de Iesus de Agreda, *Mistica Cmdad dc Dtos,* Barcelona, 1S60. *a)* « En cl sexto instante., se determinô el ôrden de la creaciôn de todo el linaje humano, que comenzasc de uno solo y de una mujer, y de cllos se propagasc hasta la Vîrgen y su Hijo

por el ôrdcn que fué conccbido. Ordenôse por los merccimientos de Cristo, nuestro bien, la gracia y doues que sc les habia de dar y la *justicia original,* si queria pcrscverar en ella ; viôse la *caida* de Adan y de todos en él, fuera de *La Reina* que no entrô en el décréta; ordenôse cl remedio, y que fucse *pasible* la Humanidad santissima... » (T. I. part. I. lib. I. cap. 4.) « El Senor concurriô con la potencia estéril (de St. Ana) con otro modo màs milagroso para que administrase materia natural de que sc formase cl *cuerpo de la Virgin. I* asi la potencia y la materia fueron *naturales ;* pero el *modo* de moverse fué por *milagroso concurso* de la virtud divina... Qucdô sola la *materia,* desnuda de imperfeccion, siendo la acciôn meritoria. I asi por esta parte pudo muy bien *no resullar elpecado en esta Concepcion,* teniéndolo por otra la Divina Providencia asi determinado » (t. II. part. I. lib. I. cap. 15.).

b) P. Fr. José Gimenez Samaniego, O. M. *Notas y Connutarios.* « Por dondc sc vé que, segun la Venerable Madré, cl *medio* por donde Dios determinô que Marîa *no conirajese el pecado original,* fué el *no entraria* en *el decreto* con que constituyô â Adan *cabeza moral* de su posteridad : de dondc sc siguiô *no pecar en él.* Esta exencion de Marîa, con que obtuvo que Adan no fuese su *moral cabeza* en ôrden â la transfusion de la justicia y gracia, ô de su pérdida, como lo fué de los demas dcscendientes suyos por seminal propagation, dice la misma Ve Madré en el n° 55 esté, signifteada en aquello Prov. 8, 21 : *Dominus possedit me in initio viarum suarum...* Por este medio preservô Dios â su Madré, non solo del *pecado original,* sino del *débile* de contraerlo. 0 ...« No se compadece, â lo menos côngruamente, que el *vasallo* como lo fué Adan del Hijo y de la Madrc, fuese constituido *cabeza moral* de su *Reina, Madré de su Rey y Dios,* en cosa de tanta importancia como la transfusion de la gracia ó de la culpa. »...« Pudo Dios, no obstante cl tener decrctado dar â Marîa la gracia justificante y inocencia en el primer instante de su sér natural, entraria en *este paclo ;* pues veia que, aunque caycse Adan, y en él pecase Marîa, ténia medio para dcspucs de csa caida prcscrvarla de la contracciôn del pecado en el instante de su animacion, y asi tener cfecto aquel primer decreto. Pero aunque esto era posible, y habia algun modo de débito de congruencia de haccrlo asi, pues entraba en este pacto â todos los dcscendientes de Adan por seminal propagacion, y estaba decrctado que Marîa fuese descendientc de Adan por cse modo; pudicron mâs los mérites previstos de Cristo, para que no pusiese â su Madré *dependiente* de la voluntad de Adan en punto de tanta importancia como *pecar* en él ; y asi *por esos* mêritos *de Cristo,* independientes de su pasibilidad, *su Madré non entrô en est decreto* 6 *pacto.* Aqui se vé un modo especial de redcnciôn preservativa que obrô Cristo con su Madré, distinto del otro comun à los *buenos angeles* de mercccrles la gracia con que fueron preservados de la *caida* del pecado actual, y la necesidad que tuvo Marîa de esta

especial redcnciôn. » (Vide *Nota* ***XXIII*** â la i* Parte, t Π, p. 369 et p. 381, ct alibi.)

Atque ita pariter, per hanc eandem viam *independentiae* ab Adamo in ordine originalis iustitiae in posteros transferendae, traditur simul ac celebratur adhuc *praeservalio* Beatissimae Virginis ab omni originalis culpae labe, passim ubique, non modo in libris et opusculis, verum etiam in libellis seu *foliis periodicis* *, his sc. verbis « Tout étant ordonné ici-bas en vue de l'incarnation, la Vierge Immaculée a, dans la pensée de Dieu, logiquement précédé toute autre créature. Et l'on peut dire qu'elle présidait vraiment avec Dieu ou plutôt en Lui, — avec son divin Fils — à la création du monde lui-même. Ne comprend-on pas mieux à la considérer ainsi, conçue la première avec Jésus dans la Pensée divine, comment elle ne pouvait qu'être conçue sans tache, toute pure, toute sainte, quand l'heure viendrait pour elle d'apparaître en ce monde. *Dans le plan divin, elle n'est point fille d'Adam et d'Eve,* elle les précède. *Comment donc le péché de ceux-ci aurait-il pu l'atteindre ?* » Eritne facile huiusmodi *Immaculatam Conceptionem* concordare cum illa alia *Immaculata Conceptione* ex morte Filii Dei praevisa ?

* *La Liberté,* Jeudi, 7 décembre 1916. (Fribourg-Suisse.)

CAPUT UNDECIMUM

Via Divi Thomae est via SS. Augustini, Bernardi, Anselmi, B. Alberti et S. Bonaventurae.

I

Via Divi Thomae.

Initium huius viae. — Ita exponitur ab ipso Angelico Doctore, III. q. i. a. 3. : « Respondeo : Dicendum, quod aliqui circa hoc diversimode opinantur. Quidam enim dicunt quod, etiamsi homo non peccasset, Dei Filius incarnatus fuisset. Alii vero contrarium asserunt : quorum assertioni magis assentiendum videtur. Ea enim, quae ex sola Dei voluntate proveniunt supra omne debitum creaturae, nobis innotescere non possunt nisi quatenus in Sacra Scriptura traduntur, per quam divina voluntas nobis innotescit. Unde cum in Sacra Scriptura ubique Incarnationis ratio ex peccato primi hominis assignetur, convenientius dicitur Incarnationis opus ordinatum esse a Deo in remedium contra peccatum ; ita quod, peccato non existente, Incarnatio non fuisset. Quamvis potentia Dei ad hoc non limitetur ; potuisset enim, etiam peccato non existente, Deus incarnari. » Quam quidem sententiam iam tradiderat ***III***. *Sent.* dist. 1. q. 1. a. 3., eo quod « in canone Scripturae et dictis Sanctorum expositorum, haec sola assignatur causa Incarnationis, *redemptio* sc. hominis a servitute peccati ». Et *I. Tim.* cap. 1. lect. 4. : « Nescimus, quid ordinasset Deus, si non praescivisset peccatum. Nihilominus tamen auctoritates videntur expresse sonare, quod non fuerit incarnatus, si non peccasset homo ; in quam partem ego magis declino. »

Medium huius viae. — Exinde consequitur quod, si decretum Incarnationis praesupponat lapsum Adami et ruinam totius humani generis, praedestinatio Beatissimae Virginis ad divinam Maternitatem facta fuit post peccatum Adami praevisum ; ideoque Beatissima Virgo Adamo fuit subiecta, sicut ceteri omnes qui ex Adamo per seminalem propagationem derivantur ; et sicut in ordine naturae, ita quoque in ordine supernatural! gratiae, ab Adamo tamquam a primo capite pendebat et quoad iustitiam originalem accipiendam, et quoad originale peccatum, quod in privatione originalis iustitiae formaliter consistit, per naturalem generationem parentum transmittendum, atque ex hac transmissione incurrendum per originem qua communicatur humana natura ; nam peccatum originale proprie respicit naturam, et ratione naturae personam ipsam in humana natura subsistentem. Quapropter D. Thomas : « Peccatum originale dicitur *peccatum totius naturae,* sicut peccatum actuale dicitur *peccatum personale*. Unde, quae est comparatio peccati actualis ad unam personam singularem, eadem est comparatio peccati originalis ad *totam naturam humanam* traditam a primo parente, in quo fuit peccati initium, et per cuius voluntatem in omnibus originale peccatum *quasi voluntarium* reputatur. Sic ergo originale peccatum est in *anima* in quantum pertinet ad humanam naturam. Humana autem natura traducitur a parente in filium per traductionem carnis, cui postmodum anima infunditur ; et ex hoc infectionem incurrit, quod fit cum came traducta *una natura*. Si enim *anima* non uniretur carni ad constituendum unam naturam, sed uniretur sicut angelus unitur corpori assumpto, *infectionem* non reciperet. Sicut in *natura* Adae erat *natura* omnium nostrum originaliter, ita et *peccatum originale,* quod in nobis est, erat in *illo peccato originali* originaliter. Nam peccatum originale, ut dictum est, per se recipit *natura, anima* vero ex consequenti [1] »

[1] *De Pol.,* q. 3. a. 9. ad 3. et ad 4.

Quomodo in medio viae possit impediri transmissio peccati originalis, quod quidem de facto, in actu, non incurritur nisi quando proles concepta animatur. — Si enim anima humana, quae a Deo creatur ex nihilo atque ex parte Dei ipsam creantis nullo modo inquinatur, tunc *inlectionem* recipit cum corpori substantialiter unitur, simulque *ex hoc infectionem* incurrit, quod fit cum carne traducta *una natura:* transmissio peccati originalis, abs dubio, impediri valebit antequam proles concepta animetur anima rationali ; et hoc ex duplici capite, nimirum : i° vel ex hoc quod *caro,* quaeed causa instrumentalis in transmissione culpae et maculae ad culpam subscquentis, *sanctificata fuerit ante animationem;* 2° vel ex hoc quod ipsa anima rationalis, quae dum creatur infunditur, et dum infunditur creatur, accipit ab ipso Deo creatore gratiam sanctificantem in ipsomet instanti creationis et infusionis ; ita quod *prius, prioritate ordinis et naturae,* intelligatur *anima sanctificata* quam carni traductae, cum qua fit una natura, *unita.* Et hoc est quod exprimitur ac significatur, cum quaeritur ac dicitur : *Utrum Beatissima Virgo fuerit sanctificata ante animationem, ante unionem corporis et animae, ante constitutionem personae quae ex unione substantiali animae et corporis -resultat constituta atque stans sub suo proprio esse.*

Ex primo quidem capite, tripliciter adhuc contingere potest hoc, quod transmissio peccati originalis impediatur *a)* Uno modo, ex dictis supra capite antecedenti, quemadmodum Galatinus narrat et describit, videlicet quod « cum Deus plasmaret Adamum, fecit quasi *massam* ex cuius parte nobiliori accepit intemeratae Matris Messiae *materiam,* quae postea emanavit ad Seth ; deinde ad Enos ; deinde, succedaneo ordine, ad reliquos, usque ad S. loachim ; et ex hac demum virtute Beatissima Mater Messiae formata fuit. Ex qua quidem opinione concluditur, *carnem* gloriosae Matris Messiae non fuisse peccato originali infectam, sed purissimam a Divina Providentia praeservatam [1] ». *b)* Alio

[1] *De Arcanis catholicae ventatis,* lib. VII. cap. 3. Istum modum explicandi *Immaculatam Conceptionem* adhuc propugnabat, sicuti

autem modo sic exponitur a I). I homa, ***III.*** *Seul.* dist. 3* q. i. a. i. : « Videtur, quod B. Virgo sanctificata fuerit antequam *conceptio carnis* cius finiretur. Sicut enim dicit Apostolus, Rom. **ii**, 16. : *Si radix sancta, et rami.* Sed parentes comparantur ad prolem conceptam, sicut radix ad ramo^. Ergo sanctificatis parentibus Virginis, sanctificatio ad ipsam pervenisset. Sed, si in parentibus sanctificata e—et, *sanctificatio conceptionem cius praecessisset.* Cum ergo credendum sit ei collatum esse quidquid conierri potuit, videtur quod ante conceptionem sanctificata sit. » c) Tertius denique modus tangitur a D. Thoma, ***III.*** *Sent.* dist. 3. q. 1. a. 1. et etiam *Summa Theol.* III. q. 27. a. 2. ; atque in hcc videlicet consistit, quod, etsi sanctificatio Virginis Conceptionem eius activam non praecesserit, tamen fuerit sanctificata in ipsa Conceptione passive sumpta multo amplius ante animationem ; vel saltem antequam animaretur caro eius, sanctificaretur. Et hoc est quod significatur, cum dicitur Beatam Virginem fuisse sanetificatam vel in suis parentibus vel in sua conceptione vel in carne ante animationem.

Ex secundo vero capite, ex parte videlicet ipsius animae, eatenus impeditur transmissio peccati originalis, quatenus anima creata in gratia sanctificante, prius quam carni traductae uniatur et cum illa fiat *una natura,* in ipso instanti infusionis, per gratiam tunc iam sibi infusam, conservatur ne culpam originalem incurrat. Nam, ut D. Thomas docet, *III. Sent.* dist. 3. q. 1. a. 1. : « Gratia sanctificans non omnino directe opponitur peccato originali, sed solum prout peccatum originale *personam inficit;* est enim gratia *perfectio •personalis;* peccatum vero originale directe est *vitium naturae;* et ideo non oportet, quod gratia sanctificans a parentibus traducatur, si peccatum originale traducatur ; sicut et

iam supra manet adnotatum, Antonius Rosmini, in propositione 34. inter excerptas ex operibus Rosmini, ac damnatas a Leone XIII. per decretum Supr. Congreg. Inquisit. 14. Decemb 1887 : Ad praeservandam B. V. Mariam a labe originis, satis erat ut incorruptum maneret semen in homine, neglectum forte ab ipso daemone e quo incorrupto semine, de generatione in generationem transfuso, suo tempore oriretur Virgo Maria. »

originalis iustitia, cui directe opponitur, traducta fuisset. « Unde etiam per hunc modum Beatissima Virgo sanctificata fuisset, antequam animaretur caro eius.

Finis seu terminus viae. — In via D. Thomae reficiuntur omnino omnes suprapositi modi impediendi transmissionem peccati originalis, ex quibus necessario sequitur prima sanctificatio Beatissimae Virginis ante animationem ; ac perinde ante constitutionem personae, quae est compositum substantiale ex anima humana et ex corpore per rationalem animam informato. In via D. Thomae reficitur sanctificatio Beatissimae Virginis per quemcumque ex modis enumeratis, non quidem absolute, propter impossibilitatem ; Deus enim facere potuit ; sed propter hoc quod tolleretur in Beata Virgine necessitas redemptionis, *ratione personae,* inde Angelicus Doctor, III. q. 27. a. 2. : « Ea quae fuerunt in Veteri Testamento, sunt figura Novi, secundum illud I. Cor. 10,12. *Omnia in figura contingebant illis.* Sed per sanctificationem Tabernaculi, de qua dicitur Ps. 45, 5. : *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus,* videtur significari sanctificatio Matris Dei, quae tabernaculum dicitur, secundum illud Ps. 18, 6. : *In sole posuit tabernaculum suum.* De tabernaculo autem dicitur Exod. 13. : *Postquam cuncta perjccla sunt, operuit nubes tabernaculum testimonii, et gloria Domini implevit illud.* Ergo etiam Beata Virgo non fuit sanctificata nisi postquam cuncta eius perfecta sunt, sc. et corpus et anima. » Ergo post constitutionem personae Beatissimae Virginis.

II

Via Sanctorum Augustini, Anselmi, Bernardi, Alberti Magni et Bonaventurae.

S. Augustinus docet B. Virginis corpus esse conceptum in peccato originali, verumtamen ei fuisse collatam gratiam ad vincendum ex omni parte peccatum. — *a) De Genes, ad litteram,* lib. X, cap. 18., Augustinus, assignans differentiam inter conceptionem Christi et conceptionem Beatissimae Virginis,

scribit : « Quid incoinquinatius illo utero Virginis, cuius *caro,* etiamsi de peccati propagatione venit, non tamen de peccati propagine concepit, ut ne ipsum corpus Christi ea lex severit in utero Mariae, quae in membris posita corporis mortis, repugnat legi mentis?... Proinde *corpus* Christi, quamvis ex carne feminae assumptum est, quae de illa carnis propagine concepta fuerat ; non tamen, quia non sic in ea conceptum est, quomodo fuerat illa concepta, nec ipsa erat *caro peccati,* sed similitudo carnis peccati. » *b)* Lib. *De natura et gratia,* cap. 36. : « De Sancta Virgine Maria, propter honorem Christi, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quaestionem ; inde enim scimus, quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum ex omni parte peccatum, quod concipere ac parere meruit Eum, quem constat nullum habuisse peccatum. »

S. Anselmus docet Beatam Virginem in Ada 0 peccasse, et tamen puriorem ipsis angelis esse. — *a)* In opere *Cur Deus homo,* lib. II. cap. 16. : « Nam licet ipsa hominis eiusdem (Christi) conceptio sit munda, Virgo tamen ipsa, unde assumptus est, est in iniquitatibus concepta, et in peccatis concepit eam mater eius, et cum originali peccato nata est ; quoniam et ipsa in Adam peccavit, in quo omnes peccaverunt. » *b) De conceptu virginali,* cap. 18. : « Decebat, ut illius hominis (Christi) conceptio de matre purissima fieret. Nempe decens erat, ut ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret. » Unde sub Deo nulla maior intelligi valet puritas puritate illa qua Beatissima Mater Dei refulget et splendet. Sub Christo, qui salvari non indiguit, maxima fuit Beatissimae Virginis puritas, tametsi redemptione per Christum indiguit. Et hoc est, quod ait D. Thomas, dum explicat verba Anselmi, *III. Seni.* dist. 3. Q. i. a. 1. solut. 2. ad 3. : « Dicendum, quod *haec puritas* soli homini Deo debebatur, ut ipse quasi unicus Redemptor humani generis nulla peccati servitute teneretur, cui competebat omnes a peccato redimere ; unde non hanc puritatem, sed sub hac *maximam* Virgo Mater eius habere debuit. »

Sanctus Bernardus docet conceptionem Virginis ante animationem non esse celebrandam, et tamen Beatissimam Virginem esse Immaculatam, et illam eandem esse Mulierem quae serpentis caput contrivit. — *a)* In Epistola[1] ad Canonicos Lugdunenses, *De conceptu S. Mariae,* scribit ita ex professo circa hanc quaestionem : « Miramur satis, quid visum fuerit hoc tempore quibusdam vestrum voluisse mutare colorem optimum, *novam* inducendo *celebritatem,* quam ritus Ecclesiae nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio. Numquid Patribus doctiores sumus?... Virgo regia falso non eget honorum tituli-, infulis dignitatum. Honora sane integritatem carnis, vitae sanctitatem ; mirare foecunditatem in Virgine, Prolem venerare divinam... Praedica reverendam angelis; desideratam gentibus ; Patriarchis Prophetisque praecognitam ; electam ex omnibus ; praeclaram omnibus. Magnifica gratiae Inventricem, Mediatricem salutis, Restauratricem saeculorum ; exalta denique Exaltatam super choros angelorum ad coelestia regna... Unde ergo *conceptionis* sanctitas? An forte inter amplexus maritales sanctitas se *ipsi conceptioni* immiscuit?... Quomodo namque erit sanctitas absque Spiritu sanctificante? Nisi forte quis dicat *de Spiritu Sancto eam,* et non de viro, *conceptam fuisse ;* sed id hactenus inauditum... Consulenda erat prius Apostolicae Sedis auctoritas, et non ita praecipitanter atque inconsulte *paucorum* sequenda *simplicitas imperitorum.* Et ante quidem apud aliquos *errorem* compereram ; sed dissimulabam, parcens devotioni, quae de simplici corde et amore Virginis veniebat... Romanae Ecclesiae auctoritati atque examini... totum hoc, sicut et cetera quae huiusmodi sunt, universa reservo, ipsius, si quid aliter sapio, paratus iudicio emendare. »

b) Homil. 2. super *Missus est:* « Factor hominum, ut homo fieret nasciturus de homine, talem sibi ex omnibus debuit deligere, imo condere, *Matrem,* qualem et se decere sciebat, et sibi noverat placituram. Voluit itaque esse Virgi-

[1] Epist. 174. ed. Mione

nem de qua *Immaculata Immaculatus* procederet, omnium *maculas* purgaturus... Scrutare Scripturas, et proba quod dico... *Inimicitias ponam inter te et Mulierem* (Genes. 3, 25.). Et si adhuc dubitas quod de Maria non dixerit, audi quod sequitur : *Ipsa conteret caput tuum*. Cui *haec* servata *victoria* est, nisi Mariae ? »

Sanctus Bernardus, dum tradit conceptionem Virginis non esse celebrandam, nihil aliud docuit nisi quod Beatissima Virgo non fuit sanctificata in parentibus, neque etiam in ipso actu conceptionis eius, neque etiam in carne eius ante animationem. — Ita intellexerunt S. Bernardum SS. Thomas et Albertus et Bonaventura statim citandi. D. Thomas enim, *III. Sent.* dist. 3. q. 1. a. 1. solut. 1. : « Ad primam ergo quaestionem dicendum, quod nullo modo B. Virgo *in parentibus* sanctificari potuit, neque etiam in *ipso actu* conceptionis eius. Conditio enim spiritualis a parentibus in prolem non transit, nisi sit ad naturam pertinens ; ut *grammatica* patris in filium non transit, quia perfectio personalis est. Unde et *sanctificatio* parentum in Beatam Virginem transfundi non potuit, nisi curatum esset in eis non solum id quod personae est, sed etiam id quod est naturae in quantum huiusmodi : quod quidem Deus facere potuit, sed non decuit. Perfecta enim naturae curatio ad perfectionem gloriae pertinet ; et ideo sic in statu viae parentes cius curati non fuerunt, ut prolem suam sine originali peccato conciperent ; et ideo Beata Virgo in peccato originali fuit concepta. Propter quod Bernardus, *Epist. ad Lugduncns.* scribit conceptionem illius celebrandam non esse ; quamvis in quibusdam ecclesiis ex devotione celebretur, non considerando *conceptionem,* sed potius *sanctificationem:* quae quando determinate fuerit, incertum est. » Hactenus D. Thomas. Ubi profecto sunt accurate et diligenter notanda : i° Quod, absolute loquendo, Deus *potuit* facere quod *sanctificatio* parentum in Beatam Virginem transfunderetur, quemadmodum fuisset transfundenda in filios Adami iustitia originalis. 20 Quod ad hoc opus foret curatum iri in parentibus non solum id quod ad personam pertinet, verum id quoque quod pertinet ad

naturam, reduplicative ut natura : cuius quidem perfecta curatio ad perfectionem gloriae spectat. 30 Quod certe Deus *potuit* facere ; at id fieri *non decuit ;* quia, ut mox infra declarabitur, Beata Virgo iam non indigeret redemptione quae est per Christum. 40 Quod ideo *Beata Virgo* in *peccato originali dicitur juisse concepta* quia in statu viae parentes eius curati non fuerunt, ut *prolem suam sine originali peccato concipe-rent.* Hoc diligentissime notandum. Agitur namque de conceptione activa, de conceptione ex parte parentum, et de conceptione carnis seu corporis, de conceptione Virginis ante animationem. 50 Quod in *conceptione* Virginis, quae in quibusdam ecclesiis ex Romanae Ecclesiae tolerantia celebrabatur, non considerabatur *conceptio,* sed *sanctificatio* conceptae prolis ; quae quidem sanctificatio quando determinate fuerit, tunc temporis erat incertum. 6° Quod non modo aliqui simplices fideles, verum etiam aliqui theologi existimabant celebrandam esse conceptionem Ahrginis ante infusionem animae ; et hoc est quod reprehendebat Bernardus, et damnabant theologi Parisienses : ut B. Albertus Magnus testatur.

Beatus Albertus Magnus, tenens doctrinam S. Bernardi, docet Beatissimam Virginem non fuisse sanctificatam in parentibus nec in carne ante animationem. — *III. Sent.* dist. 3. a. 3. : « Dicimus, quod tribus de causis B. Virgo et quilibet alius non potest sanctificari in parentibus, *a)* Quarum una est, quod gratia sanctificationis non habet ortum a parentibus ; et ideo in eis transfundi non potest. Sed peccatum habet ortum ; et ideo transfunditur propagatione naturae, *b)* Secunda causa est : Ut dicit Augustinus, ex libidine in propagatione tamquam filia peccati innascitur *causa peccati in carne;* et hoc idem dicit Augustinus. Libido autem haec non est separabilis a concupiscentia mixtionis seminum ; et ideo innascitur peccatum ; et ideo Virgo Beata per hanc legem concupiscentiae fuit in lumbis Patrum, quia futura erat venire in uterum matris suae, non habuit in illis possibilitatem ad gratiam, c) Tertia causa est : Quia caro non est particeps gratiae gratum facientis nisi per animam

distinctam ; et ideo in lumbis Patrum nemo fuit secundum animam susceptibilis gratiae. »

Ibidem, a. 4. : « Dicimus, quod Beata Virgo non fuit sanctificata ante animationem ; et qui dicunt oppositum, est *haeresis condemnata* a Beato Bernardo in Epistola ad Lugdunenses, et a Magistris omnibus Parisiensibus L »

l Editores operum S. Bonavcnturac in *III. Sent.* dist. 3. part. I. a. 1. q. i. in *Scholion* scribunt : *a)* « Concedendum est, ea aetate ipsos SS. Doctores, Bemardum, Thomam, Bonaventuram, aliosque ignorasse praedictum privilegium (Dogmatica definitio a. 1854 a Papa Pio IX. promulgata) nunc definitum, *esse revelatum,* sc. implicite in deposito fidei traditum ; imo, eosdem usque ad Scotum ne *statum quidem quaestionis* praecise cognovisse. » — Dicendum : utique. Albertus et Bonaventura et Thomas *ignorabant* esse revelatum tale privilegium, ut ipsimet fatentur. Verum Scotus etiam hoc *ignorabat,* ut ipse fatetur. Nec Scotus *statum quidem quaestionis* praecise cognovit, nam non bene statuit, nec punctum quaestionis resolvit : ut ex dictis supra cap. 9. patet.

b) « Unde S. Bonaventurae (q. 2.) opinio opposita visa est *communior, rationabilior ct securior.* Nec defuerunt qui cum Alberto Magno (hic a. 4.) assererent, camdem esse tenendam tamquam de fide certam. » i° Opinio S. Bonavcnturac, quae videtur esse eadem ac opinio Bernardi, Alberti ct Thomae, est quod *B. Virgo sanctificata fuit* post animationem vel *tempore, vel natura.* Et hoc revera erat communius et rationabilius et securius, ita quod ultimum extremum, propositionis disiunctivae fuit definitum. 20 Quod autem Albertus Magnus et Bernardus ct Magistri Parisicnses asserunt esse haereticum, est dicere quod *B. Virgo sanctificata fuit* ante animationem : quod iuxta principia Scoti venit asserendum, et multi Scotistae aperte asserunt. 30 Definitio dogmatica a Pio IX. promulgata non asserit B. Virginem esse sanctificatam ante animationem, sed esse praeservatam a macula originalis peccati ; ct hacc duo sunt valde distincta, non unum et idem. 40 Oportet, quod *ista adeo indiscrete repetita cantilena, qua* multi theologi scienter vel inconscientcr Albertum Magnum calumniantur, cesset aliquando ct finem accipiat in libris manualibus et non manualibus theologiae. Quisnam fuit primus qui hoc affirmavit ? —Iam Suarez in *III. Pari. Sum Thcol.* q. 27. a. 2. scribit, sequens talem *trutinam,* hoc modo : l Albertus Magnus videtur *erroris damnare* contrariam sententiam. » Quasi Albertus Magnus damnasset vcluti erroneum aut haereticum dogma iam definitum ! Quod quidem sine ulla comprobatione repetitur usque ad hodiernum diem : ‹ Albert le Grand déclara que l'immaculée Conception était une

Rationes vero ad probandum quod Beata Virgo non iuit sanctificata ante animationem, ita se habent : i° Quia sanctificatio de qua loquimur, debet esse formaliter per gratiam sanctificantem ; caro autem non est susceptibilis huiusmodi gratiae. 2° Quia effectus gratiae per animam debet transire in corpus, et non per corpus in animam. Unde per animam debet reduci corpus ad statum gratiae. Ideo Spiritus Sanctus

hérésie condamnée par le bienheureux Bernard... » Turmel, *Histoire de la Théologie -positive, 2,* 3. — Vide supra in *Introductione.*

c) « B. Mariam contraxisse *actualiter* peccatum originale, sed sanctificatam esse in utero *post infusionem animae* (sive in *secundo instanti temporis,* ut vult Ægidius Romanus et Henric. Gandavensis, sive saltem post breve tempus), hoc quasi *uno ore* cum S. Bernardo, Thoma, Bonaventura, docent Alexander Alcnsis, B. Albertus Magnus, Petrus a Tarantasia, Richardus a Media-Villa, Ægidius Romanus, Hcnricus Gandavensis, Durandus, aliique multi, et ante Scotum communiter. Quod autem etiam D. Thomas, saltem in locis, ubi ex professo hanc quaestionem tractat (hic ***III.*** *Sent.* q. 1. a. 1. ; *Sumiv-a* ***III.*** q. 27. a. i. ct 2. ; *Quodl.* 6. q. 5. a. 7. ; *Compend. Theol. cap. 224}* a sententia tunc communi non recesserit, ipsa eius verba, praesertim si conferuntur cum verbis coævoruin, satis manifestant. » i° Sententia tunc communis, tempore D. Thomae, praesertim si ipsa cius verba conferantur cum verbis S. Bonaventurae, amico et coaevo D. Thomae, est quod : *Beata Virgo fuit sanctificata -post animationem, vel tempore, vel natura;* ac proinde, relicto arbitrarie uno extremo disiunctivae, contra omnes regulas Logicae concluditur ad alterum extremum. 20 Utique. D. Thomas, Albertus ct Bonaventura dixerunt B Virginem sanctificatam fuisse in utero *post infusionem animae;* sed nunquam dixerunt eam sanctificatam fuisse in *secundo instanti* temporis. 30 Utique, Ægidius Romanus, Petrus de Tarantasia, et alii plures, dixerunt B. Virginem sanctificatam fuisse post aliquam morulam temporis ; sed Albertus, Bonaventura et Thomas nunquam hoc dixerunt. 40 Utique, dixerunt inulti B. V. Mariam contraxisse *actualiter* peccatum originale ; sed Albertus, Bonaventura ct Thomas, tametsi dixerint eam contraxisse peccatum originale, nunquam tamen dixerunt eam contraxisse peccatum originale *actualiter.* — Ad rem P. Hurter, S. I. : « Quare, ut omnia paucis complectamur, docet quidem D. Thomas Beatam \ irginem conceptam fuisse cum *debito* contrahendi peccatum originis; *demonstrari vero nequit* ‹ um affirmasse cius animam *actu* contraxisse peccatum originale *proprie* dictum, cum corpori confingeretur · *(Theol. dogm* t. II. *Mariologia,* thes. 157, n. 470, cd 1878)

primo venil in animam, et per ipsam sanctificat corpus. Inde huc est falsum, quod Spiritus Sanctus *praecederet animam* in corpus per inhabitantem gratiam gratum facientem.

Quod quidem magis declaratur ex solutione triplicis rationis ad ostendendum quod B. Virgo fuit sanctificata ante animationem. « Et hoc nituntur (theologi ex adverso) probare sic : 1° Beata Virgo significatur per *arcani;* et anima eius, per *urnam auream; et* gratia eius, per *manna.* Ergo, cum arca circumtecta fuit ex omni parte auro, antequam urna poneretur in ea, caro fuit praeventa munditia Spiritus, antequam anima venisset ad ipsam. » Solutio : « Dicendum, quod illa expositio allegorica est ; et non est simile ; quia quod erat in arca materialiter dicebatur, et aliter ordinabatur hoc in natura ; et gratia non ita se habuit, quia gratia corporis non erat nisi ab anima. Et est simile, si *aurum* urnae esset anima, et *aurum* arcae procederet ab urna ; sed hoc ars facere non potuit, et ideo operibus divisit. »

2° « Praeterea : Ut habitum est, maior est puritas eius (Virginis) quae potest esse sub Deo ; sed haec est, ut *in causa* habeat, et non *in reatu;* cum Filius, verus homo et Deus, non habeat nec *in causa* nec *in reatu.* » Solutio : « Dicendum, quod illa puritas secundum animam est accipienda ; quia corpus poterat bene Christus sumere sine poenalitate, et tamen non fecit ; unde poenalitas carnis impuritas non est : unde *purum* et *impurum* ad animam referuntur ; et *illam habuit maiorem quae potuit esse sub Filio,* ut prius dictum est. »

3° « Praeterea : Quae esset causa, quod Deus de illa *sanctificatione* exspectaret, donec *corpus* inficeret *animam,* cum *ante ipsam* praestare posset? Constat, quod nulla. Cum igitur quidquid concedi potest, concessit Matri, videtur quod hoc concessit. » Solutio : « Dicendum, quod multae sunt causae, quod Deus voluit eam *prius animari.* Quarum una est, quod aliter *gratiae susceptibilis non fuisset.* Secunda est, quia aliter *liberatione quantum ad animam non indiguisset,* et minores gratias egisset. Tertia causa fuit firmitas sententiae Genes. 2, 17. : *Morte morieris.* Quod de utraque morte in propagatione intelligitur. »

Ex quibus omnibus patet quod, absolute loquendo, Deus potuit sanctificare Beatissimam Virginem : 1° in parentibus; 2° in carne ante animationem seu infusionem animae; 3° in ipso instanti infusionis animae, ita quod *prius* prioritate naturae intelligatur anima per gratiam sanctificata quam corpori unita. Atque exinde Virginem fuisse sanctificatam ante animationem importat unum ex his duobus: *a)* Vel quod Spiritus Sanctus praevenit animam Beatissimae Virginis in introitu corporis, et corpus ipsum emundavit, ut animam originali reatu inficere non *posset, b)* Vel quod Spiritus Sanctus sanctificaret ipsam animam per inhabitantem gratiam gratum facientem, ita quod corpus, etsi non mundatum, *iam non posset* sua unione animam inficere. Et hoc est, quod dicitur B. Virginem sanctificari ante constitutionem personae ; et ideo persona B. Virginis non indiguisset redemptione.

Sanctus Bonaventura docet Virginem : 1° non fuisse sanctificatam ante animationem ; 2° nec in ipso instanti animationis, ita ut prius prioritate naturae sanctificata fuerit anima B. Virginis quam carni unita ; 3° sed post animationem, vel tempore vel saltem natura.

III. *Seni.* dist. 3. p. 1. a. 1. q. 2. : 1° Non fuisse sanctificatam ante animationem. — Ratio 1. « Bernardus, *Ad Lugdunenses: Ante conceptionem sanctificari* (B. Virginem) *minime poterat, quia non erat; sed nec in ipso conceptu, propter peccatum quod inerat.* Sed constat, quod illud non est dictum propter *peccatum* quod esset in parentibus, quia potuissent eam concipere sine peccato. Ergo dicit propter *causam peccati,* quae erat in carne. Ergo non videtur, quod sanctificatio fuerit ante infusionem animae. »

Ratio 2. « Caro Beatae Virginis ante animationem non fuit *sanctificata ;* non quia Deus *non potuerit* carnem Virginis *purificare* ante quam *animare;* sed quia *sanctificatio* habet esse per aliquod donum gratuitum superadditum, quod quidem non habet *esse* in carne, sed in anima. Ideo, si caro Beatae Virginis dicitur *sanctificari,* aut hoc intelligitur

mediante gratia existente in eius *anima,* vel mediante gratia existente in *animabus 'parentum.* Constat, quod non mediante gratia existente in eius anima ; quia tunc esset oppositio in adiecto, videlicet quod caro sanctificetur ante animae creationem, et tamen sanctificetur per virtutem gratiae illius animae; sequitur enim, quod idem sit prius et posterius in uno et eodem. Si autem intelligatur hoc fieri per gratiam quae collata luerit *animabus parentum,* hoc non potest esse, triplici ratione... Et ideo simpliciter concedendum, quod caro eius ante animationem non fuit sanctificata... Si ergo sanctitas non fuit in Virgine ante animae infusionem, non videtur usquequaque securum *conceptionis* illius solemnitatem celebrare. »

2° Nec animam eius fuisse sanctificatam ante unionem cum came. — Haec erat opinio iam tunc temporis aliquorum theologorum, de quibus S. Bonaventura sic loquitur : « Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod quidem dicere voluerunt in anima gloriosae Virginis gratiam sanctificationis praevenisse maculam peccati originalis. Rationem autem huius assignant ; quia decebat animam gloriosae Virginis sanctificari excellentissime super animas aliorum sanctorum, non solum quantum ad *abundantiam* sanctitatis, sed etiam quantum ad *accelerationem* temporis ; ideo in instanti *suae creationis* fuit sibi *gratia infusa;* et in eodem instanti anima *infusa est carni...* Beata enim Virgo Maria significata fuit per *arcam;* anima vero Beatae Virginis significata fuit *per urnam,* in qua positum fuit *manna.* Cum ergo *urna* prius fuerit impleta *manna* quam posita in *arca, prius, saltem per naturam, sanctificata fuit anima Beatae Virginis quam carni unita.* »

3° Sed post animationem, vel tempore vel saltem natura. « Aliorum vero positio est, quod sanctificatio Virginis subsecuta est originalis peccati contractionem ; et hoc, quia nullus immunis fuit a culpa originalis peccati, nisi solus Filius Virginis... Hic autem modus dicendi *communior* est, et *rationabilior,* et *securior.*

Communior, inquam ; quia fere omnes illud tenent, quod Beata Virgo habuit originale ; cum illud appareat ex multiplici ipsius poenalitate, quam non est dicere ipsam passam esse propter *aliorum redemptionem ;* quam etiam non est dicere *per assumptionem* habuisse, sed per *contractionem.*

Rationabilior etiam est ; quia *esse* naturae praecedit *esse* gratiae vel tempore vel natura ; propterea dicit Augustinm quod prius est *nasci* quam *renasci ;* sicut prius est essequam *bene esse. Prius est igitur animam uniri carni, quant gratiam Dei sibi infundi.* Si igitur caro illa infecta fuit, ex sua infectione *nata erat* animam culpa originali inficere. Necessarium est igitur ponere, quod ante fuerit originalis culpae infectio quam sanctificatio.

Securior etiam est ; quia magis consonat *fidei, pietati* et *Sanctorum auctoritati, a)* Magis concordat *Sanctorum auctovitati ;* pro eo, quod communiter Sancti, cum de materia ista loquuntur, solum Christum excipiunt ab illa generalitate, qua dicitur, Rom. 5, 12. : *Omnes peccaverunt in Adam.* Nullus autem invenitur dixisse, de his quos audivimus auribus nostris, Virginem Mariam a peccato originali fuisse immunem. ά) *Pietati etiam fidei* magis concordat ; pro eo quod, etsi Mater habenda sit in reverentia, et magna erga ipsam habenda sit devotio, multo maior tamen est habenda erga Filium, ex quo est ei omnis honor et gloria. Et ideo, quia hoc spectat ad excellentem dignitatem Christi, quod ipse est omnium *Redemptor et Salvator,* et quod *ipse omnibus aperuit ianuam,* et quod *ipse unus pro omnibus mortuus est:* nullatenus ab hac generalitate Beata Virgo Maria excludenda est, ne, dum Matris excellentia ampliatur, Filii gloria minuatur ; et sic Mater provocetur, quae magis vult Filium extolli et honorari quam seipsam, utpote Creatorem quam creaturam.

‘**1

Huic igitur positioni adhaerentes, propter honorem Iesu Christi, qui in nullo praeiudicat honori Matris, dum Filius Matrem incomparabiliter antecedit, teneamus, secundum quod communis opinio tenet, Virginis sanctificationem fuisse post originalis peccati contractionem. »

Corollaria. — Ex doctrina itaque sanctorum Bernardi, Alberti et Bonaventurae, habentur in terminis sequentes propositiones :

1. « Caro Beatissimae Virginis ante animationem non fuit sanctificata. »

2. « Si ergo sanctitas non fuit in Virgine ante animae infusionem, non videtur usquequaque securum *Conceptionis* illius etiam solemnitatem celebrare. »

3. « Potius enim intendit (S. Bernardus) excludere *errorem,* ne quis credat Virginem sanctificatam in *conceptione,* quam erga Virginem devotionem nostram minuere, cui nullus nimis potest esse devotus ; ita tamen, quod nihil credat de ea, quod sit contra veritatem et Sacrae Scripturae et fidei Christianae, quae omnem devotionem nostram, tam erga Deum quam erga Matrem eius, debet praecedere. »

4. « Quidam dicere voluerunt in anima gloriosae Virginis gratiam sanctificationis praevenisse maculam peccati originalis. » Id est : « Prius, saltem per naturam, sanctificata fuit anima Beatae Virginis quam carni unita. »

5. « Sanctificatio Virginis subsecuta est originalis peccati contractionem. » Id est : « Prius est animam Beatae Virginis uniri carni, quam gratiam Dei sibi infundi. »

6. « Caro illa ex sua infectione nata erat animam culpa originali inficere. »

7. « Beatissima Virgo fuit sanctificata post originalis peccati contractionem seu originalis culpae infectionem ; post, vel *tempore* vel *natura.*[1] »

8. « Hic autem dicendi modus *communior* est, et rationabilior, et securior. »

Ita S. Bernardus, ita Albertus, ita Bonaventura ; ita quoque D. Thomas, ut statim videbimus.

[1] Editores *Operum S. Bonaventurae* (Quarachi, 1887) in *Scholion* supra hanc quaest. adnotant : « Haec quaestio magis proprie attingit statum quaestionis, ut ipsa nunc intelligitur ; attamen ab omnibus aliis antiquis magistris (quod sane mirum est) omittitur. Nam hi, exceptis Alexandro et B. Alberto alia quaedam tractantibus, duplicem tantum quaestionem instituunt, sc. : *Utrum B. Virgo sanctificata fuerit ante animationem vel post animationem ;* et quidem ita, ut *ante*

et *post* intelligant de *ordine temporis.* Unde, negligendo quaestionem hanc, quae est *de primo instanti suae Conceptionis* (Decret. Pii IX.), viam sibi quasi praecludebant problema hoc recte solvendi. In hac igitur quaestione S. Bonavcntura agit de *altera explicatione* huius mysterii, quam illa aetate quidam defensores piae sententiae in medium proferebant, et quae hic in corp. Art. accurate explicatur et simul illustratur *exemplo arcae cum urna manna impleta.* Docebant igituristi, quod : « Prius, saltem per naturam, sanctificata fuit anima B. Virginis quam carni unita. » Quodsi hoc *prius* intelligatur de *ordine temporis,* propositio est manifeste falsa, et contra decretum Pianum. Nec etiam, si *prius* accipitur secundum *ordinem naturae,* conveniens est (ut bene observavit cl. Scheben, *Handb. der Kaih. Dogmatik,* t. III. n. 1706) ; et quidem iam ob hanc rationem, quia liberatio B. Virginis a peccato originali, explicata similiter, ac si quis *sustentetur,* ne ruat in *peccatum actuale,* non satis exprimit *debitum* saltem *remotum* incurrendi peccatum originale, quo debito B. Virgo obstricta erat. Scotus autem (hic. q. 1. n. 15-18) primus in haere bene distinguit ordinem *naturae* et *temporis;* porro docet, quod anima B. Virginis in eodem quidem instanti *temporis* creata et corpori infusa et sanctificata fuit ; tamen secundum ordinem *naturae,* ipsa *creatio* animae praecedit *infusionem* eius in corpus ; et *haec, gratiam* vel *culpam.* Unde ipsa B. Virgo *prius natura* fuit *filia* Adae, quam *iustificata.* Ita Scotus. »

In hac observatione plura oportet adnotare ac distinguere. i° Antiqui magistri, nempe Bernardus, Albertus, Bonavcntura et Thomas, erant valde solliciti de hoc solo puncto, nempe in reiiciendo *sanctificationem* B. Virginis in *carne* ante animationem ; non quidem propter impossibilitatem absolutam, sed propter *incompossibilitatem* cum *necessitate personali* redemptionis in B. Virgine ; et Scotus non est sollicitus de hoc ; nam admittit, quod poterat caro Virginis ita purgari, ne caro inficeret animam cius : ut supra habitum est, cap. 9.

20 Non videtur esse verum, quod Bernardus, Albertus, Bonaventura et Thomas intelligant *ante et post animationem,* de *orime temporis* tantummodo ; nam S. Bonavcntura ait expresse in terminis : « *Post* vel *tempore vel natura* «.Deinde, quamvis *ante* animationem intelligeretur quoque de *ordine temporis,* nempe in *parentibus, in carne;* hoc praecise reiicicbatur ab illis ; et non reiicitur ab Scoto. Praeterea : Si agatur de sanctificatione animae *ante animationem,* ex parte ipsius animae per gratiam gratum facientem, si Bcmardus, Albertus, Bonavcntura et Thomas intelligerent *ante* dc ordine *temporis,* tunc hi antiqui magistri admitterent quoque *praeexistenliam* animae secundum ordinem *temporis* ante corporis animationem. Quod absurdum, et a nullo unquam dictum.

30 Neque Bernardus, neque Albertus, neque Bonavcntura, neque Thomas neglexerunt quaestionem hanc, quae est de *Conceptione B. Virginis, active* sumpta ex parte parentum, et etiam *passive*

sumpta ex parte corporis B. Virginis ante animationem ; e contra, constanter reiicicbant huiusmodi conceptionis sanctificationem, utpote incompossibilem cum redemptione quae est per crucem Christi. Neque de hac conceptione loquitur *Decretum Pianum*.

40 Supradicti magistri nullo modo « *viam sibi quasi -praecludebant problema hoc recte solvendi*d ; c contra, *viam apertam* reliquerunt posterioribus magistris, perveniendi usque « ad *primum instans conceptionis* · de qua loquitur Pius IX. in Bulla Dogmatica *Ineffabilis Deus:* quod est primum instans temporis existentiae personalis B. Virginis; dum concludebant B. Virginem fuisse sanctificatam post animationem vel *tempore* vel *natura*.

50 Definitio dogmatica excludit *post* tempore, sed non *post* natura. Unde, si posteriores magistri, inclusive Scotus, per hanc viam satis apertam recte ambulasscnt, non foret quaestio ista ita involucrata ; et usque ad definitionem dogmatis perventum esset sine tot et tantis concertationibus ac tenebris.

6° In propositione illa : « *Prius, saltem per naturam, sanctificata fuit anima Virginis quam carni unita* », salvatur adhuc quidem *debitum remotum* incurrendi peccatum originale ; id est, debitum *ratione naturalis propagationis ;* sed non salvatur *debitum proximum,* id est, *ratione personae* iam constitutae. — Et Scotus non videtur loqui nisi *de debito naturalis propagationis, ratione naturae* tantum. Et hoc non sufficit ad necessitatem personalem redemptionis.

70 Non est ergo Scotus, qui primus in hac quaestione distinxit inter *ordinem naturae et ordinem temporis.* Et secundum theologica principia Scoti, et secundum Scotistas clare loquentes atque iuxta Magistri principia concludentes, B. Virgo, etsi prius natura esset *filia* Adae quam iustificata, non tamen *pendet ab Adamo* in gratia iustitiae originalis transmittenda, sed a *solo Christo,* etiam Adamo non peccante.

CAPUT DUODECIMUM

In via D. Thomae, sanctificatio B. Virginis fuit post eius animationem, posterioritate vel temporis vel naturae[1].

I

Praenotanda ad sensum Articuli secundi aperiendum.

1. Dum agitur de prima sanctificatione Beatissimae Virginis, D. Thomas semper ita ponit quaestionem : *Utrum B. Virgo fuerit sanctificata ante animationem*. Sanctificatio vero Beatissimae Virginis ante animationem esset sanctificatio eius : *a)* vel in suis parentibus ; ά) vel in ipsa sua conceptione ante animationem ; c) vel in corpore ipsius Virginis, antequam animaretur caro eius ; *d)* vel in anima eius, ita quod sanctificatio animae per gratiam praecesserit, saltem prioritate naturae sive ordinis, infusionem eiusdem animae in corpus : ut patet per argumenta in oppositum in a. 2.

2. Alterum valde notandum est, quomodo opponuntur argumenta contra veram thesim quae stabilitur in corpore articuli, nempe : « Respondeo : Dicendum, quod *sanctificatio Beatae Virginis non potest intelligi ante eius animationem*. Absolute enim loquendo, bene intelligi potest sanctificatio Beatae Virginis ante animationem, ut concludere ad litteram videntur tria argumenta in contra ; quorum unum sumitur ex *maxima puritate,* qua anima B. Virginis debebat nitere; alterum vero accipitur ex *ipsamet* Virginis *Conceptione* quae tamquam *sancta* celebrabatur ; tertium denique procedit ex *sanctitate* parentum eiusdem Virginis Mariae. Unde D. Thomas, dum ad argumenta respondet, non negat possibi-

[1] *Sum. Theol.* III. q. 27, a. 2. Vide etiam supra, cap. 7.

litatem huiusmodi sanctificationis, neque negat consequentiam aut illationem ex praemissis in processu logico, sed ex aliis capitibus assumit argumentorum solutionem, videlicet : i° Ex hoc quod Christus est Redemptor *omnium* hominum ; 2° Ex hoc quod *necessitas redemptionis* ex parte *omnium* hominum, est necessitas non tantum *ratione naturae,* verum etiam *ratione personae;* 30 Ex hoc quod necessitas redemptionis ex parte personae praesupponit ipsam personam iam constitutam ; constitutio autem personae, quae resultat ex composito substantiali animae et corporis, nullo modo habetur nisi post animationem, posterioritate ordinis et naturae.

3. Tertium propterea attente notandum atque diligenter introspiciendum, ad mentem et litteram D. Thomae in hoc Articulo 2. vere intelligendam et fideliter interpretandam, est illud fundamentale axioma ab Angelico Doctore stabilitum, nimirum : « *Et si quocumque modo ante animationem Beata Virgo sanctificata fuisset, nunquam incurrisset maculam originalis culpae, et ita non indiguisset redemptione et salute quae est per Christum.* » Fundamentale istud in materia, de qua tractatur, principium traditur a D. Thoma in corpore Articuli ; et iuxta veram doctrinam theologicam, quae in tali principio clauditur, respondetur ad argumentum secundum in contra, quod sic se habet : « Conveniens fuit, sicut Anselmus dicit, *De conceptu virginali,* cap. 18. : *Ut illa Virgo ea puritate niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi;* unde et Cantic. 4, 7, dicitur : *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.* Sed maior puritas fuisset B. Virginis, si nunquam anima eius fuisset inquinata contagio originalis peccati. Ergo hoc ei praestitum fuit, ut, antequam animaretur caro eius, sanctificaretur. » Quid respondet Angelicus Doctor ad talem arguendi modum? At prius tamen quam ad examen vocetur huiuscc argumenti solutio, notare oportet quid ita arguendo concludatur. Ideo :

4. Maxime notanda quippe est praedicti argumenti conclusio : « Ergo *hoc ei* (B. Virgini) *praestitum fuit, ut, antequam animaretur caro cius, sanctificaretur.* » Huiusmodi conclusio infertur ex his duabus praemissis : 1. Ea puritate,

qua maior sub Deo nequit intelligi, conveniens fuit ut B. Virgo niteret. 2. Sed maior puritas fuisset B. Virginis, si *nunquam* anima eius fuisset inquinata contagio originalis peccati. Ergo hoc ei praestitum fuit, ut, antequam animaretur caro eius, sanctificaretur. Quare concluditur ex his praemissis ad *sanctificationem Virginis ante animationem?* Nonne erat sufficiens et magis logicum concludere : *Ergo hoc B. Virgini fuit praestitum, ut praeservaretur a macula originalis culpae** Ad quid ergo concludere : *Ergo hoc ei praestitum fuit, ut, antequam animaretur caro eius, sanctificaretur?* 1° Non concluditur ad praeservationem a macula peccati originalis quia in hoc Articulo non agitur ex professo de praeservatione neganda vel affirmanda B. Virginis a macula originalis peccati, sed de sanctificatione ante eius animationem; et quod mirum est, D. Thomas nunquam quaestionem sir posuit : « Utrum B. Virgo praeservata fuerit a macula »; sed constanter ponebat sic : « Utrum fuerit sanctificata ante animationem ». 2° Quia concludere ad sanctificationem carnis ante animationem eius est revera logicum consequens ex hoc quod « *nunquam anima eius fuisset inquinata contagio originalis peccati* » ; nam ex unione ad carnem ex Adamo per generationem derivatam anima inquinatur tali contagio. 30 Quia *sanctificatio ante animationem* dicit *plus* quam *praeservatio a sola macula* originalis culpae ; unde datur vel dari potest praeservatio a macula etiam in sanctificatione post animationem, nempe *posteriotitale ordinis vel naturae tantum*. Quapropter D. Thoma? in responsione ad argumentum non negat consequentiam ex talibus praemissis, sed *minorem praemissam* reiicit veluti inconvenientem. Inde respondet ad secundum argumentum in contra, ita concludens :

5. « Dicendum, quod, si *nunquam* anima B. Virginis fuisset contagio originalis peccati inquinata, hoc derogaret dignitati Christi secundum quam est universalis omnium Salvator. Et ideo sub Christo, qui salvari non indiguit, maxima fuit B. Virginis puritas. Nam Christus *nullo modo* contraxit originale peccatum, sed in ipsa sui conceptione fuit sanctus, secundum illud Luc. 1, 35. : *Quod ex te nascetur*

Sanctum, vocabitur Filius Dei. Sed B. Virgo contraxit quidem originale peccatum, sed ab eo fuit mundata antequam ex utero nasceretur. Et hoc signatur Job, 3, 9. ubi de nocte peccati originalis dicitur : *Expeclet lucem,* id est, Christum; *et non videat,* quia nihil inquinatum intravit in illam, ut dicitur Sapient. 7, 25. ; *nec ortum surgentis aurorae,* id est, Beatae Virginis, quae in *suo ortu* a peccato originali fuit *immunis.* » Haec D. Thomas ; ex quibus aperta manet via ad penetrandam Doctoris Angelici mentem, eiusdemque sanam ac profundam doctrinam recte capiendam circa primam Beatae Virginis sanctificationem. Etenim :

6. D. Thomas concedit *maiorem* argumenti, videlicet, quod Beata Virgo ea puritate nitere debuit, qua maior sub Christo, qui est verus Deus et homo, nequit intelligi. Concedere quoque videtur *minorem,* videlicet, quod maior fuisset Beatae Virginis puritas, si *nunquam* anima eius fuisset inquinata contagio originalis peccati. Non tamen admittit, sed prorsus reiicit, quod Beatae Virgini fuerit praestitum, ut, antequam animaretur caro eius, sanctificaretur. Qua de causa? Quoniam « si *nunquam* anima Beatae Virginis fuisset contagio originalis peccati inquinata, hoc derogaret (ait D. Thomas) dignitati Christi, secundum quam est universalis omnium Salvator ». Haec est enim ratio capitalis, ratio suprema, ad quam appellat semper Doctor Angelicus, quotiescumque tractatur de prima Beatissimae Virginis sanctificatione. Dummodo dignitati Christi, secundum quam est universalis omnium hominum Redemptor, nihil derogetur, dandum est Virgini Matri Christi quantum dari valeat. Ergo, ut nihil derogetur Christi Redemptoris dignitati, oportetne quod Beatissima Azirgo incurrat *actu* maculam originalis peccati? Numquid sunt incompossibilia simul *dignitas Filii* et *praeservatio Matris* a macula originalis culpae? Minime docet hoc D. Thomas ; nunquam D. Thomas dixit hoc ; D. Thomas ait quod « si *nunquam anima Beatae Virginis fuisset contagio originalis culpae inquinata, hoc derogaret dignitati Christi secundum quam est universalis omnium Salvator* ». Cumam? Si quaeris *quare,* audias ex ipso ore D. Thomae *quare* : « *Et si* quocumque modo *ante*

animationem Beata Virgo sanctificata fuisset, nunquam incurrisset maculam originalis culpae, et ita non indiguisset redemptione et salute quae est per Christum. » Ex quo patet, quod « *nunquam* incurrere maculam originalis culpae » aut « *nunquam* fuisse contagio originalis peccati inquinatum » significat : *esse quocumque modo sanctificatum ante animationem.* Unde etiam *esse sanetificatum* in *ipsomet primo instanti* animationis, ita quod prius prioritate naturae et ordinis intelligatur *animam sanctificari* quam *carni uniri,* vel *carnem mundari* quam *animam in carnem infundi,* constituit *unum ex* multiplicibus modis, quibus ante animationem Beata Virgo potuisset esse sanctificata. Et si quocumque modo ante animationem Beata Virgo sanctificata fuisset, *nunquam* incurrisset maculam originalis culpae, sive anima eius *nunquam* fuisset contagio originalis peccati inquinata ; et ita non indiguisset redemptione ; et hoc derogaret dignitati Christi, secundum quam est universalis omnium Salvator. Sed audiamus iterum I). Thomam exponentem ac declarantem ipsum D. Thomam ; nemo interpres D. Thomae melior, quam D. Thomas ipse.

6. D. Thomas, loquens de carne Christi et de came Beatae Virginis, ait ad hoc propositum, ***III.*** *Sent.* dist. 3. q. 4. a. i. : « *Caro* Christi, secundum quod fuit in patribus et etiam in ipsa Beata Virgine, *peccato infecta fuit* antequam assumeretur ; sed in ipsa assumptione ab omni infectione peccati purgata est, ut, secundum quod est *actu caro Christi,* in ea *nihil maculae* inveniatur. » Ibidem ad 1. : « *Caro* Christi, *actu existens caro* Christi, *nullo modo fuit infecta;* eius enim emundatio a praecedenti infectione, saltem intellectu (prioritate ordinis vel naturae), praecedit assumptionem ; unde in Divinam Sapientiam nihil inquinatum incurrere *potuit.* » Atque *Sum. theol.* III. q. 31. a. 7. ad i. : « Dicendum, quod Christus non assumpsit *carnem* humani generis *subtectam peccato,* sed ab omni infectione peccati *mundatam ;* et ideo in Dei Sapientiam nihil inquinatum incurrit. » Et ibid, ad 2. : « Christus dicitur *primitias nostrae naturae* assumpsisse quantum ad similitudinem conditionis, quia sc. assumpsit *carnem peccato non infectam,* sicut fuerat caro hominis ante

peccatum ; non autem hoc intelligitur secundum continuitatem puritatis, ita sc. quod *illa caro* primi hominis conservaretur, a *peccato immunis* usque ad formationem corporis Christi. »

E contra, dum loquitur de corpore et carne Beatissimae Virginis, ait III. q. 14. a. 3. ad 1. : « Dicendum, quod *caro Virginis concepta fuit in originali peccato;* et ideo hos defectus *contraxit.* Sed *caro Christi* ex Virgine assumpsit naturam *absque culpa,* et similiter potuisset naturam assumere *absque poena.* » Et postea, q. 31. a. 7. : « *Corpus* Christi non refertur ad Adam et ad alios patres nisi *mediante corpore* Beatae Virginis, de qua carnem assumpsit. Sed *corpus Beatae Virginis totum fuit in originali peccato conceptum,* ut supra dictum est, q. 14. a. 3. ad 1. et q. 27. a. 2. Et ita etiam secundum quod in patribus, fuit peccato obnoxium. Ergo *caro* Christi, secundum quod fuit in patribus, fuit peccato obnoxia. Unde :

7. Dicendum : *a)* In came Christi, prout actu existebat caro Christi, *nihil maculae* inveniebatur ; in carne vero Matris Christi, prout actu erat iam caro Virginis, *aliquid maculae* erat inveniri, *b)* Caro Christi *nullo modo* fuit *infecta;* caro autem Virginis Matris *aliquo modo infecta, c)* Caro Christi a praecedenti infectione prius, saltem intellectu, fuit *emundata* quam *animata* et *assumpta ;* caro vero Virginis Matris Christi *nullo modo emundata* fuit ante animationem, neque *prius,* intellectus seu naturae prioritate, in ipso instanti animationis, *d)* In animam Christi *nihil inquinatum* incurrere *debuit* neque *potuit;* in animam vero Beatissimae Virginis *aliquid inquinatum* incurrere *potuit* et *debuit,* tametsi *actualiter,* gratia Dei praeveniente, nihil incurrerit.

8. Iam vero : anima rationalis, utpote a Deo ex nihilo creata, non habet nec habere potest a Deo, quod sit contagio originalis peccati inquinata, sed *a carne* in quam, dum creatur, infunditur ; a *carne,* inquam, *infecta,* ex Adamo derivata, cui substantialiter unitur et cum qua fit *una natura humana,* et ex qua substantiali unione componitur *humana persona* in humana natura una subsistens.-Exinde ex contagione carnis, quae est *infecta* et in qua est iam *aliquid maculae* virtualiter potens animam sibi substantialiter coniunctam infuere,

ipsa anima, dum *macula carnis,* cui coniungitur, attingitur, fit *indigna,* ut gratiam Dei accipiat ; et, utpote *infectae carni* ex Adamo derivatae substantialiter coniuncta, *debet* Dei gratia carere ; ac gratiae perinde nitore esse privata, ex cuius privatione resultat *macula* in anima. Datur itaque hic in processu humanae generationis atque in piolis generatae conceptione duplex macula, videlicet *macula carnis* et *macula animae.* Macula enim camis est *causa instrumentalis* maculae in anima ; si autem auferatur a carne cui anima unitur, antequam uniatur, huiusmodi *injectio* seu *macula,* aufertur eo ipso *instrumentalis causa* originalis peccati ; ideoque verificaretur tunc, quod anima, quae a Deo creatur, *nunquam* fuisset contagio originalis peccati inquinata, et *nunquam* maculam peccati incurreret, et *nullo modo* peccatum originale contraheret ; ac proinde anima illa iam non indigeret redemptione ; et hoc derogaret dignitati Christi Redemptoris. Si vero a *carne* cui anima infunditur, ante infusionem animae et carnis animationem, non auferatur *injectio* seu *macula,* quae est virtus instrumentalis causativa peccati originalis in prole generata, tunc *macula* carnis potens est causare *maculam* animae ; et tunc ex ipsa substantiali unione animae ad carnem, anima ipsa iam est contagio originalis peccati *virtualiter* inquinata ; et nisi a Deo per gratiam sanctificantem ex meritis Christi Redemptoris praeservetur, *actu* originale peccatum contrahet peccatique maculam *actualiter* incurret.

9. Quapropter, si hoc Beatissimae Virgini praestitutum fuisset, ut, antequam animaretur, caro eius sanctificaretur, nunquam anima eius fuisset inquinata contagio originalis peccati, neque *actualiter,* neque *virtualiter* ; neque de *jacta,* neque in *virtute causae.* Tunc enim caro Beatissimae Virginis, actu existons caro Virginis, esset sicut caro Christi actu existens caro Christi : *a)* nullo modo infecta ; *b)* prius emundata quam animata ; *c)* nihil maculae continens ; *d)* nulhm potens causare in anima maculam ; *e)* ideoque sicut in animam Christi, ita pariter in animam Beatissimae Virginis nihil inquinatum incurrere *debuit* neque *potuit.* Utique : maior puritas fuisset Beatae Virginis, si *nunquam* anima eius

fuisset inquinata contagio originalis peccati ; quoniam in tali hypothesi puritas Beatissimae Virginis non tantummodo esset *maxima sub* Christo, verum etiam *aequalis* puritati Christi, qui salvari non indiguit. Et hoc derogaret dignitati Christi, secundum quam est universalis *omnium* Redemptor. Inde habentur etiam haec quae sequuntur

Corollaria. Ergo *nunquam* incurrere maculam originalis culpae aut *nunquam* esse inquinatum contagio originalis peccati, idem significat ac : *Nullo modo contraxisse originale peccatum.* « Nam Christus (prosequitur D. Thomas) nullo modo contraxit originale peccatum. »

Ergo *nunquam* incurrere maculam originalis culpae aut *nunquam* fuisse contagio originalis peccati inquinatum, idem significat ac : ***In ipsa conceptione, vi conceptionis, esse sanctum.*** « Nam Christus (addit D. Thomas) in ipsa sui Conceptione fuit Sanctus. »

Ergo *nunquam* incurrere maculam originalis culpae aut *nunquam fuisse* contagio originalis peccati inquinatum idem significat, ac : *Non indigere redemptione.* « Nam Christus (adiungit D. Thomas) salvari non indiguit, tamquam Universalis omnium hominum Salvator. »

Ergo *sub* Christo maximam Virgo Mater eius habere debuit et habuit puritatem. « Et ideo *sub* Christo, concludit D. Thomas, qui salvari non indiguit, maxima fuit Beatae Virginis puritas. »

11

Sanctificatio B. Virginis poterat quidem fieri ante eius animationem ; sanctificatio autem B. Virginis in sua propria persona non potest intelligi ante eius animationem.

Poterat quidem fieri ante eius animationem. — Hoc enim est, quod legitime concludunt argumenta art. 2. in oppositum, videlicet, quod sanctificatio B. Virginis fieri poterat :

Primo : *In parentibus.* « Apostolus dicit, Rom. 2, 16. : *Si radrix sancta, ct rami,* Radix autem filiorum sunt

parentes eorum. *Potuit, ergo* B. Virgo sanctificari etiam in suis parentibus ante animationem ». Angelicus Doctor, dum respondet ad hoc argumentum in *Summa theologica,* non negat possibilitatem ; sed tantum asserit, quod ad impediendam transmissionem peccati originalis non sufficit *sanctificatio personalis* parentum, quae non transit in prolem carnaliter genitam, quia talis sanctificatio non respicit carnem, sed mentem ; requiritur praeterea *sanctificatio totius naturae,* vel quod fomes totaliter in parentibus fuerit sublatus ; et talis sanctificatio erit in resurrectione. Unde, ***III***. *Sent.* dist. 3. q. i. a. i. ait : « Sanctificatio parentum in B. Virginem transfundi non potuit, nisi curatum esset in eis non solum id quod personae est, sed etiam id quod est naturae, in quantum huiusmodi : quod quidem *Deus facere potuit, sed non decuit.* »

Et iterum, ***II***. *Sent.* dist. 31. q. 1. a. 2. ad 5. : « Dicendum, quod hoc non potest esse, ut concupiscentia habitualis (fomes peccati), quae in deordinatione virium animae consistit, tolleretur ex toto, nisi natura penitus reintegraretur ; et hoc quidem nulli dubium est, quin *Deus facere posset;* et si hoc fieret, procul dubio geniti sine originali nascerentur. »

Secundo : ***In ipsa sua Conceptione***. « Praeterea, sicut dictum est in art. 1. praecedenti, non celebratur festum nisi de aliquo sancto. Sed quidam celebrant *festum Conceptionis* B. Virginis. Ergo videtur, quod in ipsa sua Conceptione fuerit *sancta;* et ita quod *ante animationem* fuerit sanctificata. » Ad quod respondet sic D. Thomas : « Dicendum, quod, licet Romana Ecclesia Conceptionem B. Virginis non celebret, *tolerat* tamen consuetudinem aliquarum ecclesiarum illud festum celebrantium. Unde *talis celebritas* non est totaliter reprobanda. Nec tamen per hoc quod festum Conceptionis celebratur, datur intelligi quod in *sua Conceptione* fuerit sancta ; sed, quia quo tempore sanctificata fuerit, *ignoratur,* celebratur festum *sanctificationis* eius, potius quam Conceptionis *in die* Conceptionis ipsius. »

Plura sunt hic notatu digna : χθ *Conceptio* de qua est sermo, est Conceptio B. Virginis active sumpta, Conceptio λ irgini- *in dic conceptionis eius,* Conceptio Virginis ante-

quam animaretur caro eius ; unde in argumento, ex hoc quod B. Virgo in sua Conceptione fuerit *sancta,* concluditur : « Et *ita quod ante animationem fuerit sanctificata.* » 2° Celebrare hanc *Conceptionem,* est quod vocabat *errorem* S. Bernardus; et quod, secundum Albertuni Magnum, damnaverunt omnes Magistri Parisienses ; et quod *non esse securum* docuit S. Bonaventura. 30 De hac *Conceptione* loquitur Aureolu-, dum scribit : « Istis non obstantibus, dicendum, quod aliud est celebrare quod apparet in *re,* aliud quod occurrit in *spe.* De *conceptione* igitur *seminis* non fit festum propter semetipsum in se, sed propter *Mariam,* quae statim, concept » semine, offerebat se in *spe;* et hoc modo dicendum, quod fit festum de *conceptione etiam in illa die,* qua conceptum est semen, non quidem festum seminis aut conceptionis in se, sed Mariae, quae relucebat in Conceptione x. » 40 D. Thoma>,

1 Petri Aureoli *Tract. De Concepi. Virg.,* cap. 6. Similiter, fere explicabat Petrus Abaelardus *Immaculatam Conceptionem* quam dicebat esse ab omnibus celebrandam. Vide *Bulletin de Littérature ecclésiastique,* 1911, p. 177, etc. *Notes bibliographiques sur l'histoire de la théologie de l'immaculée Conception.* — A. Noyon, *Traité sur la Conception, attribue à Abélard:* La question d'authenticité sc pose tout d'abord. Alva, non plus d'ailleurs que Possevin ne la soulèvent. Tous deux s'en tiennent à l'attribution fournie par le manuscrit qu'ils ont eu sous les yeux : « *Incipit tractatus magistri Abaelardi de Conceptione beatae et gloriosae Virginis Mariae.* In isto opusculo sic explicatur Immaculata Conceptio B. Virginis : Nemine:·; certe fidelium arbitror esse qui. si *lectulum illum* invenerit, quo Dei Genitrix concepta fuit, non ei reverentiam exhiberet... Quanto magis autem *illi semini,* unde tam Mariae quam Domini corpus est formatum, honorem nos convenit exhibere debitum ?... Quid impedit credere *hanc gratiam* Dominus parentibus suae genitricis posse et velle conferre, ut absque omni carnalis concupiscentiae labe sanctissimum illud corpusculum generarent ?... Constat... quod, cum B. V Maria conciperetur, unum corpus fuit cum sanctissimo corpore Domini, quod et ipsam conceptam ab originali culpa mundavit... In ipsa conceptione Maria unum corpus vel una caro erat cum filio. Sicut enim oleum aqueo coniunctum liquori, qualitates aquae in suam non admittit substantiam, tametsi per idem cum aqua manaverit stillicidium, ita et corpus Redemptoris, quamquam ab Adam patres per omnes transierit, omni massa corruptelae obnoxia, ceu oleum superexcessit, sui itineris pondus in nullo quantolibet perfecto sistere

sequens vestigia SS. Bernardi, Alberti et Bonaventurae, necnon et Parisiensium Magistrorum, etiam reprehendit celebrare tamquam *sanctum* festum Conceptionis in die conceptionis eius. Conceptio enim Virginis non est *sancta,* antequam sanctificetur ; et ante animationem non fuit sanctificata. 5° Attamen D. Thomas observat, quod « *Talis celebritas non esi totaliter reprobanda* ». Qua de causa ? «) Quia « licet Romana Ecclesia Conceptionem non celebret, tolerat tamen consuetudinem aliquarum ecclesiarum illud festum celebrantium . *b)* Quia « per hoc, quod festum Conceptionis celebratur (secundum consuetudinem toleratam ab Ecclesia et in sensu quo ab Ecclesia Romana tolerabatur), non datur intelligi quod in sua Conceptione (ante animationem, videlicet), B. Virgo fuerit sancta ». c) « Quia, quo tempore B. Virgo sanctificata fuerit, ignoratur, celebratur festum *sanctificationis* eius potius quam Conceptionis in *die* Conceptionis eius. Per quod datur intelligi, quod *tempus,* quo B. Virgo in sua propria persona sanctificata fuit, poterat esse, et de facto ita fuit, *primum instans* temporis quo caro Virginis fuit animata, et persona Virginis ex corpore et anima iam constituta *incepit* esse, id est, *existera.*

Tertio : ***In carne ante animationem vel in anima*** *ante unionem ad carnem.* « Praeterea : Conveniens fuit, sicut Anselmus dicit, ut illa Virgo ea puritate niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi ; unde in Cantic. 4, 7. : *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.* Sed maior puritas B. Virginis, si nunquam anima eius fuisset inquinata contagio originalis peccati. Ergo hoc ei praestitum fuit, ut, antequam animaretur caro eius, sanctificaretur. »

Istud argumentum iam fuit in *Praenotandis* praeventum et solutum ; sed oportet adhuc hic immorari atque in eiusdem explicatione insistere ; quia hic iacet *punctum candens* totius quaestionis et volvitur totius huius celeberrimae voluit. » — Cette étrange théorie est combattue par saint Thomas. Nous aurons l occasion d'y revenir dans un prochain article. Disons seulement qu'elle est rapportée par Hugues de Saint-Victor, Dr *Sacramentis,* II.-I, cap. v. — *Patrol. Lat.,* t. CLXXVI, col. 38.

controversiae cardo. Hic, in *Summa theologica,* solvitur argumentum magno illo principio quo interiora ipsius quaestionis illuminantur, nempe : « *Si quocumque modo ante animationem Beata Virgo sanctificata fuisset, nunquam incurrisset maculam originalis culpae ; et ita non indiguisset redemr lionc et salute quae est per Christum.* » Si quocumque modo, id est, si Beata Virgo sanctificata fuerit : i° in suis parentibus ante animationem ; 2° in ipsa sua conceptione ante animationem ; 3° in carne sua, antequam animaretur ; 40 in anima sua, antequam uniretur carni ; si quocumque ex istis quatuor modis Beata Virgo sanctificata fuisset, sequeretur quod : *a)* « *nunquam incurrisset maculam originalis culpae* » ; *b)* « et *ita non indiguisset redemptione et salute quae est per Christum.* Unde, si Beata Virgo sanctificata fuit per gratiam Christi Redemptoris, oportet quod sanctificaretur, non in parentibus, non in ipso actu conceptionis, non in carne ante animationem, non in anima ante unionem ad carnem, sed por-tquam cuncta Virginis perfecta sunt, sc. et corpus et anima. Quapropter :

Sanctificatio Beatae Virginis in sua propria persona constituta non potest intelligi ante eius animationem. — Atque de hac personali sanctificatione loquitur D. Thomas, dum ait : « Respondeo : dicendum, quod sanctificatio Beatae Virginis non potest intelligi ante eius animationem, duplici ratione. »

Ratio i. « Primo quidem, quia sanctificatio, de qua loquimur, non est nisi emundatio a peccato originali ; sanctitas enim est perfecta munditia, ut Dionysius dicit *Dc Div. Nom.* cap. 12. Culpa autem non potest emundari nisi per gratiam, cuius subiectum est sola creatura rationalis. Et ideo ante infusionem animae rationalis Beata Virgo sanctificata non fuit. »

Ratio 2. « Secundo, quia, cum sola creatura rationalis sit susceptiva culpae, ante infusionem animae rationalis proles concepta non est culpae obnoxia. Et si quocumque modo ante animationem Beata Virgo sanctificata fuisset, nunquam incurrisset maculam originalis culpae ; et ita non indiguisset redemptione et salute quae est per Christum, de quo dicitur Math, i, 2i. : *Ipse salvum jaciet populum suum.* Hoc autem

inconveniens est, quod Christus non sit Salvator *omnium* hominum, ut dicitur I. Tim., 4. »

Explicatio primae rationis. — Prima enim ratio innititur his duabus propositionibus, nempe : i° *Sanctificatio de qua loquimur, fit fer gratiam gratum jacientem.* 2° *Gratiae gratum facientis subiectum est sola creatura rationalis.* Cum ergo creatura rationalis sit composita ex corpore et anima rationali, ideo ante infusionem animae rationalis Beata Virgo sanctificata non fuit.

Prima autem *propositio* ex eo fit manifesta, videlicet, quia sanctificatio de qua loquimur, est emundatio a peccato originali ; peccatum autem originale habet rationem culpae; culpa autem non potest emundari nisi per gratiam sanctificantem seu gratum facientem, qua creatura rationalis formaliter est iusta. Cum ergo peccatum originale, prout habet rationem culpae, consistat in carentia originalis iustitiae ex libera voluntate primi parentis, sequitur, quod perfecta munditia a peccato originali in nobis, quoad rationem culpae et reatum poenae aeternae, non potest fieri nisi per gratiam sanctificantem, qua filii Dei adoptivi nominamur et sumus.

Altera vero *propositio : Gratiae gratum facientis subiectum est sola creatura rationalis,* id est, compositum substantiale animae et corporis per animam informati : etiam ex eo fit manifesta ; quia aliter emundatio a peccato originali per gratiam gratum facientem fieret seorsum, vel in corpore solo, vel in anima sola ante eius unionem substantialem cum corpore. Non quidem in solo corpore ; quia caro non potest esse subiectum gratiae sanctificantis. Nec in anima sola; quia, licet animae rationalis essentia sit proprium subiectum gratiae gratum facientis, tamen anima non praeexistit ante infusionem cius in corpus. Et aliunde, si intelligatur animam prius prioritate ordinis per gratiam sanctificari quam corpori uniri, tunc iam Beata Virgo sanctificata fuerit *aliquo modo* ante animationem, ut dicitur in 2. ratione.

Explicatio secundae rationis. — Ratio autem secunda innititur his duabus propositionibus : i° *Ante infusionem animae proles concepta non est culpae obnoxia.* 2° *Si quocumque modo ante animationem Beata Virgo sanctificata fuisset, non indiguisset redemptione et salute quae est per Christum.*

Prima enim propositio ex eo patet : *a)* Quia sola creatura rationalis est *susceptiva* culpae ; et ante infusionem animae proles concepta adhuc non est creatura rationalis, *b)* Quia ex hoc anima rationalis infectionem incurrit, quod fit cum carne traducta una natura, atque ex hoc originale peccatum est in anima, in quantum pertinet ad humanam naturam. Ante infusionem autem animae, nec anima pertinet adhuc ad humanam naturam, nec facta fuit cum carne *natura una;* nec proinde proles concepta est adhuc natura humana actu completa, c) Quia, etsi proles concepta, *concepta iam vere* dicitur in *peccato originali;* unde D. Thomas, III. q. 14. a. 3. ad i. : « *Caro Virginis concepta fuit in originali peccato* ; et iterum, q. 31. a. 7. : « *Corpus B. Virginis totum fuit in originali peccato conceptum* »; verumtamen, peccatum originale eo modo est in carne et in corpore ante animationem, ut est ipsa natura humana seu proles concepta, nimirum, *in virtute, in fieri, in causa ;* nam peccatum originale trahitur ex origine naturae humanae simul cum natura ; quapropter originale peccatum *contrahitur.*

Altera vero propositio ex hoc demonstratur ab ipso D. Thoma dicente : « *Si quocumque modo ante animationem Beata Virgo sanctificata fuisset, nunquam incurrisset maculam originalis culpae.r>* Si B. Virgo sanctificata fuisset in parentibus, vel in conceptione sua, vel in carne sua ante unionem ad animam, vel in anima sua ante unionem ad carnem ; si quocumque modo fuisset sanctificata ante animationem : tunc Beatissima Virgo *nullo modo* contraxisset originale peccatum ; et ita persona B. Virginis, iam constituta ex anima et corpore, non indiguisset redemptione et salute quae est per Christum. Et hoc derogaret dignitati Christi, secundum quod est universalis omnium Salvator. Hoc oportet repetere, et in hoc convenit insistere, ut saltem aliquando doctrina D. Thomae pateat omnibus, et ab omnibus recte capiatur. « *Maculam originalem nunquam incurrere »; « animam nunquam fuisse contagio originalis peccati inquinatam* » perinde valent ac dicere : « *Quocumque modo ante animationem sancti-*

ficatum fuisse η; « Non indigere redemptione et salute quae esi per Christum ». Ex quibus aperte liquet, quod *nunquam* incurrere maculam originalis culpae, excludit *omnem modum contrahendi* originale peccatum ; ideoque importat in sua significatione *nullo modo contrahere* peccatum originale, nec in actu, nec in debito personali contrahendi actualiter. Hoc autem est proprium solius Christi, qui nullo modo contraxit originale et salvari non indiguit, tamquam universalis Salvator.

Duplex ratio, quare sanctificatio B. Virginis non potest intelligi ante eius animatione II, est duplex aspectus unius rationis. — Illa, inquam, ratio, qua D. Thomas, *II. Seni.* dist. 31. q. i. a. 1. ostendit, quod « *sit necesse omnes homines nasci in peccato originali* », videlicet : « Ille, qui non est peccato obnoxius, redemptione non indiget. Si ergo esset aliquis qui non in peccato originali nasceretur, praeter Christum, inveniretur aliquis qui redemptione facta per Christum non indigeret ; et sic Christus non esset caput omnium hominum, quod non est conveniens secundum fidem. Ergo nec ponere, quod aliquis sine peccato originali nasci possit. » *Nativitate,* nimirum, quae dicitur *nativitas in utero.*

Illa, inquam, sola ratio, qua ipse D. Thomas, I.-II. q. 81. a. 3. ostendit, quod peccatum primi parentis transit per originem in omnes homines. » Respondeo : dicendum, quod secundum fidem catholicam firmiter est tenendum, quod omnes homines, praeter solum Christum, ex Adam derivati, peccatum originale ex eo contrahunt ; alioquin, non omnes indigerent redemptione quae est per Christum : quod est erroneum. »

Erroneum ergo est dicere, quod Beata Virgo sanctificata fuerit in parentibus ante animationem.

Erroneum similiter est dicere, quod Beata Virgo sanctificata fuerit in carne sua ante animationem.

Erroneum pariter est dicere, quod Beata Viigo sanctificata fuerit in anima sua, antequam animaretur caro eius.

Erroneum etiam est dicere, quod Beata Virgo sanctificata fuit quocumque modo ante animationem.

III

Corollarium.

« Unde relinquitur quod sanctificatio Beatae Virginie fuerit post eius animationem »

Caietanus, nobilissimus inter interpretes D. Thomae, recte interpretatus est doctrinam a D. Thoma traditam in corpore Articuli. — Ait enim *In III. Pari.* q. 27. a. 2. : « Advertendum est, quod aliud est *personam* B. Virginis indiguisse redimi a peccato per Christum ; et aliud est, *foetum illum,* ante animae infusionem, indiguisse sanctificari per Christum. Nam *personam ipsam* indigere salvari a peccato, est *liberari a peccato quod habet* vel *haberet;* oportet enim aut quod habeat peccatum, vel quod sit *in procinctu* seu *Periculo habendi* peccatum, quisquis eget salvari a peccato ; si enim peccatum non habet nec est in periculo habendi peccatum, Salvatore a peccato non indiget, ut patet. *Foetum* autem egere sanctificatione est quia, nisi sanctificetur, *immundus* erit. Si Beatae igitur Virginis foetus sanctificatus fuisset ante infusionem animae rationalis, cum foetus non sit *homo* nisi per animam rationalem, non ipsa Beata A7irgo, quae non erat adhuc, sed foetus ille indiguisset sanctificari per Christum ; sed *ipsa Beata Virgo* fuisset concepta sine peccato originali *absque quacumque alia gratia;* ita quod, ex hoc ipso quod anima sua infusa esset *materiae mundae,* originale peccatum non contraxisset, etiam si nulla superapposita fuisset gratia. Ac per hoc, ipsa Beata Virgo non indiguisset gratia redemptionis seu salvationis a peccato, per Christum factae. »

b) « *Exemplum.* Apostolus Paulus, quia natus est *civis Romanus* (Act. Apost., 22, 28), nunquam indiguit *Caesarea gratia* ad civilitatem Romanam, quamvis aliquis ex patribus suis hac gratia indiguerit. Simile est in proposito; quia, licet *caro antecedens* personam Beatae Virginis indiguerit redimi

tali modo per Christum, *ipsa* tamen *Beata Virgo,* quia nata in utero esset expers peccati absque infusa sibi gratia praeservante ne incurreret, non indiguisset simpliciter et absolute redimi seu salvari a peccato per Christum. Et hinc habes, quod, si dicatur, quod Beata Virgo indiguisset in carne praecedente redimi a peccato, quamvis non in se, haec distinctio non obstat dictis. Quoniam *indigere in antecedentibus* non est *ipsam indigere;* ita quod ly in *antecedentibus* est conditio diminuens rationem indigentiae personalis. Et propterea non valet consequentia : *Indiguisset in sui foetus carne; ergo ipsa Beata Virgo indiguisset.* »

c) « Est ergo simpliciter vera doctrina in Littera (in a. 2.) tradita, quod si Beata Virgo inisset ante infusionem animae sanctificata, quod non eguisset redemptione et salute a peccato quae est per Christum. Et bene nota, quod non dicitur quod non indiguisset *salute gratiae aut gloriae* facta per Christum, sed *salute a peccato,* a qua dictus est *Icsus,* hoc est *Salvator,* ut Angelus revelavit loseph, dicens, Math. 1, 21. *Vocabis nomen eius lesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* » Haec pulchre, bene, recte Caietanus.

Caietanus tamen, ut bonus Homerus qui quandoque dormitat, certe dormitavit[1] in interpretatione Corollarii, quod D. Thomas apposuit in calce Articuli : « Unde relinquitur, quod sanctificatio Beatae Virginis fuerit post eius animationem. » — λ) « Circa *corollarium* (concludit Caietanus) dubium occurrit, quia non videtur sequi ex *praemissis.* Nam ex hoc, quod Beata Virgo non fuit sanctificata *ante animationem,* non sequitur, quod sanctificatio eius fuerit *post animationem.* Stat enim, quod *nec ante, nec post,* sed *in ipso instanti infusionis* fuerit sanctificata : ut multi moderni tenent. » Utique, ex *praemissis* non videtur sequi, quod sanctificatio Beatae Virginis, ex eo quod non fuit ante animationem, facta fuerit *post animationem,* posterioritate temporis; sed evidenter et necessario sequitur, quod facta fuerit *post animationem,* saltem posterioritate naturae. Consequenter stat, quod, etsi

[1] Vide supra, cap. 7. p. 92 sq.

non *post* posterioritate temporis, sanctificata tamen fuerit *post* naturae vel ordinis posterioritate. Consequenter stat, quod in *ipso instanti* infusionis animae, dummodo *prius* intelligatur animam *uniri carni* quam *sanctificari.* Et -i ita sentiebant et tenebant *illi moderni,* de quibu- Caietanus loquitur, recte sentiebant et iure merito tenebant. At sunt tamen *mulli moderni* et *antiqui,* ante Caietanum et tempore Caietani et post Caietanum, dicentes Beatam Virginem sanctificatam fuisse *in ipso istanti* infusionis animae, ita quod *prius* intelligatur *animam sanctificari* quam *carni uniri;* et hoc non stat cum indigentia personali redemptionis et salutis quae est per Christum ; hoc reiicitur a SS. Bernardo, Alberto et Bonaventura ; hoc reiicit fortiter D. Thomas, cum ait ı « *Et si quocumque modo ante animationem Beata* I *irgo sanctificata fuisset,* nunquam *incurrisset maculam originalis culpae- ; et ita non indiguisset redemptione ct salute quae est per Christum.* »

ô) « Ad hoc dicitur (respondet Caietanus) quod aliud est discutere materiam hanc *absolute,* et aliud in quantum ex hac Littera infertur talis *conclusio corollario.* Nam absolute loquendo, inter duas positiones extremas, sc. quod fuerit sanctificata vel ante infusionem animae vel post infusionem animae, est *positio media :* quod fuit sanctificata in *instanti infusionis.* » Distinguere oportet : si *ante* et *post* intelligatur de prioritate et posterioritate temporis, utique est adinvenire positionem mediam, nimirum *instans infusionis.* Si vero *ante* et *post* intelligatur de prioritate et posterioritate ordinis vel naturae, tunc non datur positio media inter istas positiones extremas, nempe : *Animam sanctificari prius prioritate naturae quam uniri carni; Animam sanctificari posterioritate naturae post unionem ad carnem seu post infusionem animae in carnem.* Quoniam tunc *ante* et *post* sunt *unum instans* temporis, videlicet, instans infusionis animae.

c) « Cuius opinionis Auctor (D. Thomas) hic non meminit ; quia tempore suo non erat adinventa, omnibus communiter tenentibus B. Virginem conceptam in peccato originali : ideo ut videtur, reprobantibus sanctificationem carnis eius ante infusionem animae, ut in hac Litteia patet. » i° Auctor

seu D. Thomas hic non meminit expresse ; sed expresse in terminis meminit, ***III***. *Seni.* dist. 3. q. 1. a. 1. sol. 2. dicens « Ad secundam quaestionem (utrum B. Virgo ante animationem sanctificata fuerit) dicendum, quod sanctificatio B. Virginis non potuit esse decenter ante infusionem animae, quia gratiae capax nondum erat ; sed nec etiam in *ipso instanti infusionis,* ut sc. per gratiam tunc sibi infusam conservaretur, ne culpam originalem incurreret. Christus enim hoc singulariter in humano genere habet, ut redemptione non egeat, quia caput nostrum est ; sed omnibus convenit redimi per ipsum. Hoc autem esse non posset, si alia anima inveniretur quae *nunquam* originali macula fuisset infecta ; et ideo nec B. Virgini nec alicui, praeter Christum, hoc concessum est.

2° Ergo talis opinio iam erat adinventa tempore D. Thomae; et S. Bonaventura facit quoque mentionem expressam de hac opinione aliquorum theologorum, ut supra dictum est[1], et reiicit illam, sicut hic reiicitur a D. Thoma et in eodem sensu quo hic reiicitur ; nam, teste S. Bonaventura, sensus erat : *Animam B. Virginis sanctificatam fuisse in ipso instanti infusionis, ita quod prius firioritatc naturae anime intclligalur sanctificari quam uniri carni.* Unde a D. Ihoma *reiicitur;* quia sic persona B. Virginis iam non egeret redemptione. « Et si *quocumque modo* ante animationem B. Virgo sanctificata fuisset, *nunquam* incurrisset maculam originalis culpae, et ita non indiguisset redemptione et salute quae est per Christum. » 30 Utique; omnes communiter tenebant B. Virginem conceptam in peccato originali ; sed non omnes absolute, nam hoc non tenebant qui docebant B. Virginem sanctificatam fuisse in parentibus aut in carne ante animationem. 40 Equidem : qui communiter tenebant, omnes tenebant ; sed non omnes simili modo explicabant ; nam quidam eorum tenebant B. Virginem conceptam in peccato originali, et nonnisi post aliquam morulam temporis sanctificatam fuisse ; alii vero tenebant B. Virginem sanctificatam fuisse post contractionem peccati originalis, sed posterioritate vel temporis vel naturae. 50 Nec omnes reprobabant *sancti-*

1 Cap. 11.

ficationem carnis B. Virginis ante infusionem animae eius ; non reprobavit Lullius, non reprobavit Seotus, non reprobavit Galatinus ; et quod plus est, adhuc non reprobabant aliqui episcopi in vespere iam Dogmaticae definitionis, ut postea videbitur.

d) « Et propterea, loquendo secundum praesentis Litterae contextum, consequentia tenet ; quia a negatione sanctificationis anterioris, cum sua ratione, quia sc. contraxit peccatum originale, infertur, quod fuerit sanctificata po=t animationem. » i° Loquendo secundum praesentis Litterae contextum, consequentia non tenet ; quia contextus praesentis Litterae non reiicit nisi sanctificationem B. Virgini'· *quocumque modo* ante animationem ; sed non sanctificationem in ipso instanti temporis animationis. 2° Quia ratio fundamentalis, ratio efficax, non est quidem *quia contraxit peccatum originale;* sed quia, si « *nunquam incurrisset maculam originalis culpae* », si « *nullo modo contraxit originale peccatum* . « ita non indiguisset redemptione et salute quae est per Christum », ct « hoc derogaret dignitati Christi, secundum quam est universalis omnium Salvator ». Haec est ratio negationis sanctificationis anterioris ad animationem carnis. Atque huiusmodi ratio, quae est efficax, non necessario importat nisi quod B. Virgo contrahat peccatum originale *aliquo modo,* videlicet, quantum sufficiat ad necessitatem personalem redemptionis. 30 Atque exinde, ex tali ratione non infertur in bona logica necessario nisi quod sanctificatio fuerit post animationem posterioritate naturae et ordinis.

e) « Et clare patet, quod sequela haec est efficax ; quoniam impossibile est in uno eodemque instanti contrahere peccatum originale et sanctificari ab illo. Stat ergo Littera solida, quamvis non sollicita de illa media opinione, tunc inopinabili. » i° Non est efficax talis sequela ; quoniam, etsi impossibile sit in uno eodemque instanti temporis *contrahere actu* originale peccatum ct *sanctificari* ab illo, nam idem esset ac carere gratia simulque gratiam in eodem instanti temporis habere : est tamen certe possibile simul tempore *sanctificari* a peccato originali et *habere debitum* seu *necessitatem* illud contrahendi. 2° Illa opinio non erat *tunc inopina-*

bilis; sed, ut iam indicatum est, plures ita opinabantur, licet non omnes illam opinionem dc primo instanti infusionis recte intelligebant. 30 Stat ergo *Littera* D. Thomae solida, et solida D. Thomae doctrina, et solidus ac verus *Litterae* spiritus, interpretando *post animationem* distinctive : vel *tempore,* vel *natura:* ut magnificum dc hoc ipsemet Caietanus alio in loco perhibuit testimonium. Equidem :

Caietanus alio in loco revera optime interpretatus est corollarium D. Thomae : « Unde relinquitur, quod sanctificatio B. Virginis fuerit post eius animationem. » — En Caietani vere aureum Commentarium, quo tota D. Thomae doctrina circa peccatum originale, et B. Virginis a macula peccati praeservationem ac eiusdem sanctificationem, fit plana et facilis ad intelligendum, luceque splendida cum necessitate personali redemptionis mire componitur. Conclusiones enim et corollaria in doctrina D. Thomae eo modo sunt interpretanda et accipienda, quomodo argumenta et rationes D. Thomae concludunt, et inierunt, et usque ad ultimas consequentias et illationes per viam rectam deducunt. Quomodo ergo concludunt in hac materia rationes et argumenta D. Thomae, cum respondet dicendum : « *Secundum fidem catholicam firmiter est tenendum, quod omnes homines, praeter solum Christum, ex Adam derivati, peccatum originale ex eo contrahunt; alioquin non omnes indigerent redemptione quae est per Christum : quod est erroneum ?* » Caietanus ita sincere et aperte loquitur : « Ad fidem catholicam spectat, quod omnes, praeter solum Christum, contrahant peccatum originale. Quod dictum non intelligendum est aliter quam de *morte,* quae est poena peccati originalis ; ita quod sicut omnes incurrunt mortem, id est *necessitatem moriendi,* ita omnes incurrunt peccatum originale, id est, *necessitatem habendi peccatum originale.* Et sicut non spectat ad fidem, an singuli *moriantur actualiter,* an divina dispositione aliquis *non moriatur* : ita non spectat ad fidem, an aliquis, ex speciali praerogativa gratiae, *non incurrat actualiter* originale peccatum. De utroque enim simul dicit Apostolus, Rom. 5,12, : *Per*

unum hominem peccatum introivit in mundum; cl per peccatum, mors. Est igitur necessarium, secundum catholicam fidem, credere, quod omnis utriusque sexus ab Adam secundum rationem seminalem proveniez, ex ipsa sua generatione sit obnoxius peccato originali. Et contra Pelagianos, dicentes oppositum, Augustinus disserit et definit. De solo autem lesu Christo verum est, quod ex ipsa generatione nulli obnoxius est peccato ; iuxta verbum Angeli ad Beatam Virginem ante Filii conceptionem, quae vocatur nativitas in utero, dicentis Luc. i, 35. : *Quod ex te nascetur Sanctum*. Et iuxta hunc sensum militat ratio Auctoris (D. Thomae), sc. quia aliter non indigerent redemptione quae per lesum Christum facta est. Si enim peccatum originale, vel *in actu* vel *in necessitate habendi illud*·, quis non incurreret, non egeret redemptione : quod haereticum esset dicere. Sed, si omnes obnoxii sunt peccato originali, *sufficit* ad indigentiam redemptionis ; neque enim solum redemptione eget *actualiter captivus,* sed etiam *obnoxius captivitati.* Et bene notabis tu, thomista, ne nimio zelo, non secundum scientiam, accensus, erronea dicas quae erronea non sunt, cum de Beatissimae Virginis Conceptione disputas aut praedicas *. » Haec vere et sapienter et solemniter edixit Caietanus ; hic Caietanus minime dormitavit ; sed intento ac vigilantissime animo doctrinam fundamentalem D. Thomae circa peccatum originale, circa necessitatem redemptionis, et circa praeservationem B. Virginis a culpa originali et ab originalis culpae macula, optime et pulcherrime et rectissime declaravit.

Ergo in via D. Thomae, Beata Virgo sanctificata fuit post animationem, *vel tempore vel natura.* Immo, D. Thomas, in ipsamet responsione ad 2., postquam dixit « si *nunquam* anima Beatae Virginis fuisset contagio originalis peccati inquinata, hoc derogaret dignitati Christi, secundum quam est universalis omnium Salvator » : immediate addit velut corollarium legitimae consequentiae ex omnibus allegatis ac probatis in eodem Articulo secundo : « Et ideo sub Christo, qui salvari non indiguit, tamquam universalis

* I.-II q. 81. a. 3. — *Commentarium* Caietani

Salvator, *maxima fuit Beatae Virginis puritas.* Nam Christus *nullo modo* contraxit originale peccatum. » Non esset autem sub Christo maxima Beatissimae Virginis puritas, si a macula actuali peccati originalis non fuisset praeservata immunis. Christus namque nullo modo contraxit originale peccatum, nec actu nec in necessitate illud incurrendi; Virgo Mater Christi, cuius puritas est maxima post Christi Filii eius puritatem, contraxit quidem originale peccatum, non actu, sed in necessitate tantummodo incurrendi illud. Quia ergo Beatissima Virgo salvari indiguit, *debuit* incurrere originalis peccati maculam ; quia vero eius puritas sub Christo Salvatore fuit maxima, ideo ab actuali macula *debuit* esse praeservata immunis, eo ipso, quod « sub puritate, quae soli Homini-Deo debebatur, *maximam* Virgo Mater eius habere debuit » : ut in terminis respondet ad idem argumentum sibi propositum D. Thomas, *III. Sent.* dist. 3. q. i. a i. sol. 2. ad 3.

En porro D. Thomas declarans suum famosum *Corollarium : « Unde relinquitur, quod sanctificatio Beatae Virginis fuerit post eius animationem.* » Post cius animationem, *posterioritate* dumtaxat *naturae* et *ordinis.*

Ergo, iuxta doctrinam D. Thomae atque per viam D. Thomae recte ambulando, Beatissima Virgo fuit sanctificata in primo istanti temporis suae animationis, ita quod prius, prioritate ordinis ac naturae, intelligatur animam eius carni uniri quam per gratiam sanctificari. Atque ita *sub Christo qui salvari non indiguit, tamquam universalis Salvator,* maxima *fuit Beatae Virginis* puritas.

CAPUT DECIMUM TERTIUM

Via D. Thomae est recta via perveniendi ad Immaculatam usque Virginis Conceptionem ex morte Filii Dei praevisa.

Conspectus totius quaestionis XXVII h

Tota doctrina D. Thomae circa primam sanctificationem Beatissimae Virginis reducitur veluti ad praecipua capita ad subséquentes conclusiones, videlicet :

Conclusio prima. — Rationabiliter creditur, quod Beatissima Virgo sanctificata fuerit antequam ex utero nasceretur. (Art. i.)

Arg. i. *Ex auctoritate Ecclesiae.* — Ecclesia enim celebrat Beatissimae Virginis nativitatem. Non autem celebratur festum in Ecclesia nisi pro aliquo sancto. Ergo Beatissima Virgo in ipsa sua nativitate fuit *sancta.* Fuit ergo in utero sanctificata.

Arg. 2. *Ex co, quod in S. Scriptura traditur.* — De sanctificatione Beatissimae Virginis Mariae, quod sc. fuerit sanctificata in utero, nihil in Scriptura Canonica *expresse* traditur, quae etiam nec de eius nativitate mentionem facit. Quamvis autem sanctificatio Beatae Virginis in utero *expresse* in Scriptura Veteris et Novi Testamenti non legatur, tamen pro certo haberi potest ex his quae ibi leguntur. Si enim loannes et leremias, qui Christum praenuntiaverunt, sanctificat! sunt, multo magis Virgo quae Christum genuit. Rationabiliter enim creditur, quod illa, quae genuit *Unigenitum a Patre, plenum gratiae et veritatis,* prae omnibus aliis maiora

privilegia gratiae acceperit. Unde et legitur Luc. i, 28. *Angelus ei dixit : Ave, gratia plena.* Invenimus autem quibusdam aliis hoc privilegium esse concessum, ut in uteio sanctificarentur: sicut leremias, cui dictum est, lerem. 1,5. *Antequam exires de vulva, sanctificavi te;* et sicut loannes Baptista, de quo dictum est, Lue. 1, 15. : *Spiritu Sancio replebitur adhuc ex utero matris suae.* Unde rationabiliter credi-tur, quod Beata Virgo sanctificata fuerit antequam ex utero nasceretur. Ita D. Thomas, III. q. 27. a. 1. — *III. Seni.* dist. 3. q. i. a. 1. sol. 3. — *Compend. Theol.* cap. 232.

Arg. 3. *Ex illo axiomate:* Potuit, voluit, fecit. — « Sicut tamen Augustinus (ait D. Thomas) rationabiliter argumentatur, quod cum corpore sit assumpta (B. Virgo) in coelum, quod tamen Scriptura non tradit : ita etiam rationabiliter argumentari possumus, quod fuerit sanctificata in utero. » Argumentum autem, quo Augustinus suadere conatur Assumptionem B. Virginis in coelum, tale est : quia Christus *poluil* Matrem suam sine corruptione in perpetuum servare; si ergo *potuit,* voluit ; si ergo *voluit, fecit.* Per hanc viam ostendit S. Augustinus Virginem Matrem assumptam fuisse anima et corpore in coelum ; per hanc quoque viam rationabiliter argumentatur D. Thomas Virginem Matrem Dei sanctificatam fuisse antequam ex utero nasceretur ; per hanc eandem viam rationabiliter argumentari etiam possumus simili modo ad concludendum Virginem Matrem Dei sanctificatam fuisse in *primo instanti* temporis suae animationis, ideoque ab omni labe originalis culpae per gratiam suae primae sanctificationis praeservatam fuisse. Deus namque *potuit, voluit, fecitl.*

l En textum ad litteram huiusce argumenti S. Augustini, quod D. Thomas asserit in hac materia dc sanctificatione B. Virginis esse *rationabile.* ﴿ De cuius (Christi) potestate si nullus dubitet ecclesiasticorum, quin *possit* Matrem sine corruptione in perpetuum servare : cur dubitandum est *voluisse* quod attinet ad tantae benignitatis gratiam ? ... Christus autem *Dei Virtus* est et *Dei Sapientia* (1 Cor., i, 24.), cuius sunt omnia quae sunt *iusta* et *digna.* Ac per hoc videtur digne lactari Maria, laetitia inenarrabili, *anima* et *corpore.* l (Sermo *De Assumptione,* cap. *8.* — Migne, *Patrol. Lat.,* t. XL, *Opera S. August.,* t. VI.) j

I 2

Conclusio secunda. — Beatissima Virgo Maria Mater Dei non fuit sanctificata, nisi postquam cuncta eius perfecta sunt, sc. et corpus et anima. — Et ideo ante infusionem animae rationalis Beata Virgo sanctificata non fuit. — Unde relinquitur, quod sanctificatio Beatae Virginis fuerit post eius animationem. (Art. 2.)

Arg. i. *Ex S. Scriptura.* — Per sanctificationem tabernaculi, de qua dicitur Ps. 48, 5. : *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus,* videtur significari sanctificatio Matris Dei, quae tabernaculum Dei dicitur, secundum illud Ps. 8, 6. : *In sole posuit tabernaculum suum.* Etenim ea, quae fuerunt in Veteri Testamento, sunt figura Novi, secundum illud *I. Cor.,* 10, 12. : *Omnia in figura contingebant illis.* Sed de Tabernaculo dicitur Exod. 31. : *Postquam cuncta perfecta sunt, operuit nubes tabernaculum testimonii, et gloria Domini implevit illud.* Ergo etiam Beata Virgo non fuit sanctificata, nisi postquam cuncta eius perfecta sunt, sc. et *corpus* et *anima.*

Arg. 2. *Ex ordine in partibus constitutivis humanae naturae.* — In partibus quibus hominis natura substantialiter constituitur, est talis ordo, quod anima est Deo propinquior, quam corpus. Sed virtus alicuius agentis prius pervenit ad ea quae sunt sibi propinquiora, et per ea ad magis distantia. Ergo gratia sanctificationis a Deo venit ad *corpus* per *animam;* ergo, antequam animaretur, sanctificari non potuit.

Arg. 3. *Ex necessitate personali redemptionis.* — Oportet enim ponere, quod omnes, qui ex Adamo per generationem derivantur, indigent redemptione Christi, non solum ratione naturae, sed etiam ratione suae propriae personae. Sed humana persona constituitur ex anima rationali et corpore per animam rationalem informato et animato. Ergo ante animationem Beata Virgo sanctificata non fuit.

Arg. 4. *Ex subtecto gratiae sanctificantis.* — Sanctificatio, de qua loquimur, non est nisi emundatio per gratiam sanctificantem. Sed gratiae sanctificantis subiectum est sola

creatura rationalis. Ideo ante infusionem animae rationalis Beata Virgo sanctificata non fuit.

Arg. 5. *Ex eo, quod Christus est Redemptor omnium hominum.*—Christus est Salvator et Redemptor omnium hominum. Sed, si quocumque modo ante animationem B. Virgo sanctificata fuisset, iam non indiguisset redemptione et salute quae est per Christum. Unde relinquitur, quod sanctificatio B. Virginis fuerit post eius animationem, vel *posterioritate* temporis, vel saltem *posterioritate* naturae et ordinis : ut supra manet declaratum. Ita I). Thomas

§ 3

Conclusio tertia. — Restat ergo, ut dicamus, quod vel totaliter fomes fuerit ab ea sublatus per primam sanctificationem ; vel, si remanserit, quod fuerit ligatus. Videtur melius dicendum, quod per sanctificationem in utero non fuit sublatus fomes secundum essentiam ; sed remanserit ligatus, et postmodum in ipsa conceptione carnis Christi totaliter sublatus. (Art. 3.)

i° Ad tertiae conclusionis intellectum oportet considerare, quod fomes nihil est aliud quam *inordinata concupiscentia sensibilis appetitus; habitualis* tamen, quia *actualis concupiscentia* est motus peccati. Dicitur autem concupiscentia sensualitatis esse *inordinata,* in quantum repugnat rationi; quod quidem fit, in quantum inclinat ad malum vel difficultatem facit ab bonum. Et ideo ad *ipsam rationem* fomitis pertinet, quod inclinet ad malum vel difficultatem faciat in bono. Fomes autem peccati dicitur *libido quasi habitualiter,* id est, inordinatio virium nimia, ex qua est in nobis pronitas ad inordinate concupiscendum ; atque huiusmodi habitualis libido, ex carentia iustitiae originalis proveniens, intelligitur esse *peccati originalis causa;* omne enim generans generat sibi simile in natura ; unde, cum haec sit conditio naturae humanae iustitia originali destitutae, ut talis inordinatio

l ***III.*** q. 27. a. 2. — ***III.*** *Seni.* dist. 3. q. 1. a. 1. sol. 2. — *Cotnpend. Theol.* cap. 232.

virium animae in ea existât, constat quod etiam talis conditio in prole remanebit.

2° Quid sit *fomitcm ligari,* et quid sit *fomitem totaliter tolli.* Fomes ligari dicitur, dum per abundantiam gratiae sensualitas ab omni inordinato motu prohibetur, ita quod nunquam *contra rationem* moveatur, quamvis haberi possint *aliqui motus subiti* non ordinati ratione. Fomitem vero totaliter tolli importat multo plus, nempe : *a)* quod tabs sit dispositio virium animae, ut nunquam *contra rationem* moveantur ; *b)* ut nunquam moveantur *sine arbitrio rationis,* ideoque impediantur etiam *motus subiti non ordinati ratione; c)* ut etiam, fomite totaliter sublato, tolleretur quoque peccati originalis in prolem transmittendi causa. Etenim talis gratia sanctificationis habuerit *vim originalis iustitiae.* Undehuiusmodi est sanctificatio totius naturae inchoata, quae in resurrectione complebitur. Ex quibus concludit D. Thomas :

3° « Ideo, sicut ante *immortalitatem carnis Christi resurgentis* nullus adeptus fuit *carnis immortalitatem,* ita inconveniens videtur dicere, quod ante Christi *carnem,* in qua nullum fuit peccatum, *caro* Virginis Matris eius vel cuiuscumque alterius fuerit absque fomite, qui dicitur lex carnis sive membrorum. Et ideo videtur melius dicendum, quod per sanctificationem in utero non fuerit sublatus B. Virgini fomes secundum essentiam, sed remansit ligatus ; non quidem per *actum* rationis suae, sicut in viris sanctis ; quia non statim habuit usum liberi arbitrii, adhuc in ventre matris existons ; hoc enim est speciale privilegium Christi ; sed per *abundantiam* gratiae, quam in sanctificatione recepit, et etiam perfectius per divinam providentiam, sensualitatem eius ab omni inordinato motu prohibentem. Postmodum vero in ipsa conceptione carnis Christi, in qua primo debuit refulgere peccati immunitas, credendum est, quod ex prole redundaverit in Matrem, *totaliter fomite subtracto.* Et hoc figuratur, Ezech. 43, 2, ubi dicitur : *Ecce gloria Dei Israel ingrediebatur per viam orientalem,* id est, per Beatam Virginem ; *ct terra,* id est caro ipsius, *splendebat a maiestate eius,* sc. Christi... B. Virgo a fomite mundata fuit, secundum quod inclinat ad *actus personales,* per primam

sanctificationem ; non autem remota est illa inclinatio, secundum quam fomes est *infectivus naturae;* sed hoc factum per secundam sanctificationem, ut quidam dicunt ; et ideo *illud,* quod erat in B. Virgine ordinatum ad *propagationem naturae,* peccato obnoxium erat ; quamvis erat a peccato mundatum, secundum quod ad *personam* pertinebat. »

Unde, secundum doctrinam D. Thomae, in B. Virgine appetitus sensitivus sic fuit semper rationi subiectus per virtutem gratiae ipsum sanctificantis, quod nunquam contra rationem movebatur, sed secundum ordinem rationis ; et postmodum in ipsa conceptione Christi, fomite totaliter sublato, gratia sanctificationis in Virgine habuit, quantum ad hoc, vim originalis iustitiae. Ita quod, ut ipse D. Thomas scribit : « Dicendum, quod, si per impossibile ponatur Beatam Virginem, post secundam sanctificationem, alium filium ex carnali copula concepisse, ille filius peccatum originale habuisset, non ex parte matris, sed ex parte patris. Si vero ponatur illum patrem pari modo sanctificatum fuisse, sicut Beata Virgo in sanctificatione secunda, ille filius peccatum originale non habuisset L »

§ 4

Conclusio quarta. — Per primam sanctificationem Beatissima Virgo Mater Dei consecuta fuit, ut nunquam peccaret; et ideo simpliciter fatendum est, quod B. Virgo nullum actuale peccatum commisit, neque mortale neque veniale ; ut sic in ea impleretur quod dicitur Cantic. 4, 7. : Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te. (Art. 4.)

Arg. i. *Ex auctoritate S. Augustini.* — Lib. *Dc natura et gratia,* cap. 36. : « De Sancta Virgine Maria, propter honorem Christi, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quaestionem ; inde enim scimus, quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum ex omni parte peccatum, quod concipere ac parere meruit Eum, quem constat nullum habuisse peccatum. »

l *Sum. theol.* III. q. 27. a. 3. — ***III.*** *Seni.* dist. 3. q. 1. a. 2. — *Comp, theol.* cap. 232. — ***II.*** *Sent.* dist. 31. q. 1. a. 1. ad 5.

Arg. 2. *Ex divina Virginis malernilate.* — Non est dubifandum, quin Deus per suam gratiam B. Virginem ad hoc idoneam reddidit, ut esset Mater Dei, secundum quod Angelus ad eam dicit, Luc. 1, 30. : *Invenisti gratiam apud Deum: ecce concipies, ct paries filium, et vocabis nomen eius lesum.* Etenim illos, quos Deus ad aliquid eligit, ita praeparat et disponit, ut ad id, ad quod eliguntur, inveniantur idonei, secundum illud II. Cor. 3, 6. : *Idoneos nos fecit ministros novi Testamenti.* Sed Beatissima Virgo non fuisset idonea Mater Dei, si *peccasset aliquando: a)* quia honor parentum redundat in prolem ; unde et per oppositum ignominia Matris ad Filium redundasset ; *b)* quia singularem affinitatem habuit ad Christum, qui ab ea carnem accepit ; c) quia etiam singulari modo Dei Filius, qui est Dei Sapientia, in ipsa habitavit, non solum in anima, sed etiam in utero. Simpliciter ergo fatendum est, quod Beata Virgo nullum actuale peccatum commisit, nec mortale nec veniale, ut sic in ea impleatur quod dicitur Cant. 4,7. : 7 *ota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.*

Corollarium. — Ergo fatendum quoque simpliciter est Beatam Virginem nunquam habuisse actu originale peccatu II prout habet rationem culpae. — Per hanc quidem eandem viam facillimus est ascensus perveniendi usque ad praeservationem B. Virginis Matris Dei ab omni originalis peccati macula. Ex iisdem namque rationibus, quibus D. Thomas ostendit, quod Beata ATrgo non fuisset idonea Mater Dei, si peccasset aliquando peccato personali, sive mortaliter sive venialiter, legitime etiam concludi potest, iuxta ipsius D. Thomae doctrinalia principia, Beatam Virginem non fuisse pariter idoneam Matrem Dei, si habuisset aliquando originale peccatum *prout habet rationem culpae.* Unde, iuxta ipsum D. Thomam, necesse est quoque ponere Beatam Virginem nunquam caruisse gratia sanctificante, etsi ea in primo instanti animationis carere *debuisset;* nunquam incurrisse *actu* culpam originalis peccati, etsi ratione propagationis naturalis ct ratione propriae personae *debuissit* incurrere, nunquam maculam seu privationem nitoiis, ex carentia gratiae provenientem, habuisse, tametsi obnoxia fuisset

necessitati habendi illam. Siquidem omnis ratio culpae a Beata Virgine removenda est, ac proinde ipsummet originale peccatum eo modo quo *rationem culpae* in personis filionim Adami habere dicitur. Etenim iam non fuisset Beata Virgo idonea Mater Christi, si *peccassct aliquando,* sive peccato mortali, sive peccato veniali, sive peccato originali *actualiter* contracto : i° quia honor parentum redundat in prolem, ac per oppositum ignominia Matris ad Christum eius filium redundaret ; 2° quia Beata Virgo singularem affinitatem habuit ad Christum, qui ex ea secundum carnem natus est; 3° quia etiam singulari modo Dei Filius, qui est Dei Sapientia et Dei Virtus, in ipsa habitavit, non solum in anima, verum etiam in utero. Oportet ergo ponere Beatam Virginem fuisse sanctificatam in primo temporis instanti suae animationis ; id est, *post animationem,* sola postcrioritate ordinis et naturae. Unde ipsemet Angelicus Doctor, I.-II. q. 8i. a. 5. ad 3. : « Quia oportebat, ut Mater Dei maxima puritate niteret ; non enim est aliquid digne receptaculum Dei nisi sit mundum, secundum illud Ps. 92, 5. : *Domum tuam, Domine, decet sanctitudo.* »

I 5

Conclusio quinta. — Per primam sanctificationem Beatissima Virgo Maria tantam gratiae obtinuit plenitudinem, ut per eam redderetur idonea ad hoc. quod esset Mater Christi, et ut esset propinquissima Auctori gratiae ; ita quod Eum, qui est plenus omnis gratiae, in se reciperet; et Eum pariendo, quodammodo gratiam ad omnes derivaret. (Art 5.)

Arg. i. *Ex S. Scriptura.* — Luc. 1, 28. : *Ave, gratia plena.* Quorum quidem verborum sensus declaratur a D. Thoma in hoc Art., dum quaerit : *Utrum Beata Virgo per huiusmodi sanctificationem adepta fuerit plenitudinem omnium gratiarum.* Ad intelligentiam enim verborum, quibus Angelus salutavit Beatissimam Virginem, non quidem ad grammaticos, sed ad Doctores et Patres Ecclesiae oportet adire. Quamvis enim in cortice *Litterae* non videatur significari nisi *gratiosa, gratificata,* si grammatico spiritu perpendatur : attamen sub his verbis Ecclesia, ad quam pertinet de vero sensu Sacrae

Scripturae indicare, investigabiles divitias Christi Virgini-Matri collatas semper legendo intellexit ; ita etiam Ambrosius, ita Augustinus, ita Hieronymus, ita Bernardus, ita omnes Ecclesiae Patres ac Doctores, qui hunc Evangelii textum ex professo declarantes evolverunt. Unde frivolum erit hic velle e grammatica in contra argumentari. Patres itaque et Doctores audiamus loquentes :

a) S. Hieronymus, *Serm. de Assump. Virg.* : « Qualis et quanta esset Beata et Gloriosa semper Virgo Maria, ab Angelo divinitus declaratur, cum dicitur : *Ave, gratia plena; Dominus fecum; benedicta tu in mulieribus.* Talibus namque decebat Virginem oppignerari muneribus, ut esset gratia plena ; quae dedit coelis gloriam, terris Dominum, pacemque refudit, fidem gentibus, finem vitiis, vitae ordinem, moribus disciplinam. Et *bene plena ;* quia ceteris per partes praestatur; Mariae vero simul se tota infundit plenitudo gratiae. *Vere plena ;* quia etsi in sanctis Patribus et Prophetis gratia fuisse creditur, non tamen eatenus plena ; in Mariam vero totius gratiae, quae in Christo est, plenitudo venit, quamquam aliter. »

b) S. GermanuS, *In Praesent. Deiparae:* « Ave, Maria, gratia plena, sanctis sanctior, et coelis excelsior, et Cherubim gloriosior, et Seraphim honorabilior, et super omnem creaturam venerabilior. »

c) S. Epiphanius, *De laudib. Deiparae:* « Gratia sanctae Virginis est immensa. Hinc Gabriel in primis salutat Virginem, dicens : *Ave, gratia plena,* quae es splendidum coelum. *Ave, gratia plena,* multis virtutibus exornata Virgo. *Ave, gratia plena,* quae es urna continens manna coeleste. *Ave, gratia plena,* quae sitientes perennis fontis dulcedine satias. *Ave, Sanctissima Mater Immaculata,* quae genuisti Christum qui est ante te. *Ave, purpura regia,* quae coeli terraeque Regem induisti. *Ave, liber incomprehensus,* quae Verbum et Filium Patris mundo legendum exhibuisti. »

d) S. Bernardus, Homil. 3. super *Missus est* : « Ingressus Angelus ad eam dixit : *Ave, gratia plena, Dominus tecum.* Legimus in Actibus Apostolorum, et Stephanum plenum gratia, et Apostolos fuisse repletos Spiritu Sancto ; sed longe

dissimiliter a Maria. Alioquin nec in illo habitavit plenitud- Divinitatis corporaliter, quemadmodum in Maria, nec illi conceperunt de Spiritu Sancto quomodo Maria. *Ave,* inquit. *gratia plena, Dominus tecum.* Quid mirum, si gratia plen:· erat, cum qua Dominus erat ? »

Arg. 2. *Ex divina Virginis maternitate.* — Quanto aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tanto magri participat effectum illius principii. Christus autem est principium gratiae, secundum Divinitatem quidem *auctoritalivc,* secundum Humanitatem vero *instrumentaliter.* Unde dicitur Ioan, i, 17. : *Gratia et verilas per lesum Christum facta est.* Sed Beatissima \zirgo propinquissima Christo fuit secundum humanitatem ; quia ex ea accepit humanam naturam. Ide< prae ceteris, sive angelis sive hominibus, sh e quoad extensionem sive quoad intensionem, maiorem debuit a Christo gratiae plenitudinem obtinere.

§ 6

Conclusio sexta. - Per huiusmodi primam sanctificationem in utero, Beatissima Virgo, quae fuit a Deo electa in matrem, ampliorem sanctificationis gratiam obtinuit quam loannes Baptista et leremias, qui sunt electi ut speciales praeflguratores sanctificationis Christi. (Art. 6.)

Arg. i. *Ex electione Virginis ad divinam Matcrnitatem.* — Unicuique a Deo datur gratia, secundum hoc ad quod eligitur. Unde et quia Christus, in quantum est homo, ad hoc fuit praedestinatus et electus, ut esset Filius Dei in virtute sanctificandi, hoc fuit ei proprium ut haberet talem plenitudinem gratiae, quod redundaret in omnes, secundum quod dicitur Ioan, i, 16. : *De plenitudine eius nos omnes accepimus.* Sed Beatissima Virgo fuit a Deo electa in Matrem Christi ; loannes vero Baptista et leremias fuerunt electi ut speciales praefiguratores sanctificationis Christi. Ergo Beata Virgo ampliorem sanctificationis gratiam obtinuit quam loannes Baptista et leremias ; et tantam gratiae obtinuit plenitudinem, ut esset propinquissima Auctori gratiae ; ita quod Eum, qui est plenus omni gratia, in se reciperet ; et Eum pariendo,

quodammodo gratiam ad omnes derivaret (q. 27. a. 5. ad I. ; et a. 6. ad 1.).

Arg. 2. *Ex ipsomel effectu sanctificationis.* — Ita I). Thomas, III· q. 27. a. 6. ad 1. : « Cuius signum est, quod B. Virgini praestitum est, ut de cetero non peccaret, nec mortaliter nec venialiter ; aliis autem sanctificatis creditur prae-titum esse, ut de cetero mortaliter non peccarent, divina eos gratia protegente. » Et *III. Seni.* dist. 3. q. 1. a. 2. sol. 1. ad 4. : « Dicendum, quod illa sanctificatio Beatae Virginis excellentior fuit sanctificationibus aliorum, quod sic patet : In sanctificatione enim, quae fit per legem communem in sacramentis, tollitur culpa, sed remanet fomes inclinans ad peccatum mortale et veniale ; sed in sanctificatis ex utero non manet fomes, secundum quod inclinans est ad mortale ; sed tamen remanet inclinatio fomitis ad venialia, ut patet in leremia et loanne Baptista, qui peccatum actuale habuerunt, non mortale, sed veniale. Sed in Beata Virgine inclinatio fomitis omnino sublata fuit, et quantum ad veniale, et quantum ad mortale ; et quod plus est, ut dicitur, gratia sanctificationis non tantum repressit in ipsa motus illicitos, sed etiam in aliis efficaciam habuit, ita ut, quamvis esset pulchra corpore, a nullo unquam concupisci potuit. »

Observatio. — Utrum sic sanctificari sit proprium Beatae Virginis. — *Sic* autem *sanctificari,* potest intelligi tripliciter :

a) In sensu explicato in Art. primo huius quaestionis 27. *De B. Virginis Mariae sanctificatione,* nempe ante nativitatem ex utero ; atque in hoc sensu quaerit D. Thomas in a. 6. ; *Utrum sic sanctificari luerit proprium Beatae Virginis.* Quod quidem apparet ex modo procedendi et concludendi, dum arguit in contra concludens : « *Ergo sola ipsa* (B. Virgo) *fuit sanctificata in utero.* » « *Ergo neque etiam Ieremiae et loanni Baptistae convenit sanctificari in utero.* » « *Ergo neque etiam loannem Baptistam et Ieremiam cogimur dicere sanetificaios in utero.* » Et sic, in isto sensu, respondet D. Thomas, et cum D. Thoma oportet respondere, quod non fuit proprium Beatae Virginis in utero sanctificari ; cum huiusmodi privilegium collatum fuerit tam leremiae quam

loanni Baptistae. Unde ex hoc facto, de quo fit expressa mentio in Sacra Scriptura, infert D. Thomas in Art. i° huius quaestionis, quod rationabiliter creditur, quod Beata Virgo sanctificata fuerit antequam ex utero nasceretur.

b) In sensu amplioris gratiae receptae in huiusmodi prima sanctificatione ; et tunc *sic sanctificari,* proprium Beatae Virginis est. Unde I). Thomas in hoc Art. 6. ad i. respondet dicendum, quod : « Beata Virgo, quae fuit a Deo electa in Matrem, amplioris sanctificationis gratiam obtinuit quam loannes Baptista et leremias, qui sunt electi ut speciales praefiguratores sanctificationis Christi. » Nullus quippe sanctus fuit ita plenus gratia sicut Beatissima Ahrgo, quae, eo ipso quod genuit *Unigenitum a Patre, plenum gratiae et veritatis,* prae omnibus aliis maiora gratiae privilegia accepit, et *plena gratia* ab Angelo salutatur, et *Mater divinae gratiae* ab Ecclesia dicitur ac praedicatur.

c) In hoc denique sensu, quod videlicet sanctificatio facta fuerit in *primo instanti suae animationis ;* et hoc planum est, quod etiam est proprium Beatissimae Virginis. Sed in isto sensu D. Thomas non loquitur, nec ullam facit expressam mentionem in tota ista quaestione 27. ; in qua, quoad tempus, duo solummodo Angelicus Doctor determinavit, nimirum i° *quod Beatissima Virgo fuit sanctificata ante nativitatem ex utero;* 2° *quod Beatissima Virgo non fuit sanctificata ante animationem.* Itaque ex omnibus sex conclusionibus per totidem articulos huiusce quaest. 27. nihil est immutandum, nihilque corrigendum ; sed omnes ac singulae manent firmae atque stabiles ; et adhuc stabiliores, quia per Bullam Dogmaticam *Ineffabilis Deus* redduntur clariores. Si enim Angelicus Doctor iterum hodie scripserit hanc sic pulchre ordinatam quae-tionem *de sanctificatione Beatissimae Virginis,* tantummodo adiungeret et declararet : i° In a. 2. : *Relinquitur, quod sanctificatio Beatae Virginis fuerit post eius animationem, non posterioritate temporis, sed naturae et ordinis dumtaxat;* determinando id, quod veluti ex intentione videtur reliquisse indeterminatum. 20 Et deinde in eodem Articulo 2. in responsione ad 3. loco dicendi : *Quo tempore sanctificata fuerit, ignoratio ,* diceret nunc : *Scimus, quod in primo instanti suae*

animationis. 30 Atque inter articulum 2. et 3. interponeret articulum hodie interponendum, videlicet : *Utrum sit de fide, quod Beata Virgo sanctificata fuerit in -primo instanti suae animationis* ? Et rationes theologicae, quae leguntur scriptae in Art. 4. ad concludendum, quod Beatissima Virgo per primam sanctificationem in utero praeservata fuit immunis ab omni peccato, militarent pariter pro novo Articulo addendo in hac famosa quaestione, quoniam similiter concludunt, quod *Beatissima Virgo praeservata fuit immunis ab omni originalis culpae labe. Non autem* (ait D. Thomas) *fuisset idonea Mater Dei,* si peccasset aliquando. Non fui—et ergo Beatissima Virgo idonea Mater Dei, si originale peccatum, prout habet rationem culpae, ac perinde maculae, incurrisset *actualiter* aliquando.

II

De plenitudine gratiae, quam B. Virgo per suam sanctificationem adepta fuit.

Triplex perfectio gratiae in Beata Virgine. — Ita descri-
bitur ac definitur a D. Thoma, III. q. 27. a. 5. ad 2. : « Dicen-
I dum, quod in rebus naturalibus primo quidem est *perfectio dispositionis,* puta, cum materia est perfecte ad formam disposita. Secundo autem est *perfectio formae,* quae est potior ;
I nam et ipse calor est perfectior qui provenit ex forma ignis, quam ille qui ad formam ignis disponebat. Tertio autem est *perfectio finis;* sicut ignis perfectissime habet proprias qualiI tates, cum ad locum suum pervenerit. Et similiter in Beata Virgine fuit *triplex perfectio gratiae.* Prima quidem, quasi dispositiva, per quam reddebatur idonea ad hoc, quod esset Mater Christi ; et haec fuit perfectio sanctificationis. Secunda autem perfectio gratiae fuit in Beata Virgine ex praesentia Filii Dei in eius utero incarnati. Tertia autem est perfectio finis, quam habet in gloria. Quod autem secunda perfectio sit potior quam prima, et tertia quam secunda, patet quidem uno modo per *liberationem a malo:* nam primo in sua sanctificatione fuit *liberata a culpa originali ;* secundo, in conceptione Filii Dei fuit *totaliter a fomite mundata;* tertio vero, in

sui glorificatione, fuit *liberata etiam ab omni miseria.* Alio modo *per ordinem ad bonum:* nam primo in sua sanctificatione adepta est *gratiam inclinantem ad bonum;* in conceptione autem Filii Dei consummata est eius *gratia confirmans eam in bono;* in sui vero glorificatione consummata est eius *gratia perficiens in fruitione omnis boni.* »

Triplex primae sanctificationis effectus. — Per primam itaque sanctificationem, qua Beatissima Virgo post animationem in utero sanctificata fuit : i° a peccato originali fuit liberata, et quantum ad maculam et quantum ad reatum; 2° fuit emundata a fomite, vel quia ex toto fomes sublatus est, vel saltem impeditus est per gratiam sanctificantem ne in peccatum inclinaret aut a bono retraheret ; 30 et adepta est talem gratiam, qua deinceps redderetur immunis ab omni actuali peccato, sive mortali sive veniali, et disponeretur ac fieret idonea ad hoc, quod esset Mater Christi. Hunc triplicem effectum gratiae, qua Beatissima A'irgo in prima sua sanctificatione refulsit, ita declarat ac probat D. Thomas, ***III.*** *Sent.* dist. 3. q. 1. a. 2. :

i° *Ex auctoritate S. Bernardi. — Epist. ad Lugdunenses:* « Puto, quod copiosior gratia sanctificationis in ipsam descendit, quae non solum ortum eius sanctificavit, sed eam ab omni peccato deinceps custodivit immunem. » Ergo per primam sanctificationem, immunitatem ab omni peccato consecuta est.

20 *Ex divina Virginis maternitate.* — « Praeterea : Sap. 4. dicitur : *In malevolam animam non introivit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Sed Dei sapientia non solum animam Virginis intravit, sicut et de ceteris dicitur Sap. 7, 27. : *In animas sanctas se transfert ;* sed et corpus eius inhabitavit, carnem de ea assumens. Ergo in ea nullum peccatum fuit : quod colligi potest ex eo, quod dicitur Cantic. 4, 7. : *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.* «

3° *Ex abundantia gratiae quam B. Virgo in prima sui sanctificatione accepit.* — « Gratiae autem est firmitatem quandam facere ; ideo effectus sanctificationis in generali est duplex : sc. *emundare* et *confirmare...* Sicut in prima

sanctificatione fuit quaedam *inchoatio emundationis,* remoto peccato originali quantum ad culpam et ligato fomite, ita etiam fuit *quaedam inchoatio confirmationis ;* quia per gratiam sanctificantem, immunitatem a peccato (B. Virgo) deinceps consecuta est. Quae quidem immunitas a tribus causabatur, sc. : a) *cx ligatione fomitis,* qui ad mahim non incitabat ; *b) ex inclinatione gratiae,* quae in bonum ordinabat, quamvis nondum per eam liberum arbitrium esset in fine ultimo stabilitum, sicut est in beatis, qui ad finem vitae pervenerunt ; et iterum, *c) ex conservatione divinae providentiae,* quae eam intactam custodivit ab omni peccato, sicut in primo statu hominem ab omni nocivo protexisset. »

Triplex secundae sanctificationis effectus. — Per secundam vero sanctificationem, qua Beatissima Virgo perfecta fuit in plenitudine gratiae ex praesentia Filii Dei in eius utero incarnati : i° fuit totaliter a fomite mundata ; 2° fuit totaliter confirmata in bono ; 30 ita quod etiam in statu viae ablata est in Beata Virgine *potentia peccandi.*

i° *Fuit totaliter a fomite mundata. — Conifend. theol.* cap. 233. : « Si autem per primam sanctificationem sic fuit (B. Virgo) contra omnem motum peccati munita, multo magis in ea excrevit gratia, fomesque peccati in ea est debilitatus vel etiam totaliter sublatus, Spiritu Sancto in ipsa secundum verbum Angeli superveniente ad corpus Christi ex ea formandum. »

2° *Fuit totaliter in bono confirmata. — **III**. Sent.* dist. 3. q. i. a. 2. q. 3. : « Ubi est plenitudo lucis, habilitas ad tenebram non remanet. Sed in conceptione Christi Beata Virgo tota lumine plena fuit, recipiens Illum, qui est *Splendor gloriae Patris* (Heb. 1.). Unde dicitur Ezech. 43, 4. et 5. : *Et maiestas Domini ingressa est templum... Et ecce repleta est gloria Domini domus.* Ergo post illam sanctificationem confirmata fuit. »

30 *Eliam in statu viae ablata est in B. Virgine potentia peccandi. — **III**. Sent.* dist. 3. q. I. a. 2. sol. 3. ad 2. : « Dicendum, quod *potentia peccandi* aufertur dupliciter : 1° Vel per hoc quod liberum arbitrium ultimo fini coniungitur, qui ipsum superimplet, ut nullus defectus in eo remaneat; et

hoc ht per gloriam. I nde in nullo puro viatore sic *peccandi potentia* solvitur, ut cum ablatione *potentiae peccandi* tollatur *potentia moriendi,* nisi in (hristo, in quo dispensative remansit, ad opus redemptionis complendum. 2° Alio modo aufertur per hoc, quod gratia tanta infunditur, quae omnem defectum tollat ; et sic in Beata Virgine, quando concepit Dei Filium, ablata est *peccandi potentia,* quamvis in statu viae ipsa Virgo remaneret. »

Quam quidem doctrinam a radice declarat quoque D. Thomas, *De Verit.* q. 22. a. 9. ubi iterum de Beatissima Virgine loquens, ait : « Beata Virgo in statu viae confirmata fuit in bono ; nam de ea, ut dicit Augustinus, cum de peccatis agitur, mentio fieri non debet. ... Dona gratiae non sequuntur ordinem naturae de necessitate ; et ideo, quamvis humana natura non sit angelica dignior, tamen alicui homini collata est maior gratia quam alicui angelo ; sicut Beatae Virgini et Homini Christo. Confirmatio autem in bono Beatae Virgini competebat, quia Mater erat Divinae Sapientiae, *in quam nihil inquinatum incurrit,* ut dicitur Sap. 7. »

Triplex tertiae sanctificationis effectus. — Tertia denique sanctificatio seu perfectio gratiae in Beatissima Virgine est perfectio finis, quam Beatissima Mater Dei habet in gloria. Per istam porro tertiam sanctificationem, quae est gratia consummata in sui glorificatione : i° Beatissima Virgo plene liberata fuit a poenalitatibus, ex peccato primi parentis in humana natura causalis, per *gloriam Assumptionis;* 2° consummata est eius gratia, perficiens eam in fruitione omnis boni ; 30 inde causata est perfecta eiusdem liberi arbitrii immobilitas in bono.

Ita D. Thomas, ***III.*** *Sent.* dist. 3. q. 1. a. 2. sol. 3. : « Ad tertiam quaestionem dicendum, quod in secunda sanctificatione et *emundatio* et *confirmatio in bono* quodammodo consummata est secundum *perfectionem viae;* sed in *Assumptione eius gloriosa* consummata est secundum *perfectionem patriae,* quod sic patet : In prima enim sanctificatione, ablata fuit *inclinatio fomitis,* remanente essentia cius. In secunda vero, luit extinctus *ipse fomes per essentiam,* remanentibus

adhuc poenalitatibus ex peccato causatis, a quibus plene liberata fuit per *gloriam Assumptionis.* Similiter etiam ex parte altera. In prima sanctificatione, gratia collata fuit ad *bonum efficaciter liberum arbitrium inclinans,* quamvis non esset sufficiens ad tollendum *flexibilitatem* liberi arbitrii in malum, quam etiam homo in primo statu habuit. In secunda vero sanctificatione, gratia superaddita fuit, quae ita potentiam liberi arbitrii impleret, ut in contrarium flecti *non posset,* non quidem tollendo *naturam* libero arbitrio, sed *defectum;* sicut materia coeli, ex eo quod subsistit formae quae omnem privationem ab ea excludit, non est in potentia ad corruptionem. Sed in tertia exaltatione eius, per gratiam perfectam in gloriam transeuntem, fini coniuncta est, ex quo *perfecta immobilitas* causatur. »

III

Secundum doctrinam D. Thomae, Beatissima Virgo fuit plena gratia, et perfecte plena : 1° in ipsomet initio sive in termino a quo suae primae sanctificationis ; 2° et iterum, quando Christum concepit ; 3° et iterum, in termino ad quem suae gratiae sanctificantis, quando in gloriam est assumpta. — Siquidem iustorum semita, quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem (Prov. 4, 18.) ; Beatissimae Virginis Mariae, quae speculum iustitiae salutatur, semita procedit quoque et crescit ad diem usque gloriosae aeternitatis. Procedit quasi stella matutina in medio nebulae ; crescit quasi luna plena in diebus suis ; et lucet in perpetuae aeternitatis gloriam quasi sol refulgens in sitissimis Dei ; ac profecto semper gratia perfecte plena.

i° *Perfecte plena in ipsomet initio seu termino a quo suae primae sanctificationis.* Quia per gratiam quam Beatissima Virgo accepit in sua prima sanctificatione « consecuta est, dicit D. Thomas *(III. Sent.* dist. 3. q. 1. a. 2. sol. 3. ad 1.) immunitatem a peccato, non per gratiam confirmantem, sed per ligationem fomitis ad nudum inclinantis, et per custodiam divinae providentiae, sine qua, etiam fomite omnino cxtincto, peccare potuisset, sicut et

Adam peccavit, nisi esset in ea gratia consummata . Atque ita in ipso initio vitae suae Beatissima Virgo disponebatur et reddebatur idonea ad hoc quod esset Mater Christi, dum ablata fuit inclinatio fomitis, et dum liberum eius arbitrium efficaciter in bonum inclinatur, et dum anima ipsius sanctissima progreditur quasi aurora consurgens in viis iustitiae, plena gratiae et veritatis. Unde D. Thomas, exponens illa verba Ps. 45. : *Fluminis impetus laetificat civitatem Dei; sanciificavit tabernaculum suum Altissimus; Deus in medio eius non commovebitur; adiuvabit eam Deus mane diliculo,* docet : Et possunt haec referri ad Beatam Virginem ; quia ipsa est civitas; in ipsa habitavit ; ipsam fluminis impetus, sc. Spiritus Sanctus, laetificavit ; ipsam sanctificavit in utero matris suae, postquam formatum fuit corpus et creata anima. *Tunc primo operuit gloria Domini tabernaculum,* ut dicitur Exod. 40. Et est alia sanctificatio Beatae Virginis, et aliorum sanctorum : quia alii sic sanctificati fuerunt, quod nunquam mortaliter peccaverunt, tamen venialiter sic. I. Ioan. i. : *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, ct veritas in nobis non est.* Beata autem Virgo nec mortaliter nec venialiter unquam peccavit. Cantic. 4. : *Tota pulchra es, amica mea.* Et ideo dicit : *Non commovebitur,* nec veniali peccato. Et ideo dicit : *Adiuvabit eam Deus mane diluculo ;* id est, adhuc ea existente in utero. Et hoc est, quod dicit, quod auxiliatus est ei Dominus in ipso ortu matutino [1] ».

2° *Perfecte plena iterum, quando Christum concepit.* — Quod ex professo declarat Angelicus Doctor in sua Expositione in Salutationem angelicam, sc. *Ave, gratia plena,* scribens : « Beata Virgo excessit Angelos in his tribus, et primo *in plenitudine gratiae,* quae magis est in Beata Virgine quam in aliquo angelo ; et ideo ad insinuandum hoc Angelus ei reverentiam exhibuit, dicens : *Gratia plena;* quasi diceret : Ideo exhibeo tibi reverentiam, quia me excellis in plenitudine gratiae. Dicitur autem *plena gratia,* quantum ad tria.

[1] *In Psalmos Davidis expositio* Ps. 45. I <

Primo quidem, quantum ad *animam,* in qua habuit omnem plenitudinem gratiae. Nam gratia Dei datur ad duo, sc. ad bonum operandum et ad vitandum malum ; et quantum ad ista duo perfectissimam gratiam habuit Beata Virgo ; nam ipsa omne peccatum vitavit magis quam aliquis sanctus post Christum. Peccatum enim aut est originale, et de isto fuit mundata in utero ; aut mortale, aut veniale, et de istis libera fuit. Unde Cantic. 4, 7. : *Tota pulchra es, amica mea, d macula non est in te.* »

« Secundo : plena fuit gratia, *quantum ad redundantiam animae ad carnem vel corpus.* Nam magnum est in sanctis habere tantum de gratia, quod sanctificet animam ; sed anima Beatae Virginis ita fuit plena, quod ex ea refudit gratiam in carnem, ut de ipsa conciperet Filium Dei ; et ideo dicit Hugo de S. Victore : *Quia in corde cius amor Spiritus Sancti singulariter ardebat, ideo in carne eius mirabilia jaciebat in tantum, quod de ea nasceretur Deus ct homo. Quod enim nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei* (Luc. 1, 35). »

« lertio : *quantum ad refusionem in omnes homines.* Magnum enim est in quolibet sancto, quando habet tantum de gratia, quod sufficit ad salutem multorum ; sed quando haberet tantum, quod sufficeret ad salutem omnium hominum de mundo, hoc esset maximum : et hoc est in Christo et in Beata Virgine. Nam in omni periculo potes salutem obtinere ab ipsa Virgine gloriosa. Unde Cant. 4, 4. : *Mille clypci,* id est, remedia contra pericula, *pendent ex ea.* Item, in omni opere virtutis potes eam habere in adiutorium ; et ideo dicit ipsa Eccli. 24, 25. : ***In** me omnis spes vitae ct virtutis.* Sic ergo plena est gratia ct excedit angelos in plenitudine gratiae ; et propter hoc convenienter vocatur *Maria,* quae interpretatur *illuminata in sc.* Unde Is. 58, 2. : *Implebit splendoribus animam tuam.* Et *illuminalrix in alios,* quantum ad totum mundum ; et ideo assimilatur soli et lunae. »

3° *Perfecte plena in termino ad quem suae gratiae sanctificantis, quando in gloriam est assumpta.* — Tunc enim, ut dicitur Apocal. 12, 1. : *Et signum magnum apparuit in coelo: Mulier amicta sole, ct luna sub pedibus cius, ct in capite eius corona stellarum duodecim.* Beatissima namque Virgo fuit

revera *Mulier amicta sole: a}* Quando concepit Christum atque de suis visceribus genuit Deum et hominem. Unde D. Thomas, *In Evangelium Math.,* cap. i. : « *Mater eius,* id est, Dei. Hic ostenditur eius dignitas. Nulli creaturae hoc concessum est, nec homini nec angelo, ut esset pater aut mater Dei ; sed hoc fuit privilegium gratiae singularis, ut non solum hominis, sed Dei Mater fieret ; et ideo dicitur in Apocal. 12, i. : *Mulier amicta sole,* quasi tota repleta Divinitate. » Et S. Bernardus, serm. *Dc duodecim praerogat. B.* I'I7-*ginis: « Mulier,* inquit, *amicta sole.* Plane amicta lumine tamquam vestimento. Non percipit forte carnalis ; nimirum spirituale est, stultitia illi videtur. Non sic videbatur Apostolo qui dicebat Rom. 13, 14 : *Induimini Dominum Iesum Christum.* Quam familiaris ei facta es, Domina ! Quam proxima, imo quam intima fieri meruisti, quantam invenisti gratiam apud eum ! In te manet, et tu in eo ; et vestis eum, et vestiri' ab eo. Vestis eum substantia carnis, et vestit ille te gloria suae maiestatis. Vestis solem nube ; et sole ipsa vestiris. Novum enim fecit Dominus super terram, ut mulier circumdaret virum (lerem. 31, 22.) ; nec alium quam Christum, de quo dicitur Zach. 6, 12. : *Ecce vir, Oriens nomen eius.* Novum quoque fecit in coelo, ut Mulier Sole appareret amicta, j

b) Quando in gloriam est assumpta. — Tunc enim Beatissima Virgo per gloriam suae Assumptionis plene liberata est ab omni miseria, ab omnibus poenalitatibus ex peccato in communi hominum natura causatis. Adae vero dixerat Dominus, Genes. 3, 19. : *In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es; quia pulvis est et in pulverem reverteris.* Sed per tertiam perfectionem suae sanctificationis Beatissima Mater Christi fuit quoque libera a corruptione carnis in sepulcro, ut D. Thomas docet, *III. Sent,* locis supra citatis, et in *Expositione supra salutationem angelicam,* dicens : « Et ab hac poena, sc. ut in pulverem reverteretur, immunis fuit Beata Virgo ; quia cum corpore assumpta est in coelum ; credimus enim, quod post mortem resuscitata fuerit, et portata in coelum. Ps. 131, 8. : *Surge, Domine, in requiem tuam; tu, et arca sanctificationis tuae.* Sic ergo immunis fuit ab omni maledictione, et ideo benedicta in inuberibus ; quia ipsa sola maledictionem sustulit, et benedictionem portavit, et ianuam paradisi aperuit ; et ideo convenit ei nomen *Maria,* quae interpretatur *stella maris;* quia sicut per stellam maris navigantes diriguntur ad portum, ita christiani diriguntur per Mariam ad gloriam. ◊

IV

Iuxta D. Thomae doctrinam, terminus a quo primae sanctificationis Beatissimae Virginis, est ipsamet Virginis persona iam constituta, prout habebat necessitatem incurrendi peccatum originale et se subiiciendi poenalitatibus in natura humana ex originali peccato causatis ; ac perinde, ipsa Virgo, postquam cuncta eius perfecta sunt, scilicet et corpus et anima, indigens salute quae est per Christum et redemptione quae est per sanguinem crucis Christi.

Quid sit peccatum originale. — Ut supra manet explicatum, et D. Thomas expresse tradit, *II. Sent.* dist. 31. q. i. a. 2. ad esse originalis peccati duo concurrunt, sc. *defectus quidam,* principia naturae humanae consequens ; et iterum, quod *fuerit in potestate naturae* ut isto defectu careret vel non, sine quo *ratio culpae* in hoc defectu non esset. Utrumque autem necessarium est inveniri in illis qui ex Adam per viam naturalis propagationis generantur. *Defectus* enim qui principia humanae naturae consequuntur, sunt illa omnia quae ex carentia originalis iustitiae proveniunt, nimirum : *d)* privatio gratiae sanctificantis et iuris, quod per gratiam habetur, ad haereditatem gloriae ; *b)* concupiscentia seu privatio perfectae subiectionis virium sensitivarum ad rectam rationem ; c) necessitas se subiiciendi poenalitatibus huius vitae ; *d)* necessitas moriendi. Atque ista omnia ex parentibus in filios propagantur simul cum natura humana, quae in statu huius viae non reintegratur quantum ad id quod *naturae est;* etsi per gratiam reintegretur quantum ad hoc quod ad *personam* pertinet. Similiter *ratio voluntarii,* sine qua huiusmodi defectus, principia naturae humanae consequentes,

non haberent rationem culpae nec rationem poenae, etiam transit in omnes homines qui ab Adamo naturam humanam accipiunt, simul cum natura et cum defectu naturae, eo quod *in voluntate* ipsius Adae fuit ut natura humana talibus defectibus careret vel non. Unde praedicti defectus non haberent *rationem poenae,* nisi haberent *rationem culpae*;et *ratio culpae* non est ex nobis, cum non propria voluntate peccatum tale incurramus ; sed tamen est in nobis, in quantum talem naturam cum ratione culpae ab Adamo recipimus. Unde totum hoc quod sub nomine peccati originalis clauditur et quod *infectio* totius humanae naturae ex inordinata voluntate primi parentis proveniens dicitur, in ipsomet primo parente fuit : *a)* per *modum peccati actualis,* in quantum talem infectionem per propriam voluntatem contraxit ; 6) et etiam ulterius per *modum peccati naturalis,* in quantum natura in eo infecta est ; at in nobis autem omnibus non est nisi *peccatum naturale,* cum peccatum originale per se loquendo sit *naturae vitium*. Naturae, inquam, vitium : quod si comparetur ad istum hominem, prout est persona quaedam, non habito respectu ad naturam, sic est *poena;* si autem comparetur ad principium in quo omnes peccaverunt, sic habet rationem *culpae.* Quapropter inter omnia peccata *minimum* est originale, eo quod minimum habet de voluntario; non enim est voluntarium voluntate istius personae, sed voluntate principii naturae tantum. Peccatum autem actuale, etiam veniale, est voluntarium voluntate eius in quo est ; et ideo minor poena debetur originali quam veniali. Nec obstat, quod originale non compatitur secum gratiam; *privatio* enim *gratiae* non habet rationem *culpae,* sed *poenae,* nisi in quantum ex voluntate est. Unde ubi minus est de voluntario, minus est de culpa h

Quomodo peccatum originale transmittatur. — Sic mirifice declaratur a D. Thoma : « Ex actu naturae, qui est carnis propagatio, relinquitur : *a) quaedam dispositio* inclinans ad

l *II. Seni.* dist. 31. q. r. a. i et 2. —De *Malo.* q. 4. a. 2. – Π. *Seni.* dist. 33. q. 2. a. 1. ad 2.

malum in *ipsa natura* generati, quae concupiscentia vel femes dicitur ; *b)* et ex hoc quod ilia naturae corruptio in se *virtutem peccati,* ex quo causata est, continens, *personam attingit ; c)* ipsam *indignam Dei gratia efficit ;* unde *d)* relinquitur *macula* et *delectus gratiae* in anima ; et per hoc, *e}* etiam ad *reatum poenae* obligatur, ut sc. praemio illo careat quod gratiae debebatur... Peccatum originale est primo et per se *infectio naturae;* et per consequens, *inficit personam,* secundum quod dispositio naturae in personam redundat ; et secundum hoc duplex poena originali debetur. Una, in quantum personam inficit, sc. *carentia divinae visionis;* visio enim divina actum quendam designat ; actus enim omnis personae est, quia actus individuorum sunt, ut Philosophiis dicit ; unde et carentia visionis ad personam referenda est, cum opposita sint circa idem. Alia poena debetur sibi, in quantum naturam inficit, sicut *necessitas moriendi, possibilitas, rebellio carnis* ad spiritum, et huiusmodi ; quae omnia ex principiis naturae causantur, et speciem totam consequuntur, nisi *miraculose* aliter contingat\ »

Terminus « a quo » primae sanctificationis Beatissimae Virginis non potest esse : 1° nec in suis parentibus ; 2° nec in ipsa sua conceptione active sumpta ; 3° nec in carne sua ante animationem ; 4° nec in anima sua ante unionem ad carnem. — i° 2Von *in suis parentibus,* — Quia « unusquisque peccatum originale contrahit ex hoc quod fuit in Adam secundum seminalem rationem. Omnes autem illi in Adam fuerunt secundum seminalem rationem, qui non solum ab eo carnem acceperunt, sed etiam secundum naturalem modum originis ab eo sunt propagati. Sic autem processit ab Adam Beata Virgo, quia nata fuit per commixtionem sexuum, sicut et ceteri ; et ideo concepta fuit in originali peccato et includitur in universitate illorum, de qua Apostolus dicit, Rom. 5. 12 : *In quo omnes peccaverunt;* a qua universitate solus Christus excipitur, qui in Adam non fuit secundum seminalem rationem ; alioquin, si hoc alteri conveniret quam

1 *II. Sent.* dist. 32. q. 1. a. 1. et 2.

Christo, *non indigeret Christi redemptione.* Et ideo non tantum debemus dari Matri quod sübtrahat aliquid honori Filii, qui est Salvator omnium hominum, ut dicit Apostolus I. Tim. cap. 4 x. »

20 *Non in ipsa sua Conceptione.* — *a)* « Oportuit siquidem quod cum peccato originali conciperetur, utpote quae ex utriusque sexus commixtione concepta fuit. Hoc enim privilegium sibi soli servabatur ut virgo conciperet Filium Dei. Commixtio autem sexus, quae *sine libidine* 2 esse non potest

1 *Quodl.* 6. a. 7.

2 « *Libido* tribus modis dicitur : Uno modo, secundum quod consistit in actu voluntatis illicite et inordinate aliquid desiderantis ; et hoc modo libido est *actuale* peccatum. Alio modo, dicitur libido quae consistit magis in delectatione sensualitatis, et praecipue in actu generativae, ubi superexcedit delectatio ; et sic, est *quiddam* ex peccato *derelictum ;* non quia sine peccato non esset delectatio, sed quia *inordinata* non esset, quod nomen libidinis importat. Tertio modo, potest sumi libido quasi habitualiter pro *illa inordinatione virium nimia,* ex qua est in nobis pronitas ad inordinate concupiscendum. A prima igitur libidine mens cuiuslibet iusti generantis liberatur, cum contingat actum matrimonialem sine omni culpa et mortali et veniali exerceri : unde constat, quod non intelligitur illa libido *transmittere* originale peccatum in prolem ; nec iterum illa quae est inordinata delectatio sensualitatis, etsi enim per miraculum a tali inordinatione delectationis coitus aliquorum purgaretur, nihilominus eorum nati peccatum originale contraherent. Unde patet, quod libido, tertio modo dicta, intelligitur esse *peccati originalis causa;* omne enim generans generat sibi simile in natura ; unde, cum haec sit conditio naturae humanae iustitia originali destitutae, ut talis inordinatio virium animae in ea existât, constat, quod etiam talis conditio in prole remanebit. Etsi fervor coitus inveniatur dici *causa* originalis peccati, hoc propter se non dicitur, sed in quantum est *signum eius,* quod est vere *causa;* quia ex inordinatione virium inordinata delectatio in coitu procedit quasi *signum* et *effectus* causam suam *indicans...* Cum peccatum originale, per se loquendo, sit *naturae vitium,* non potest causari per id quod est personae per sc, sed solum per id quod naturae debetur. Conservatio autem coniunctionis corporis ad animam pertinet specialiter ad *esse* huiusmodi personae in natura humana subsistentis ; et ideo talis coniunctio *infectionem* originalis peccati non facit in anima, nisi adiu gatur *aliquid* quod per se ad naturam pertineat ; et hoc est *actus generationis,* qui per se naturae conservandae debetur ; et ideo

post peccatum primi parentis, transmittit peccatum originale in prolem. « *b)* « Similiter etiam, quia, si cum peccato originali concepta non fuisset, *non indigeret per Christum redimi ;* et sic non esset Christus universalis hominum Redemptor : quod derogat dignitati Christi. Est ergo tenendum, quod cum peccato originali concepta fuit ; sed ab eo *quodam speciali modo* purgata fuit h »

30 *Nec in carne sua ante animationem.* — *a)* « Non autem sanctificatio praecessit *infusionem* animae. Sic enim nunquam fuisset peccato originali *subiecta,* et redemptione *non indiguisset.* Non enim subiectum peccati esse potest nisi creatura rationalis. » *b)* « Similiter etiam, gratia sanctificationis per prius in anima radicatur, nec ad corpus potest pervenire nisi per animam. Unde *post infusionem* animae credendum est eam sanctificatam fuisse 2. »

40 *Nec in anima sua ante unionem ad carnem.* — *a)* Quia, si Beatissima Virgo sanctificata fuisset in anima sua ante unionem ad carnem, tunc sanctificatio *praecessisset injusionem* animae. Sic enim nunquam fuisset peccato originali subiecta, ac redemptione non indiguisset, *b)* Quia, si sanctificatio Beatissimae Virginis facta fuisset in anima sua ante unionem ad carnem, tunc sanctificatio praecessisset *constitutionem personae* Beatissimae Virginis. Sic enim *persona* Beatissimae Virginis *iam constituta* nunquam fuisset *indigens redemptione* quae est per Christum, c) Quia, si in anima sua ante unionem ad carnem Beatissima Virgo sanctificata fuisset, evidenter hoc Beatissimae Virgini praestitum esset ut, antequam animaretur caro eius, sanctificaretur ; et tunc anima eius *nullo modo* peccatum originale contraxisset, et *nunquam* incurrisset necessitatem habendi maculam originalis ; et ita non egeret salute quae est per sanguinem crucis Christi. Et hoc est quod

tx concupiscentia, quae remanet post baptismum, *non inficitur* iterato anima illius qui baptizatus est, sed per generationem in filium suum *traducitur,* ut in originali nascatur. » (ZZ. *Sent.* dist. 31. q. 1 a. 1. ad 3. et ad 5.)

1 *Comp. Theol.* cap. 232.

2 *Comp. Theol.* ibid.

D. Thomas docet, III. q. 27. a. 2. : « Et sic, quocumque modo ante animationem Beata Virgo sanctificata fuisset, nunquam incurrisset maculam originalis culpae, et ita non indiguisset et redemptione et salute quae est per Christum, de quo dicitur Math. 1, 21 : *Ipse salvum faciei populum suum a peccatis eorum.* Hoc autem inconveniens est, quod Christus non sit Salvator omnium hominum, ut dicitur I. Tim. cap. 4. Unde relinquitur, quod sanctificatio B. Virginis fuerit post eius animationem. »

Unde relinquitur, quod terminus a quo primae sanctificationis Beatissimae Virginis est ipsamet B. Virginis persona iam constituta, prout habebat necessitate **personalem** incurrendi peccatum originale et subeundi poenalitates in natura humana ex originali peccato causatas. — i° Secundum Divum Thomam, *Compend. Theol.* 232. : « De Beata Virgine, Matre Dei, intelligi potest, quod Cantic. 4, 7 dicitur *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.* Nec solum a peccato actuali immunis fuit ; sed etiam ab originali, *speciali privilegio* mundata... Est ergo tenendum, quod cum peccato originali concepta fuit ; sed ab eo *quodam speciali modo* purgata fuit. Quidam enim a peccato originali purgantur *post nativitatem ex utero,* sicut qui in Baptismo sanctificantur. Quidam autem quodam privilegio gratiae *etiam in maternis uteris* sanctificati leguntur, sicuti de Ieremia dicitur, i, 5 : *Priusquam te formarem in utero, novi te et antequam exires de vulva, sanctificavi te; ; et de* Ioanne Baptista angelus dicit, Luc. i, 15 : *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suae.* Quod autem praestitum est Christi praecursori et prophetae, non debet credi negatum esse Matri ipsius ; et ideo creditur in utero sanctificata, *ante* sc. *quam ex utero nasceretur. Non autem sanctificatio praecessit infusionem animae... »*

Secundum etiam D. Thomam, ***III.*** *Sent.* dist. 32. q. 1. a. i. peccatum originale transmittitur hoc modo : « Ex actu naturae, qui est camis propagatio : *a)* relinquitur *quaedam dispositio* inclinans ad maIum in *ipsa natura* generati, quae concupiscentia vel *fomes* dicitur ; 0) et ex hoc ipso, quod illa

naturae *corruptio* in se virtutem peccati, ex quo causata est, continens, *personam attingit; c)* ipsam *indignam* Dei gratia *efficit;* unde, *d)* relinquitur *macula* et *defectus* gratiae in anima ; et per hoc *e)* etiam ad *reatum poenae* obligatur, ut sc. praemio illo careat, quod gratiae debebatur. »

Ergo secundum doctrinam D. Thomae : Beatissima Virgo, *a)* non fuit sanctificata in parentibus, nec in ipsa sua conceptione active sumpta, nec in carne sua ante animationem, nec in sua anima ante unionem cum carne ; quia *sanctificatio non praecessit infusionem animae, b)* Sed fuit sanctificata post infusionem animae et eiusdem unionem cum carne ; post animationem ; post constitutionem personae ; tunc, cum « illa naturae *corruptio* in se *virtutem* peccati, ex quo causata est, continens », *personam attingebat;* et ipsam personam iam ex anima et corpore constitutam, *indignam Dei gratia efficiebat.*

Ergo *terminus a quo* primae sanctificationis Beatissimae Virginis est ipsamet B. Virginis persona iam constituta, prout habebat necessitatem personaliter incurrendi peccatum originale et subeundi poenalitates in natura humana ex originali peccato causatas.

2° Ideo Angelicus Doctor reiicit sanctificationem Beatissimae Virginis ante animationem, et concludit semper quod Beatissima Virgo sanctificata fuit post animationem ; quia aliter B. Virgo iam non indigeret personaliter per Christum redimi ; et sic Christus non esset Redemptor suae propriae Matris ; et ita Christus iam non esset universalis hominum omnium Redemptor. Unde ait, *Quodl.* 6. a. 7. : « *Et ideo non tantum debemus dari Matri quod subtrahat aliquid honori Filii qui est Salvator omnium hominum, ut dicit Apostolus, 1. Tim. 4.* » Sed ad hoc quod Beatissima Virgo personaliter indigeat redemptione quae est per sanguinem crucis Christi, sufficit quod « *illa naturae corruptio,* in se *virtutem* peccati, ex quo causata est, *continens* » attingat personam Beatissimae Virginis, ct attingendo faciat ipsam non quidem incurrere actualitér originale peccatum, sed *necessitatem* illud habendi.

Iuxta doctrinam itaque D. Thomae, *terminus a quo* primae sanctificationis Beatissimae Virginis est ipsamet Virgmis

gloriosae persona iam constituta prout habet necessitatem incurrendi peccatum originale et subeundi poenalitates in natura humana ex originali peccato causatas.

3° Ut ex suprapositis patet, iuxta doctrinam D. Thomae, *via per quam* transmittitur peccatum originale a parentibib in filios, et *via per quam* filii originale peccatum dicuntur contrahere et in Adamo peccasse, sic se habet : *a)* In Adamo fuisse secundum seminalem rationem ; *b)* non solum ab Adamo carnem accipere, sed etiam secundum naturalem modum originis ab eo propagari, ideoque ab Adamo procedere et ex Adamo originem trahere et nasci per commixtionem sexuum ; c) ex actu naturae, qui est camis propagatio, relinquitur in *ipsa natura generati* quaedam dispositio ad malum inclinans, fomes peccati, *naturae corruptio in se virtutem peccati,* ex quo causata est, continens ; *d)* quod huiusmodi naturae corruptio in se *virtutem* originalis peccati continens *attingat personam* generati constitutam tunc cum omnia perfecta sunt, sc. corpus et anima, ac perinde post infusionem animae rationalis ; *e)* exinde, ex tali contactu carnis, quae nata est inficere animam, persona ex corpore et anima constituta *efficitur indigna Dei gratia,* indigna originali iustitia quam Deus dederat toti humanae naturae in persona primi parentis et quam primus parens sua propria voluntate peccando amisit sibi et nobis omnibus filiis suis ; /) ex hoc autem quod *persona* uniuscuiusque filii Adami, originem ab eo per naturalem propagationem trahentis, *indigna* Dei gratia efficitur ac iure merito privatur originali iustitia quae debebatur ei, si Adamus primus parens, primumque totius humani generis caput, non peccasset ; propterea, ut filius Adami, omnis homo non solummodo *non debet habere gratiam.* verum etiam *debet gratiam non habere; g)* consequenter ex tali debito, relinquitur in anima filiorum Adami *defectus gratiae,* qui, comparatus ad humanam naturam ct ad voluntatem primi parentis, habet *rationem culpae;* comparatus vero ad voluntatem personalem filiorum, non habito respectu ad naturam, habet *rationem poenae ; li)* ex defectu vero gratiae in anima, *relinquitur macula,* respondens ad privationem gratiae eo modo, quo privatio iustitiae originalis potest habere

in nobis rationem culpae ; *i)* et per hoc etiam ad *reatum potnac,* ut sc. praemio illo careant, quod gratiae debebatur, omnes Adami filii obligantur; et per hoc etiam incurrunt omnes poenalitates quae ex originali peccato in communi hominum natura causantur.

Nunc vero, iuxta doctrinam iam saepe saepius expositam, Beatissima Virgo, sicut quilibet Adami filius : i° potest sanctificari vel in actu naturae qui est camis propagatio ; et hoc est quod vocatur *sanctificatio Virginis* in suis parentibus ; sed tunc B. Virgo non indigeret redemptione. 2° Potest sanctificari antequam conceptio carnis eius finiretur ; et hoc est quod vocatur *sanctificatio Virginis in sua Conceptione ;* sed tunc B. Virgo non indigeret redemptione. 30 Potest etiam sanctificari post conceptionem carnis iam finitam ; et hoc est quod vocatur *sanctificatio Virginis in carne sua ante animationem.* 40 Potest etiam sanctificari in sua anima ante eius unionem ad carnem ; et hoc est quod vocatur *sanctificatio* Virginis praecedens animae infusionem ; sed tunc similiter persona Virginis non indigeret redemptione. 40 Potest quoque sanctificari tunc cum, post infusionem animae et animationem corporis, anima unitur carni, quae est nata \psam *inficere* attingendo *personam* iam constitutam, eandemque *indignam* Dei gratia efficiendo ; et tunc Beatissima Virgo iam indiget, ratione suae propriae personae, redemptione et salute quae est per Christum ; atque si huiusmodi sanctificatio fit in uno eodemque instanti seu momento temporis, tunc Beatissima Virgo, etsi *debebat* ut filia Adami *non habere gratiam,* tamen, quia *ex morte Filii Dei praevisa* habet gratiam et invenit gratiam apud Deum, ideo non relinquitur in anima eius *defectus* seu *privatio gratiae sanctificantis;* ideoque nec relinquitur in anima eius *macula;* ideoque iam non obligatur ad *reatum poenae,* ut sc. praemio illo careat quod gratiae debebatur ; sed, e contra, eo ipso quod gratiam iustificantem habet, ius habet ad haereditatem gloriae. Atque, si gratia primae sanctificationis in Beatissima Virgine habuerit *vim originalis iustitiae,* persona Beatissimae Virginis simul cum praeservatione ab originali culpa eiusdemque macula fuisset totaliter etiam libera ab omnibus poe-

nalitatibus quae ex originali peccato in communi natura causantur.

Si vero B. Virginis sanctificatio facta fuerit post unum temporis momentum, quo persona fuisset iam constituta, tunc ex hoc, quod persona *indigna* Dei gratia efficitur, de facto *gratia, privaretur ;* exinde, ex ipsa gratiae privatione seu carentia relinquitur *macula,* et relinquitur *reatus poenae,* et remanet *necessitas* subeundi poenalitates vitae, ut lex fomitis, lex patiendi, lex moriendi, et post mortem corruptio corporis in sepulchro usque ad generalem carnis resurrectionem.

N

luxta doctrinam D. Thomae, sub Christo qui salvari non indiguit, tamquam universalis Salvator, maxima fuit Beatissimae Virginis puritas.

Duo extrema ac praecipua capita in hac quaestione de prima B. Virginis sanctificatione voluit D. Thomas certo et constanter propugnare. — Quorum primum est : *Beatissimam Virginem fuisse sanctificatam, antequam ex utero nasceretur;* nam pro certo habebatur in Ecclesia universali quae Virginis nativitatem celebrabat ; quod non faceret, nisi Beatissima Virgo sanctificata fuisset ante nativitatem ex utero. Et aliunde, rationabiliter credebatur non fuisse denegatum Virgini Matri Dei, quod in S. Scriptura Ieremiae et Ioanni Baptistae legitur fuisse collatum ; etenim rationabiliter creditur, quod illa quae genuit Unigenitum a Patre, plenum gratiae et veritatis, prae omnibus aliis maiora privilegia gratiae acceperit. Ita D. Thomas; ita S. Bonaventura; ita B. Albertus Magnus ; ita Bernardus ; ita communiter omnes V

1 D. Thomas, III. q. 27. a. 1. — B. Albertus Magnus, *III. Sent.* dist. 3. a. 4. : «Dicendum, quod ante nativitatem ex utero sanctificata fuit. » —S. Bonaventura, *III. Sent.* d. 3. p. 1. a. 1. q. 3. : « Pro certo habendum est, quod ante nativitatem sanctificata fuerit. Licet enim hoc *expresse* non habeatur in Scriptura, haberi tamen potest ex his quae in Scriptura leguntur... Habetur tamen in Novo sive in Veteri

Alterum vero extremum ac praecipuum caput, quod pro aris et focis Angelicus Doctor acerrime semperque propugnavit, illud sc. erat : *Beatissimam Virginem nullo modo sanctificatam fuisse ante animationem;* et hoc, propter illam fundamentalem simul atque supremam rationem, videlicet : « Si quocumque modo ante animationem Beata Virgo sanctificata fuisset, nunquam incurrisset maculam originalis culpae, et ita non indiguisset redemptione et salute, quae est per Christum, de quo dicitur Math, i, 21 : *Ipse salvum faciei populum suum a peccatis eorum.* Hoc autem inconveniens est, quod Christus non sit Salvator omnium hominum, ut dicitur I. Tim. 4. Unde relinquitur, quod sanctificatio B. Virginis fuerit *post cius animationem.* »

Inter praedicta extrema capita, videlicet Beatissimam Virginem fuisse sanctificatam ante nativitatem ex utero, non autem sanctificatam fuisse ante animationem, quonam temporis instanti seu momento facta fuerit Virginis sanctificatio ? — Ad hoc uno ore respondent omnes, quod ignoratur, quod solus Deus scit, et quod nonnisi per revelationem pote<t esse certo manifestum, a) B. Albertus Magnus, ***III.*** *Seni.* dist. 3. a. 4. : « Dicendum, quod ante nativitatem ex utero sanctificata fuit ; sed quo dic vel qua hora nescire quemquam hominem, nisi per revelationem ; nisi, quod probabilius est, quod *alo posl animationem* conferatur gratia quam longe exspectetur. »

b) S. Bonaventura, ***III.*** *Sent.* dist. 3. part. I. a. 1. q. 3. « Si autem quaeratur, qua dic vel hora sanctificata fuerit, hoc ignoratur ; probabiliter tamen creditur, quod *cito post infusionem animae* fuerit facta infusio gratiae. »

c) Angelicus autem Doctor iterum atque iterum asserit

Testamento, unde sanctificatio cius potest elici. In Novo habetur de sanctificatione loannis ; in Veteri de sanctificatione leremiae : quorum uterqnc legitur in utero fuisse sanctificatus. Et ex hoc, quasi a minori colligitur hoc B. Virgini fuisse concessum ; quia sicut dicit Bernardus *Quod aliis legitur fuisse collatum, non est credendum Virgini fuisse negatum;* maxime,cum sanctitas Virginis excedat leremiae et loannis puritatem. »

se ignorare quonam temporis momento sanctificata fuerit Beatissima Virgo. *Sum. Theol.* III. q. 27. a. 2. ad 3. scribit : « Quo tempore sanctificata fuerit, ignoratur. » *III. Sent.* dist. 3. q. i. a. 1. dixerat : « Quae (sanctificatio B. Virginis) quando determinate fuerit, incertum est. » *Quodl.* 6. a. 7. iterum repetit : « Cuius (sanctificationis) tempus ignoratur. Creditur enim, quod *cito post conceptionem et animae infusionem* fuerit sanctificata. «

In quo, secundum D. Thomam, differant conceptio Domini nostri lesu Christi et conceptio Beatissimae Virginis. — De Conceptione quidem Domini nostri lesu Christi, Angelicus Doctor docet : a) III. q. 32. a. 4. ad 1. : «Dicendum, quod illa conceptio tria privilegia habuit, sc. : i° quod esset sine peccato originali ; 2° quod esset non puri hominis, sed Dei et hominis ; 30 item quod esset conceptio virginis ; et haec tria habuit a Spiritu Sancto. » *b)* Ibid. q. 31. a. 7. a<^ I·:<< Dicendum, quod Christus non assumpsit *carnem* humani generis *subiedam peccato,* sed ab *omni infectione peccati mundatam ;* et ideo in Dei Sapientiam nihil inquinatum incurrit. » c) Et *III. Sent* dist. 3. q. 4. a. 1. : « Dicendum est, quod *caro* Christi secundum quod fuit in patribus et etiam in ipsa Beata Virgine, *peccato infecta fuit,* antequam assumeretur ; sed in ipsa assumptione ab *omni infectione peccati* purgata est, ut, secundum quod est *actu caro Christi,* in ea *nihil maculae* inveniatur. » Et ibid, ad 5. : « Dicendum, quod caro Christi, actu existens caro Christi, nullo modo fuit infecta ; cius enim *emundatio* a praecedenti infectione, *saltem intellectu, praecedit assumptionem;* unde in Divinam Sapientiam nihil inquinatum incurrere potuit. »

De Conceptione autem Beatissimae Virginis, Angelicus Doctor docet : «) III. q. 27. a. 2. ad 4. : « Etsi parentes B. Virginis fuerint mundati a peccato originali, nihilominus B. Virgo peccatum originale contraxit, cum fuerit concepta secundum camis concupiscentiam ex commixtione maris et feminae. *b)* Ibid., q. 14. a. 3. ad 1. : « Dicendum, quod *caro Beatae I irginis concepta fuit in originali peccato ;* et ideo hos defectus (corporales, sc. patiendi, moriendi) *contraxit.* Sed caro Christi

ex Virgine assumpsit naturam *absque culpa;* et similiter potuisset assumere naturam *absque poena.* Sed voluit suscipere poenam propter opus nostrae redemptionis implendum. Et ideo habuit huiusmodi defectus, non *contrahendo,* sed *voluntarie assumendo.* » c) Ibid. q. 31. a. 7. : « Corpus Christi non refertur ad Adam et ad alios patres nisi mediante corpore B. Virginis, de qua carnem assumpsit. Sed *corpus Beatae Virginis totum fuit vn originali peccato conceptum,* ut supra dictum est, q. 27. a. 2. ; et ita etiam, secundum quod fuit in patribus, fuit peccato obnoxium. Ergo caro Christi, secundum quod fuit in patribus, fuit peccato obnoxia. » *d) Quodl.* 6. a. 7. :« Quamvis autem B. Virgo in originali concepta fuerit, creditur tamen in utero fuisse sanctificata antequam nata. Et ideo circa *celebrationem Conceptionis* eius diversa consuetudo ecclesiarum inolevit. Nam Romana Ecclesia et plurimae aliae, considerantes Conceptionem Virginis in originali peccato fuisse, festum *Conceptionis* non celebrant. Aliquae vero considerantes *sanctificationem cius* in utero, *cuius tempus ignoratur,* celebrant *Conceptionem;* creditur enim, quod *cito post Conceptionem ct animae infusionem* fuerit sanctificata. Unde illa celebritas non est referenda ad Conceptionem *ratione conceptionis,* sed potius *ratione sanctificationis.* Sic ergo non est ideo celebranda Conceptio praedicta, quia fuerit sine peccato originali concepta. »

In quo, secundum D. Thomam, differant puritas hominis Dei, et puritas Beatissimae Virginis quae est Mater Dei.

a) ***III.*** *Sent.* dist. 3. q. 1. a. 1. q. 2. a. 3. in contra. «Praeterea : Anselmus, in libro *De Conceptu Virginali,* cap. 18. dicit : *Decebat, ut illius hominis conceptio de Matre purissima fieret, quae ea puritate niteret qua maior sub Deo nequit intelligi.* Sed maior puritas fuisset in ea, si anima eius *nunquam* infectionem peccati originalis habuisset, quam si ad aliquod tempus l habuerit, et postmodum mundata fuerit. Ergo

l Circa haec verba · vide quae sci ibit l ⁸ I^a l mie r i, S. J., .*/</ *aliquod tempus ct postmodum...* · supra in *Introductione,* I. §3. observ. 2.

anima illa *nunquam* originali peccato infecta fuit. Aut igitur caro sanctificata fuit ante animationem, vel saltem in i/>s0 *instanti infusionis* anima gratiam suscepit, per quam immunis a peccato originali esset. » — *Responsio:* « Ad tertium, dicendum, quod *haec puritas* soli homini Deo debebatur, ut ipse, quasi unicus Redemptor humani generis, *nulla peccati servitute* teneretur, cui competebat omnes a peccato redimere; unde non hanc puritatem, sed *sub hac maximam Virgo Mater eius habere debuit.* »

b) Sum. Theol. III. q. 27. a. 2. arg. 2. in contra. «Praeterea: Conveniens fuit, sicut Anselmus dicit, in lib. *De Conceptu Virginali,* cap. 18. : *Ut illa Virgo ea puritate niteret qua maior sub Deo nequit intelligi.* Unde et Cant. 4. 7 : dicitur : *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.* Sed maior puritas fuisset B. Virginis, si *nunquam* anima eius fuisset inquinata contagio originalis peccati. Ergo hoc ei praestitum fuit, ut, antequam animaretur caro eius, sanctificaretur. » — *Responsio:* « Ad secundum dicendum, quod si *nunquam* anima B. Virginis fuisset contagio originalis peccati inquinata, hoc derogaret dignitati Christi secundum quam est universalis omnium Salvator. Et ideo *sub Christo,* qui salvari non indiguit, tamquam universalis Salvator, *maxima fuit B. Virginis puritas.* Nam Christus *nullo modo* contraxit originale peccatum, sed in ipsa sui Conceptione fuit sanctus, secundum illud Luc. 1, 35 : *Quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Sed Beata Virgo contraxit quidem originale peccatum, sed ab eo fuit mundata antequam ex utero nasceretur. Et hoc signatur lob. 3, 9, ubi de nocte originalis peccati dicitur : *Expectet lucem,* id est, Christum, *et non videat ;* quia nihil inquinatum incurrit in Adam, ut dicitur Sap. 7, 25 ; *nec ortum surgentis aurorae,* id est, Beatae Virgini-, quae in ortu suo a peccato originalis fuit immunis.

Sub Christo, qui salvari non indiguit tamquam universalis Salvator, maxima fuit Beatissimae Virginis puritas.

a) I. Sent. dist. 17. q. 2. a. 4. : Utrum augmentum caritatis habeat aliquem terminum. Arg. 3. in contra. « Praeterea Sicut infra dicit Magister, gr.itia Christi nihil potest etiam

Deus maius facere. Sed, si augmentum caritatis et gratiae esset infinitum, qualibet caritate posset esse aliqua maior. Ergo non est infinitum. Et similiter potest dici de Beata Virgine, de qua dicit Anselmus *De Concept, Virg.* cap. 18. : *Quod ca puritate nituit, qua maior sub Deo nequit intelligi...* « Ad illud quod obiicitur de Beata Virgine, dicendum est, quod differt *puritatis augmentum* et *caritatis.* Augmentum enim puritatis est secundum *recessum a contrario ;* et quia in Beata Virgine fuit depuratio ab omni peccato, ideo pervenit *Ad summum puritatis;* sub Deo tamen, in quo non est aliqua potentia deficiendi, quae est in qualibet creatura, quantum in se est, caritatis autem augmentum est per *accessum* ad divinam bonitatem ; et ideo non habuit Virgo *summam caritatem* qua maior non posset intelligi, quia etiam profecit in caritate et gratia. »

b) I. Sent. dist. 44. q. 1. a. 3. ad 3. : « Dicendum quod, *puritas* intenditur per *recessum* a contrario ; et ideo potest aliquid creatum inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si *nulla contagione* peccati inquinatum sit ; et *talis (uil puritas* Beatae Virginis, quae a peccato originali et actuali immunis fuit ; tamen sub Deo, in quantum erat in potentia ad peccandum. Sed *bonitas* intenditur per *accessum* ad terminum, quod in infinitum distat, sc. Summum Bonum. Unde quolibet finito bono potest aliquid melius fieri. »

c) *Summa Theol.* I.-II. q. 81. a. 5. ad 3. : « Oportebat, ut Mater Dei maxima puritate niteret ; non enim est aliquid digne receptaculum Dei nisi sit mundum, secundum illud Ps. 93, 5 : *Domum tuam, Domine, decet sanctitudo.* »

d) Exposit. in Ps. 18. : « Quod ergo dicit : *In sole posuit tabernaculum suum,* id est : Corpus suum Christus posuit in *sole,* id est, in Beata Virgine, quae nullam habuit obscuritatem peccati. Cant. 4, 7 : *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.* »

é) Expos, in Psalm. 14. : « In Christo et in Virgine Maria *nulla omnino macula* fuit. »

VI

Corollaria.

i. *Ex supra positis aperte liquet, quod, cum D. Thomas negat conceptionem B. Virginis esse celebrandam, ipse loquitur de conceptione quae 'praecedit infusionem animae; de conceptione ex parte* parentum, de *conceptione camis ante animationem ; nam et in isto sensu intelligebatur* a multis, etiam theologis.

2. *Virginem esse conceptam in peccato originali nihil aliud significat nisi* quod B. Virgo non fuit sanctificata in parentibus, nec in sua *conceptione active* sumpta, nec in sua carne ante animationem, nec in sua anima ante unionem ad carnem.

3. *Nunquam incurrere maculam originalis culpae* idem significat ac sanctificatum fuisse quocumque modo ante animationem.

4. *Nunquam annuam fuisse contagio originalis peccali inquinatam significat pariter* sanctificationem animae praecessisse ipsam animae infusionem prioritate naturae et ordinis.

5. Similiter, cum D. Thomas reiicit sanctificationem animae in ipso instanti infusionis, in eo certe sensu leiicit quo sc. intelligatur animam prius prioritate naturae sanctificatam fuisse quam carni unitam.

6. Carnem Christi nullo modo fuisse infectam ; sed eius emundationem a praecedenti infectione, *saltem intellectu,* praecessisse eius assumptionem. Caro autem Virginis in peccato originali concepta fuit, et nullo modo fuit emundata ante eius animationem ; nec infusionem gratiae in animam intellectu praecessisse ipsam animae infusionem in carnem.

7. Animam Christi *nunquam* incurrisse maculam originalis culpae, *nunquam* fuisse contagio originalis peccati inquinatam ; id est, nec actualiter, nec potentialiter, seu in debito aut necessitate incurrendi. Anima vero B. Virginis et ipsamet Virginis persona iam constituta debebat *non*

habere gratiam, et incurrit in necessitatem habendi peccatum originale, etiamsi actualiter non incurrerit, sed in primo instanti suae existentiae gratiam habuisset. Inde :

8. Christus *nullo modo* contraxit peccatum originale, et nulla peccati servitute tenebatur, nec redimi indigebat, cum esset Redemptor omnium. Beatissima autem Virgo peccatum originale *aliquo modo* contraxit, et aliqua peccati servitute tenebatur, atque perinde indigebat redimi per Christum.

9. Caro Christi, actu existens caro Christi, *nullo modo* fuit infecta ; eius enim emundatio a praecedenti infectione, saltem intellectu, praecessit assumptionem : unde in Divinam Sapientiam nihil inquinatum incurrere *potuit.* Unde de Christo dicendum : *a)* null·) modo ; *b)* nunquam ; c) emundatio carnis praecessit, saltem intellectu, assumptionem. De Beata vero Virgine : *a)* aliquo modo ; *b)* emundatio camis non praecessit tempore, nec intellectu, infusionem animae ; *c)* nec sanctificatio animae praecessit intellectu eiusdem in corpus infusionem ; *d)* ideo *debitum habendi* originalem maculam incurrit ; *e)* cum debito itaque nata, et postea per gratiam Christi liberata ; *f)* non posteriori!ate temporis, sed posteriorita*e naturae et intellectus ; g) et ideo ab actuali macula praeservata immunis.

10. Cum ergo dicit D. Thomas : *a)* quod *Beatissima hrgo ita fuit pura, ut nulla contagione peccati inquinata sit ; b)* et simul quod « sr *nunquam anima B. Virginis fuisset contagio originalis peccati inquinata, hoc derogaret dignitati Christi, secundum quam est universalis omnium Salvator* » omnia, quamvis prima fronte videantur opposite dicta, perfecte sibi conveniunt, omniaque in doctrina D. Thomae consonant. Etenim B. Virgo ex una parte nulla contagione peccati *actu* inquinata fuit, et ex alia parte fuit sanctificata post animationem ; ac proinde, postquam eius persona ex anima et corpore constituta incurrit, non quidem actualiter originale peccatum, sed necessitatem illud habendi ; non quidem actu privata est gratia, sed *debuit non habere* gratiam ; quae tamen ex meritis Christi Filii eius data est illi in ipsomet primo suae propriae ac personalis existentiae momento seu instanti temporis.

11. Unde nec in Christo nec in Virgine Maria Matre Christi ulla omnino macula fuit ; et tam Filius quam Mater attigerunt ad *summum puritatis;* nam puritas intenditur per recessum a contrario ; at sub Christo tamen qui salvari non indiguit, omniumque hominum est Salvator, maxima fuit Beatissimae Virginis puritas, quae per sanguinem crucis Christi superabundanter redempta est. Christus enim verus Deus et verus homo, est *sol iustitiae ;* Maria vero, Dei Genitrix et Mater Christi, est aurora consurgens in *suo ortu,* ante nativitatem ex utero, ac perinde in ipso primo instanti suae animationis quae dicitur *nativitas in utero;* consurgens, inquam, *pulchra ut luna, electa ut sol,* et b: *suo ortu* plena gratia atque ab omni labe originalis culpae praeservata *immunis,* et *terribilis ut castrorum acies ordinata.*

12. Beatissima ergo Virgo Maria tantam gratiae obtinuit plenitudinem, ut esset propinquissima Auctori gratiae, qui ex ea accepit humanam naturam ; ita quod Eum, qui est plenus omni gratia, in se reciperet et, Eum pariendo, quoddammodo gratiam ad omnes derivaret. Et ideo prae ceteris maiorem debuit a Christo gratiae plenitudinem obtinere. B. Virgo dicitur fuisse plena gratia per comparationem ad ipsam ; quia sc. habebat gratiam sufficientem ad statum illum ad quem erat electa a Deo, ut sc. esset Mater Unigeniti eius. Rationabiliter ergo creditur, quod illa, quae genuit Unigenitum a Patre, plenum gratiae et veritatis, prae omnibus aliis maiora privilegia gratiae acceperit. In via itaque D. Thomae, Beata Virgo ita fuit plena gratiae, ut et ab omni peccati labe fuerit praeservata et ab omni corruptione camis liberata : ita, quod in initio suae existentiae fulget eius *Immaculata Conceptio,* atque in termino suae vitae mortalis refulget *gloriosa eiusdem in coelum Assumptio* \

1 **III.** q. 7. a. 10. ad 1. — q. 27. a., 1., 2. 4. et 5. — *Exposil in Angel. Salutat,* opusc. 6. edit. Vives, cap. 1. et 2.

CAPUT DECIMUM QUARTUM

Quaenam et qualis sit Immaculata Conceptio Beatissimae Virginis solemnlter ex cathedra ab Ecclesia definita dogma fidei.

Definitum catholicae fidei dogma de Immaculata Conceptione omnino cohaeret cum Mysterio Incarnationis Filii Dei decreto post praevisionem peccati primorum parentum.

Textus Bullae dogmaticae. — Pius IX., in ipsamet *Constitutione,* qua definitur Beatissimae Virginis Mariae *Immaculata Conceptio,* ita ad litteram facit exordium : « Ineffabilis Deus, cuius viae misericordia et veritas, cuius voluntas omnipotentia, et cuius sapientia attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter, cum ab omni aeternitate *praevident* luctuosissimam totius humani generis ruinam ex Adami transgressione derivandam, atque in mysterio a saeculis abscondito primum suae bonitatis opus *decreverit* per Verbi Incarnationem sacramento occultiore complere, ut contra misericors suum propositum homo diabolicae iniquitatis versutia actus in culpam non periret ; et quod in primo Adamo casurum erat, in secundo felicius erigeretur, ab initio et ante saecula Unigenito Filio suo *Matron,* ex qua caro factus in beata temporum plenitudine nasceretur, *elegit atque ordinavit,* tantoque prae creaturis universis est prosecutus amore, ut in illa una sibi propensissima voluntate complacuerit. Quapropter illam longe ante omnes angelicos spiritus cunctosque sanotos coelestium omnium charismatum copia de thesauro Divinitatis deprompta cumulavit, ut ipsa ab omni prorsus peccati labe semper libera ac tota pulchra et perfecta, eam innocentiae et sanctitatis plenitudinem prae se ferret, qua maior sub Deo nullatenus intelligitur, ct

quam praeter Deum nemo assequi cogitando potest. Et quidem decebat omnino, ut perfectissimae sanctitatis splendoribus semper ornata fulgeret, ac vel ab ipsa originalis culpae labe plane immunis amplissimum de antiquo serpente triumphum referret tam venerabilis Mater, cui Deus Pater unicum Filium suum, quem de corde suo aequalem sibi genitum tamquam seipsum diligit, ita dare disposuit, ut naturaliter esset unus idemque communis et Patris et Virginis Filius, et quam ipse Filius substantialiter facere sibi Matrem elegit, et de qua Spiritus Sanctus voluit et operatus est, ut conciperetur et nasceretur Ille, de quo Ipse procedit. » Ex quibus habetur :

i° Firmum ac solidum fundamentum, cui innititur et ex quo infertur doctrina revelata de Beatissimae Virginis *Immaculata Conceptione,* esse ipsummet pietatis *mysterium Incarnationis* Filii Dei, atque *praeexcelsam Virginis electionem* ut esset Mater ex qua Verbum Dei caro factum in plenitudine temporum nasceretur.

20 *Immaculatam* Virginis *Conceptionem* esse intime connexam cum ipsamet Dei Matris dignitate. Lnde in Bulla dogmatica *Ineffabilis Deus* statim post adiungitur : « Quam originalem augustae Virginis innocentiam cum admirabili eiusdem sanctitate, praecelsaque Dei Matris dignitate omnino cohaerentem Catholica Ecclesia, quae a Sancto semper edocta Spiritu columna est ac firmamentum veritatis, tamquam doctrinam possidens divinitus acceptam et coelestis revelationis deposito comprehensam multiplici continenter ratione splendidisque factis magis in dies explicare, proponere ac fovere nunquam destitit. »

3° Mysterium autem Incarnationis Filii Dei fuisse decretum ab omni aeternitate, non quidem *ante* praevisionem peccati Adami, sed *post* praevisionem totius humani generis ruinae ; ruinae, inquam, luctuosissimae ex Adami transgressione in omnes Adami filios derivandae. Quapropter sapienter Angelicus Doctor docuerat, III. q. 1. a. 3. : « Ea enim quae ex sola Dei voluntate proveniunt supra omne debitum creaturae, nobis innotescere non possunt nisi quatenus in Sacra Scriptura traduntur, per quam divina voluntas nobis innotescit. Unde, cum in Sacra Scriptura ubique Incarnationis ratio ex peccato primi hominis assignetur, convenientius dicitur Incarnationis opus ordinatum esse a Deo in remedium contra peccatum ; ita quod, peccato non existente, Incarnatio non fuisset. Quamvis potentia Dei ad hoc non limitetur ; potuisset enim, etiam peccato non existente, Deus incarnari. »

40 Consequenter, electionem Beatissimae Virginis Mariae ad sitissimam Dei Matris dignitatem fuisse factam a Deo, Patre et Filio et Spiritu Sancto, etiam « cum ab omni aeternitate *praeviderit* luctuosissimam totius humani generis ruinam ex Adami transgressione derixandam ». Elegit itaque Deus ab initio et ante saecula Virginem Matrem, ex qua Unigenitus Filius suus in plenitudine temporis nasceretur, non ante praevisionem peccati Adami, sed post peccatum Adami iam praevisum ; etenim uno et eodem decreto decrevit Deus et Verbi Incarnationem et Verbi Incarnati Matrem. Lnde in Bulla *Ineffabilis Deus* etiam asseritur : « Atque idcirco vel ipsissima verba, quibus Divinae Scripturae de Increata Sapientia loquuntur, eiusque sempiternas origines repraesentant, consuevit (Ecclesia) tum in ecclesiasticis officiis, tum in sacrosanta liturgia adhibere et ad illius Virginis primordia transferre quae *uno eodemque decreto* cum Divinae Sapientiae Incarnatione fuerant praestituta. »

5° Uno igitur eodemque decreto post praevisionem peccati primorum parentum decrevit ab aeterno Deus primum suae bonitatis opus per Verbi Incarnationem Matrisque Verbi Incarnati electionem perficere ac complere, ut contra misericors suum propositum homo, diabolicae iniquitatis versutia actus in culpam, non periret, et quod in primo Adamo casurum erat, in secundo felicius erigeretur ». Unde Apostolus, I. Cor. cap. 15. : « Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus homo Adam in spiritum vivificantem. Sed non prius quod spirituale est, sed quod animale ; deinde, quod spirituale. Primus homo, de terra terrenus ; secundus homo, dc coelo coelestis. Qualis terrenus, tales et terreni ; et qualis coelestis, tales et coelestes. Igitur, sicut portavimus imaginem terreni, portemus et

imaginem coelestis. » Quod declarans I). Thomas, *I. Cor* cap. 15, lect. 7. : « Duo sunt, inquit, principia humani generis. Unum, secundum vitam naturae, sc. Adam ; aliud, secundum vitam gratiae, sc. Christus. Sed *aninialitas* est derivata in omnes homines a primo principio, sc. Adam. Ergo constat quod multo amplius a secundo principio, sc. Christo, *spuitualitas* detrahitur in omnes homines. Novissimus vero Adam, id est Christus, dicitur *novissimus ;* quia Adam inducit unum statum, sc. *culpae ;* Christus vero, *gloriae el vitae.* Unde, cum post statum istum nullus alius sequatur in vita ista, ideo dicitur *novissimus....* Secundus homo dicitur de coelo, non quod attulerit corpus de coelo, cum de terra assumpserit sc. de corpore Beatae Virginis ; sed quia Divinitas, quae naturae humanae unita est, de coelo venit, quae fuit prior quam Corpus Christi. ...Possumus dupliciter conformari homini coelesti : in vita sc. gratiae et gloriae ; et una est via ad aliam ; quia sine vita gratiae non pervenitur ad vitam gloriae. ... Ut ergo possimus esse coelestes, id est, pervenire ad vitam gloriae, *portemus imaginem coelestis* per vitam gratiae. Coloss. 3, 9 : *Exuentes veterem hominem, induite novum hominem,* sc. Christum. Rom. 8, 29 : *Quos praescivit ct praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui.* Sic ergo debemus conformari coelesti in vita gratiae, quia alias non perveniemus ad vitam gloriae. »

II

Definitum catholicae fidei dogma de Immaculata Conceptione non est conceptio Beatae Virginis ante infusionem animae rationalis, neque sanctificatio eius ante animationem, sed sanctificatio Beatissimae Virginis postquam cuncta eius perfecta sunt, scilicet et corpus et anima ; id est, in primo momento suae animationis seu in primo instanti temporis suae existentiae personalis.

Ita Constitutio dogmatica, qua definitur Beatissimae Virginis Mariae Immaculata Conceptio, ad litteram habet

Quoniam vero quae ad cultum pertinent, intimo plane vinculo cum eiusdem obiecto conserta sunt, neque rata et fixa manere possunt, si illud anceps sit et in ambiguo versetur, idcirco Decessores Nostri Romani Pontifices omni cura *Conceptionis cultum* amplificantes, illius etiam *obiedum* ac *doctrinam* declarare et inculcare impensissime studuerunt, Etenim clare aperteque docuere festum agi de Virginis Conceptione, atque uti falsam et ab Ecclesiae mente alienissimam proscripserunt illorum opinionem, qui non *Conceptionem ipsam,* sed *sanctificationem* ab Ecclesia coli arbitrarentur et affirmarent. Neque mitius cum iis agendum esse existimarunt, qui ad labefactandam de Immaculata Virginis Conceptione doctrinam, excogitato inter primum atque alterum Conceptionis instans et momentum discrimine, asserebant celebrari quidem *Conceptionem,* sed non pro primo instanti atque momento. Ipsi namque Praedecessores Nostri suarum partium esse duxerunt et Beatissimae Virginis Conceptionis festum et *Conceptionem pro primo instanti* tamquam verum cultus obiectum omni studio tueri ac propugnare. Hinc decretoria plane verba, quibus Alexander VII, Decessor Noster sinceram Ecclesiae mentem declaravit inquiens : *Sane, vetus est Christi fidelium erga eius Beatissimam Matrem Virginem Mariam pietas sentientium eius animam primo instanti creationis atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia ct privilegio, intuitu meritorum lesu Christi eius Filii, humani generis Redemptoris, a macula peccati originalis praeservatam immunem, atque in hoc sensu eius Conceptionis festivitatem solemni ritu colentium ct celebrantium.* »1 Circa quod notare oportet :

i° Ut enim ad hoc idem propositum distinguit Benedictus XIV. : « Conceptio dupliciter accipi potest : vel enim est *activa,* in qua sancti Beatae Virginis parentes opere maritali invicem convenientes praestiterunt ea, quae maxime spectabant ad ipsius corporis formationem, organisâtionem et dispositionem ad recipiendam animam rationalem a Deo

1 Alexander VII. Const *Sollicitudo omnium Ecclesiarum.* 7. dec. 1661.

infundendam ; vel est *passiva,* cum rationalis anima cum corpore copulatur. Ipsa animae infusio et unio cum corpore debite organizato vulgo nominatur *Conceptio passiva,* quae sc. fit illo ipso instanti, quo rationalis anima corpori omnibus membris ac suis organis constanti unitur. Non hic de *activa Conceptione* sermo est, sed de *passiva;* quae pura et immaculata fuisse dicitur. Beata enim Virgo ab originali labe fuit immunis, et a communi omnium hominum contagione libera per gratiam sanctificantem, quam Deus illi indidit in primo Conceptionis momento, cum anima corpori iam membris suis instructo unita fuit x. »

2° Conceptio autem quae *activa* denominatur, se habet ex parte parentum Beatissimae Virginis, et totum illud complectitur temporis spatium quod intercedit inter actum parentum quo proles generatur et in ventre matris concipitur, atque momentum temporis quando proles concepta animatur. De huiusmodi Conceptione loquitur semper ac constanter D. Thomas, dum ***III.*** *Seni.* dist. 3. q. 1. a. 1. quaerit : *Utrum Beata Virgo juerit antea sanctificata quam conceptio cius finiretur ?* Et respondet : « Ad primam ergo quaestionem dicendum, quod nullo modo in parentibus sanctificari potuit, neque etiam in ipso actu conceptionis eius. Conditio enim spiritualis a parentibus in prolem non transit, nisi sit *ad naturam* pertinens ; ut *grammatica* patris in filium non transit, quia perfectio personalis est. Unde et *sanctificatio* parentum in Beatam Virginem transfundi non potuit, nisi curatum esset in eis non solum id quod personae est, sed etiam id quod est *naturae,* in quantum huiusmodi : quod quidem Deus facere potuit, sed non decuit. Perfecta enim naturae curatio ad perfectionem gloriae pertinet ; et ideo sic in statu viae parentes eius curati non fuerunt, ut prolem suam sine *originali peccato conciperent;* et ideo Beata Virgo in *peccato originali fuit concepta.* Propter quod B. Bernardus in *Epistola ad Canonicos Lugdunenses* scribit Conceptionem illius celebrandam

1 Benedictus XIV., *De festis B. Mariae Virginis,* cap. 15, De festo Conceptionis B. Virg. dic 8. dcccnib.

non esse, quamvis in quibusdam ecclesiis ex devotione celebretur, non considerando Conceptionem, sed potius sanctificationem ; quae quando determinate fuerit, incertum est. » De huiusmodi Conceptione loquitur quoque D. Thomas, cum in *Quodlibcto VI. a.* 7. quaerit : *Utrum liceat celebrare Conceptionem Dominae nostrae ?* Et respondet, dicendum similiter, videlicet, quod « eius Conceptio non est celebranda ». Quare ita ? Quoniam agitur de *conceptione* prolis quae praecedit infusionem animae rationalis. Unde ait : « Creditur enim, quod cito post *conceptionem* et *animae infusionem* fuerit sanctificata. » De huiusmodi Conceptione Beatissimae Virginis ante animae eius infusionem manifestum est quod etiam loquitur D. Thomas, quando in III. q. 27. a. 2. quaerit : *Utrum Beata Virgo juerit sanctificata ante animationem* ? Et inter argumenta quae afferuntur ad concludendum, quod B. Virgo sanctificata fuerit ante animationem, istud in tertio loco opponitur : « Sicut dictum in a. i°, non celebratur festum nisi de aliquo Sancto. Sed quidam celebrant festum Conceptionis Beatae Virginis. Ergo videtur, quod in *ipsa sua Conceptione* fuerit sancta ; et *ita quod ante animationem* fuerit sanctificata ». Ac D. Thomas respondet : « Ad *tertium* dicendum, quod licet Romana Ecclesia Conceptionem Beatae Virginis non celebret, tolerat tamen consuetudinem aliquarum ecclesiarum illud festum celebrantium. Unde talis celebritas non est totaliter reprobanda. Nec tamen per hoc, quod festum Conceptionis celebratur, datur intelligi, quod in sua Conceptione fuerit sancta ; sed quia quo tempore sanctificata fuerit, ignoratur, celebratur *festum sanctificationis eius potius quam Conceptionis in dic Conceptionis eius.* »

30 Cum ergo Conceptio, de qua S. Thomas loquitur et quam celebrare Angelicus Doctor constanter negat, sit Conceptio quae dicitur *activa,* id est, Conceptio Beatissimae Virginis ante animationem, iure merito distinguit inter *Conceptionem ipsam* atque *sanctificationem;* aliter dicere oporteret Beatissimam Virginem fuisse sanetificatam vel in suis parentibus vel in carne sua ante animationem. Et si quocumque modo ante animationem Beatissima Virgo

sanctificata fuisset, iam personaliter non indiguisset redemptione et salute quae est per Christum.

40 Iure quoque merito docet D. Thomas : « Nec tamen per hoc quod festum Conceptionis celebratur, datur intelligi quod in sua Conceptione fuerit *sancta;* sed quia quo tempore sanctificata fuerit, ignoratur, celebratur *festum sanctificationis* eius potius quam *Conceptionis* in die Conceptionis ipsius. » Etenim nihil celebratur ab Ecclesia nisi quod est sanctum ; si autem celebraretur festum Conceptionis Beatissimae Virginis *in die* Conceptionis ipsius, tunc Beatissima Virgo in ipsa sua Conceptione quae vocatur *activa,* fuerit sancta ; « et ita (addit Angelicus Doctor) quod ante animationem fuerit sanctificata » ; « et ita non indiguisset redemptione et salute quae est per Christum » ipsamet Virginis persona quae constituitur ex unione substantiali animae et corporis, ac proinde post animationem ordine naturae.

50 Verumenim vero, tempore S. Thomae, licet Romana Ecclesia Conceptionem Beatissimae Virginis non celebrabat, tolerabat tamen consuetudinem aliquarum ecclesiarum illud festum celebrantium. « Unde (infert D. Thomas) talis celebritas non est *totaliter reprobanda.* » Erat quidem reprobanda, sed non totaliter. Reprobanda enim : quia S. Bernardus reprobaverat ; quia D. Thomas ipse videtur etiam reprobare, dum negat talem Conceptionem esse celebrandam ; quia, iuxta mentem plurium theologorum hanc celebritatem propugnantium, per hoc quod festum Conceptionis celebrabatur, dabatur intelligi quod Beata Virgo in sua *Conceptione activa* fuerit sancta ; id est, sanctificata in parentibus, sanctificata antequam eius generatio finiretur, sanctificata in carne sua, sanctificata quocumque modo ante animationem ; ideoque reprobanda, quia B. Virgo, ita sanctificata ante ipsam constitutionem suae propriae personae, iam non indiguisset ratione suae personae redemptione et salute, quae est per Christum. Attamen *non totaliter* reprobanda; quia Romana Ecclesia, etsi non celebrabat huiusmodi Conceptionem, *tolerabat consuetudinem* aliquarum ecclesiarum illud festum celebrantium ; quia talis celebritas poterat in bono ac recto sensu explicari, non quidem intelligendo

Conceptionem ante animationem, sed post Virginis animationem. Quonam tempore? « Quo tempore sanctificata fuerit, ignoratur » : respondet D. Thomas. Verumtamen, quocumque tempore post animationem Beatissima Virgo sanctificata fuerit, etiam in primo temporis momento, dicenda abs dubio erat *Sancta* in sua Conceptione passiva et adaequate sumpta. Unde :

6° Quando autem iam Romana Ecclesia Conceptionem Beatissimae Virginis incepit celebrare, tunc Romani Pontifices clare et aperte docuerunt festum agi de Virginis Conceptione post animationem et « *Conceptionem pro primo instanti* tamquam verum cultus obiectum omni studio tueri et propugnare ». Nimirum : « Eius animam primo instanti creationis atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia ct privilegio, intuitu meritorum lesu Christi eius Filii, humani generis Redemptoris, a macula peccati originalis praeservatam immunem, atque *in hoc sensu* eius Conceptionis festivitatem solemni ritu colentium et celebrantium.» Atque in hoc sensu, quatenus sc. agitur de primo instanti temporis quo anima Beatissimae Virginis Mariae fuit simul et creata et infusa in corpus et per gratiam justificantem sanctificata, nullum excogitandum discrimen inter primum atque alterum Conceptionis instans et momentum, neque inter Conceptionem ipsam et sanctificationem ; nam verum cultus obiectum, dum Ecclesia celebrat Immaculatam Beatissimae Virginis Conceptionem, est Conceptio ipsa, quae vocatur passiva et adaequate sumpta, pro primo instanti temporis sanctificata et sancta ; ideoque, a macula peccati originalis praeservata immunis.

7° Distinguere tamen oportet inter Conceptionem Domini Nostri lesu Christi et Conceptionem Beatissimae Virginis Matris eius : utraque Conceptio, sancta ; utraque, Immaculata; at non eodem modo ; nam in Christo est similiter sancta et immaculata tam Conceptio *activa* quam *passiva;* et in Beatissima Virgine Matre Christi solummodo est sancta atque immaculata conceptio *passiva* adaequate sumpta, non autem conceptio *activa,* nec *ipsa passiva* inadaequate sumpta quae praecedit tempore animationem camis per animam ratio-

nalem. Christus Dominus fuit sanctus et in sua origine ab omni peccato immunis *vi ipsius Conceptionis;* Beatissima Virgo Mater cius fuit quoque sancta et in primo instanti suae Conceptionis passivae adaequate sumptae ab omni labe originalis culpae praeservata immunis, non quidem *vi* i/nin *Conceptionis,* sed *vi privilegii cx* meritis Christi Redemptoris concessi. Et hoc est quod D. Thomas docet, III. q. 14. a. 3. ad 1. : « *Caro Virginis concepta fuit in originali peccato* ». Et ibid. q. 31. a. 7. : « *Corpus Beatae Virginis totum fuit in originali peccato conceptum,* ut supra dictum est, q. 27. a. 2. ad 2. » Atque in ista famosa responsione ad 2. nihil aliud necessario exprimitur, neque aliud intendit Angelicus Doctor significare, nisi differentiam inter utramque Conceptionem, cum ait : « ... Et ideo sub Christo, qui salvari non indiguit, tamquam universalis Salvator, maxima fuit Beatae Virginis puritas. Nam Christus *nullo molo* contraxit originale peccatum, sed in *ipsa sua conceptioni [activa,* nam D. Thomas semper loquitur de ista, etiam cum de B. Virgine loquitur) fuit sanctus, secundum illud Luc. i, 35 : *Quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei.* »

8° Igitur Beatissima Virgo Maria, Dei Genitrix et divinae gratiae Mater, fuit speciali Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum lesu Christi eius Filii, humani generis Redemptoris, a macula peccati originalis praeservata immunis; fuit ergo sanctificata et sancta in primo instanti creationi- atque infusionis animae eius in corpus, quod est primum et unum et idem temporis momentum suae animationi- suaeque propriae et personalis existentiae. Unde animatio non praecessit *ordine temporis* infusionem gratiae sanctificantis in animam ; bene tamen *ordine naturae;* quemadmodum de angelis, quos, secundum Augustinum et D. Thomam, « Deus sanctificavit simul in eis condens naturam et largien gratiam », tradit ipse Angelicus Doctor, I. q. 62. a. 3. ad l. « Dicendum, quod informitas illa angeli potest intelhgi vel per comparationem ad formationem gloriae, sic praecessit *tempore* informitas formationem ; vel per comparationem ad formationem gratiae, et sic non praecessit *ordine temporis, sal ordine naturae;* sicut etiam de formatione corporali Augustinus ponit., *I. Super Genesim ad litteram,* cap. 15. » Ita pariter prima sanctificatio Beatissimae Virginis fuit simul tempore atque ipsius animatio ; animatio autem eius, licet non praecesserit tempore sanctificationem animae, praecessit tamen ordine naturae. Prius namque prioritate naturae est animam B. Virginis a Deo creari, quam in corpus infundi ; et prius est ipsam in corpus infundi, quam corpus animari ; et prius est corpus per animam animari, quam animam per gratiam sanctificari ; quamvis huiusmodi omnia sint simul in uno eodemque momento temporis.

III

Definitum catholicae fidei dogma de Immaculata Conceptione est ipsamet persona Beatissimae Virginis Maria, ex substantiali unione animae et corporis iam perfecte constituta, atque in primo instanti suae propriae existentiae personalis ab omni originalis culpae labe praeservata immunis.

§ 1

Bullae dogmaticae textus. — *a)* « Hinc decretoria plane verba, quibus Alexander VII., Decessor Noster, sinceram Ecclesiae mentem declaravit, inquiens : Sane, vetus est Christi fidelium erga eius Beatissimam Matrem Virginem Mariam pietas sentientium eius animam primo instanti creationis atque infusionis animae in corpus fuisse speciali Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum lesu Christi, eius Filii, humani generis Redemptoris, *a macula peccati originalis* praeservatain immunem, atque in hoc sensu eius Conceptionis festivitatem solemni ritu colentium et celebrantium. » *b)* « Constitutiones et decreta a Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris, et praecipue a Sixto IV., Paulo V., ct Gregorio XV. edita in favorem sententiae asserentis : Animam Beatae Mariae Virginis in sui creatione et in corpus infusione, Spiritus Sancti gratia donatam, et a *peccato originali* praeservatam,

fuisse... » *c)* « Definimus doctrinam, quae tenet Beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suae Conceptionis fuisse... *ab omni originalis culpae labe* praeservatam, esse a Beo revelatam. »

Quot et quanta sub nomine peccati originalis veniant intelligenda. — i° Ut supra ex professo manet declaratum, peccatum originale contraponitur ad originalem iustitiam; iustitia vero originalis in qua primus homo fuit constitutus et, secundum Augustinum et D. Thomam, creatus, plurima gratuita et supernaturalia dona complectebatur, nimirum : Subiectionem : *a}* mentis, id est, voluntatis et intellectus,Deo; *b)* inferiorum virium, rationi ; *c)* et corporis, animae. Prima autem subiectio erat causa et secundae et tertiae. Quamdiu enim ratio manebat Deo subiecta, inferiora ei subdebantur. Atque nec illa subiectio corporis ad animam, nec inferiorum virium ad rationem, erat pure naturalis ; ac perinde nec illa prima subiectio, qua ratio Deo subdebatur, erat tantummodo secundum naturam, sed etiam secundum supematurale donum gratiae. Unde, tametsi *iustitia originalis* dicat plus quam *gratia gratum faciens,* gratia tamen sanctificans seu gratum faciens erat velut *radix* iustitiae originalis ; et iustitia originalis se habebat quasi gratia quaedam gratis data et fundata super gratiam gratum facientem K

2° Quapropter, cum peccatum originale formaliter sit *carentia originalis izislitiae* in humana natura ex primis parentibus per viam generationis ad nos usque derivata, idcirco peccatum originale est *peccatum naturae;* et sicut natura humana ex multis partibus componitur, ita multa conveniunt ad originale peccatum, sc. *defectus* diversarum partium humanae naturae ; et tale peccatum *naturae* est *personae* secundum naturam quam ab alio traxit per originem ; et ideo omnes defectus in natura prolis inventi, derivati a peccato primi parentis, habent rationem peccati originalis, dummodo sit in subiecto quod sit susceptivum culpae ; vel respondent peccato originali ut poena concomitans 2.

' I. q. 105.

2 *Dc Malo,* q. 4. a. 2. et q. 5. a. 4.

30 Omnes ac singuli defectus qui, provenientes ex carentia seu privatione originalis iustitiae, comprehenduntur, sive secundum rationem culpae sive secundum rationem poenae, sub nomine peccati originalis, eodem modo traducuntur ex Adamo in posteros quomodo traducitur humana natura ; quae quidem traducitur non quidem secundum se totam, sed secundum aliquam sui partem, sc. secundum *carnem,* cui Deus animam infundit ; et sic, sicut anima divinitus infusa pertinet ad naturam humanam ab Adam derivatam, propter *carnem* cui coniungitur, ita et defectus praedicti pertinent ad animam propter *carnem* quae ab Adam propagatur, non solum secundum corpulentam substantiam, sed etiam secundum seminalem rationem ; id est, non solum *materialiter,* sed sicut ab *activo principio;* sic enim filius accipit a patre naturam humanam. Unde peccatum originale fuit quidem in ipso Adamo, sicut in *prima causa principali ;* in semine autem corporali est peccatum originale sicut in *causa instrumentait,* eo quod per virtutem activam seminis traducitur peccatum originale in prolem simul cum natura humana. Et hoc est, quod vocatur *infectio carnis,* ex qua maculatur anima, et contagio originalis peccati natura et persona hominis ex Adam per viam generationis descendentis inquinaturx.

l *De Malo,* q. 4. a. i. — I.-II. q. 33. a. 1. — Et Caietanus, *In IMI.* q. 81. a. 4. ad hoc propositum diversos textus D. Thomae declarat atque in harmonia esse ostendit ita scribens : « In a. 4. eiusdem 81. quaestionis in responsione ad 2. : *Caro non inficit animam. mst tn quantum est principium activum in generatione,* dubium occurrit, quia Auctor (D. Thomas) *II. Sent.* dist. 30. q. 1. a. 2. ad 3. ct 5., et hic in a. 1. ad 4. tenet animam infici *ex carne* quae est *pars geniti* quam constat non esse principium activum in generatione ; nunc vero dicit, quod caro non inficit ni si inquantum est principium activum in generatione. Non enim stant haec duo simul. - Ad hoc dicitur, quod *carnis* nomine quatuor accipere possumus : *corpus paternum,* ex quo deciditur semen ipsum : *semen,* secundum virtutem activam in spiritu spumoso ; *carnem,* quae fit pars prolis m ipsa unione ad animam ; ct *carnem,* ut perseverantem in prole. Et retrogrado ordine procedendo, *caro perseverans* inficit animam mediante proprio consensu dum *concupiscit adversus spiritum. Caro* vero in unione, ut

4° Quae quidem dilucide ita a D. Thoma declarantur : « *Peccatum originale* dicitur *peccatum totius naturae,* sicut *peccatum actuale* dicitur *peccatum personale.* Unde, quae est comparatio peccati actualis ad unam personam singularem, eadem est comparatio peccati originalis ad *totam naturam humanam* traditam a primo parente, in quo fuit peccati initium, et per cuius voluntatem in omnibus originale peccatum voluntarium reputatur. Sic ergo originale peccatum est in anima, in quantum pertinet ad humanam naturam. Humana autem natura traducitur a parente in filium per traductionem *carnis,* cui postmodum anima infunditur; et ex hoc *injectionem* incurrit, quod fit cum carne traducta m *natura.* Si enim non uniretur ei ad constituendam naturam, sicut angelus unitur corpori assumpto, *injectionem* non reciperet. Sicut in natura Adae erat natura omnium nostrum originaliter, ita et peccatum originale, quod in nobis est, erat in illo peccato originali originaliter. Nam peccatum originale, ut dictum est, per se recipit *natura, anima* vero ex consequentih »

50 Anima igitur rationalis recipit infectionem ex hoc, quod unitur carni infectae cum qua fit *una natura,* atque ex ista unione substantiali animae et corporis resultat constituta *persona* huius unius naturae infectae ; ex qua quidem naturae *corruptione,* in se *virtutem peccati,* ex quo causata est, continente, oriuntur ac traducuntur per actum naturae, qui est carnis propagatio, omnia illa quae simul sumpta *peccatum originale* constituunt ac denominantur ; quorum quaedam habent rationem culpae, quaedam vero rationem poenae in persona generati. Etenim ex hoc ipso quod illa infectio camis cui anima coniungitur et cum qua fit natura una ; ex hoc, inquam,ipso quo illa naturae corruptio, in se virtutem peccati, ex quo causata est, continens, *personam attingit :*

a) Ipsam personam indignam Dei gratia efficit; nam descendit ab Adamo per viam generationis ; et ideo meretur, ut filius Adami, privari *iustitia originali* quae fuit data primo homini, non ut singulari personae tantum, sed ut cuidam principio totius humanae naturae, ut sc. ab eo per originem derivaretur in posteros.

b) Ex hoc quod filius Adami debet carere originali iustitia, *debet non habere gratiam illam sanctificantem,* quae erat veluti radix omnium supernaturalium donorum quae >ub gratuito dono communi originalis iustitiae continebantur.

c) Ex defectu vero gratiae gratum facientis, in qua fundabatur originalis iustitia et quam filius Adami debebat habere et propter voluntariam culpam primi parentis non habet, relinquitur etiam in anima filii Adami *ratio culpae;* non quidem actualis, sed originalis seu per modum habitus ; non quidem per ordinem ad suam propriam et personalem voluntatem, sed per comparationem ad voluntatem primi parentis in quo omnes peccaverunt ; non quidem prout filius Adami est *persona quaedam,* non habito respectu ad naturam, sed prout tota multitudo hominum, a primo parente humanam naturam accipientium, sunt quasi *unus homo, imum corfus* unius hominis, *una familia* primi parentis, *unum* cum Adamo qui est omnium caput.

d) Ex eodem defectu gratiae sanctificantis in anima relinquitur quoque *macula;* sed *macula originalis* quae respondet peccato originali, quemadmodum originale peccatum habet rationem culpae in nobis. Unde D. Thomas, I.-II. q. 86. a. 1. ad 3. : « Macula non est aliquid positive in anima, nec significat privationem solam, sed significat privationem quondam nitoris animae in ordine ad suam causam, quae est peccatum ; et ideo diversa peccata diversas maculas inducunt ; et est simile de umbra, quae est privatio

stat sub actione seminis generando, viventis, inficere dici potest ut materia, cui coap atur forma in constitutione naturae. Magis tamen et verius dicitur quod *semen* inficit, cui proprie convenit actio naturae, et eadem ratione, licet remote, *paternum corpus,* in quantum mediante semine active generat. Ex quibus patet, quod verissimum est quod *caro* non inficit *sola* (quod dico propter carnem ut perseverantem), nisi pro quanto est *principium activum ;* quia si caro in unione inficit, hoc habet ut stat sub principio activo. Et sic, vcrificatur etiam illud comparativum *magis,* in primo a. positum, ad 4. ; magis namque inficit *semen* quam *caro m unione,* quia propter illud ; et quam *caro perseverans,* quia non nisi diminute inficit, ut dictum est, concupiscendo. »

De Potentia, q. 3. a. 9. ad 3. et 4.

luminis ex obieclo alicuius corporis, et secundum diversitatem corporum obiectorum diversificantur umbrae. »

e) Ex hoc ipso defectu seu carentia originalis iustitiae relinquitur *reatus poenae,* ut sc. filius Adami praemio illo carcat quod gratiae sanctificanti debebatur. Huiusmodi poena sc. carentia divinae visionis originali peccato debetur, in quantum personam inficit ; visio enim divina actum quendam designat ; actus autem omnis personae est, quia actus individuorum sunt : unde ct carentia visionis ad personam referenda est h

/) Ad carentiam autem originalis iustitiae sequitur etiam alia poena, inquantum originale peccatum naturam inficit, videlicet *rebellio carnis* ad spiritum sive *habitualis concupiscentia* contracta per originem quae nihil aliud est quam destitutio inferiorum virium a retinaculo iustitiae originalis. Sublato enim freno originalis iustitiae, vis concupiscibilis non perfecte subditur rationi ; huiusmodi pronitas seu habilitas ad concupiscendum, non servato ordine rationis, dicitur habitualis concupiscentia, quae constituit id quod est *materiale* in originali peccato ac denominatur *fomes peccati;* qui, licet peccatum non sit, ex peccato venit et ad peccatum inclinat[1].

g) Ac denique tandem, ex peccato originali inquantum naturam inficit, alia poena consequitur ei debita, nempe *necessitas moriendi, passibililas* et alia huiu-mçdi, quae omnia, sicut rebellio carnis ad spiritum, ex principiis naturae causantur, et speciem totam consequuntur, nisi miraculose aliter contingat. Absque dubio, secundum fidem catholicam tenendum est, quod mors et omnes huiusmodi defectus praesentis vitae, sunt poena peccati originalis ; et omnes isti defectus respondent peccato originali ut poena concomitans atque ex peccato originali procedentes[3].

1 Vide *II. Sent.,* dist. 32. q. j. a. ct 2.
2 *De Malo,* q. 4. a. 2. γ
71)c yial°' a· 4· *II. Sent.* dist. 32. q. 1. a. 2. — 5mw.
Theol.t III. q. i. a. 4. ad 2. vWBK

§ 2

Fuitne Beatissima Virgo praeservata in primo instanti suae animationis ab omnibus ac singulis defectibus ex originali peccato provenientibus ? — Constitutio dogmatica *Ineffabilis Deus* respondet, dicendum : « *Beatissimam Virginem in primo instanti suae Conceptionis fuisse ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem.* » Ad cuius perfectam intelligentiam adnotare oportet cum D. Thoma :

i° Quod peccatum originale primo et per se est *infectio naturae;* et per consequens, *inficit personam,* secundum quod dispositio naturae in personam redundat. Unde ex defectibus, qui sub nomine peccati originalis veniunt intelligendi atque ex originali peccato proveniunt, quaedam inficiunt naturam omnibus hominibus communem, quaedam vero inficiunt personas in humana natura subsistentes. Quae enim inficiunt personam, constituunt originale peccatum sub *ratione culpae,* sub *ratione maculae,* sub *ratione reatus poenae aeternae* quae in carentia visionis divinae essentiae consistit, et denique sub *ratione fomitis* in quantum fomes pertinet ad corruptionem personae. Quae vero inficiunt naturam, sunt omnia illa quae ex principiis naturae causantur et speciem totam consequuntur, et habent *rationem poenae* quae culpae originali debetur secundum quod naturam inficit, v. g. *necessitas moriendi, passibilitas, pocnalitatcs huius praesentis vitae, rebellio carnis ad spiritum* sive *fomes carnis* in quantum fomes pertinet ad corruptionem naturae K

2° Sicut peccatum originale hoc modo processit, quod primo persona primi parentis infecit naturam, et postmodum vero natura infecit personam : ita, converso ordine, gratia Christi Redemptoris prius reparat id quod personae est, et postmodum simul in omnibus reparabit id quod naturae est. Et ideo culpam originalis peccati et etiam poenam carentiae visionis divinae, quae respiciunt personam, gratia Christi statim post baptismum tollit ab homine ; sed

l *II. Sent.* dist. 32. q. 1. a. 2. — III. q- 27. a. 3.

poenalitates praesentis vitae, sicut mors, fames, sitis, et alia huiusmodi, respiciunt naturam, ex cuius principiis causantur, prout est destituta originali iustitia ; et ideo isti defectus non tollentur nisi in ultima reparatione naturae. Quapropter duplex distinguitur *sanctificatio* quae est emundatio a peccato originali (sanctitas enim est perfecta munditia) : una quidem *totius naturae,* in quantum sc. tota natura humana ab orum corruptione culpae et poenae liberatur ; et haec erit in resurrectione. Alia vero est *sanctificatio -personalis,* quae non transit in prolem carnaliter genitam, quia talis sanctificatio non respicit carnem, sed mentem. Unde per gratiam Baptismi tollitur in peccato originali id quod pertinet ad *personam,* non vero id quod pertinet ad *naturam;* ideo Baptismus hoc ab homine tollit, quod ex corruptione naturae in personam redundabat ; et ideo, ipsam *injectionem culpae,* prout afficit personam, tollit ; et *poenam illam,* quae etiam personam respicit, sc. carentiam visionis divinae, aufert ; sed nen aufert actu *injectionem* prout afficit naturam ; nam etiam baptizatus per actum naturae originale transmittit in prolem ; et similiter nec aufert *poenas* quae consequuntur principia naturae destitutae gratia innocentiae primi status, cuiusmodi sunt rebellio carnis ad spiritum, et huiusmodi *poenalitates* quae consequuntur ex hoc ipso quod homo ex contrariis compositus est et quantum ad *corpus* et quantum ad *animam* quodammodo, sc. quantum ad appetitum sensus et intellectus \

3° Attamen per gratiam baptismalem efficitur, ut huiusmodi poenae remanentes non dominentur in personam, sed magis ei subiiciantur et in utilitatem ipsius cedant, in quantum sunt materia virtutis et occasio humilitatis et exercitii. Inde anima purgatur a macula culpae, et per consequens solvitur reatus poenae ; ac dispositio ad malum quae *fomes* et *concupiscentia* dicitur, licet non totaliter tollatur usque ad statum beatitudinis, quo natura perfecte curabitur, tamen minuitur, in

1 HI. q. 27. a. 2. ad 4. et q. 69. a. 3, ad 3. — *IV. Sent,* dist 4. q. 2. a. i.

quantum gratia, quam quis in Baptismo consequitur, in contrarium inclinat ei ad quod fomes disponebat ; et ita virtus fomitis in nobis per auxilium gratiae minuitur 1.

4° Simpliciter loquendo, melius esset homini fomite carere quam ipsum habere ; constat enim, quod ex abundantia gratiae fit in aliquibus quod a fomite liberantur. Sed quoad aliquid et quantum ad aliquem statum hominis, expedit fomitem habere, ne in superbiam elatus cadat. Quantumcumque de gratia baptismali in Baptismo infundatur, numquam tamen potest hoc efficere, ut ex toto tollat fomitem ; quia gratia illa non est ordinata nisi ad curandum infectionem personae ex infectione naturae procedentem. Posset tamen Deus alterius generis gratiam infundere, per quam totum tolleretur, ut sic simul et personae et naturae infectio gratiae cederet2.

5° Unde in regeneratis per gratiam statim tolluntur omnia illa quae cum gratia gratum faciente nequeunt stare simul, nempe : *ratio culpae, ratio maculae, ratio reatus aeterni;* sed iuxta ordinariam legem non removentur ea quae naturam inficiunt secundum quod ad naturam per se referuntur, sicut *fomes, passibilitas, necessitas moriendi* et huiusmodi ; hoc enim erit in patria, quando nostra natura perfectae libertati restituetur 3.

6° Quapropter peccatum originale etiam in ipsis regeneratis non ex toto tollitur ; sed quoad aliquid aufertur, et quoad aliquid remanet. Peccatum originale per Baptismum *aufertur reatu,* in quantum anima recuperat gratiam quantum ad mentem. *Remanet* tamen *peccatum originale actu,* quantum ad fomitem, qui est inordinatio inferiorum partium animae et ipsius corporis, secundum quod homo generat, et non secundum mentem. Et ideo baptizati traducunt peccatum originale ; non enim generant in quantum sunt renovati per Baptismum, sed in quantum retinent adhuc *aliquid* de vetustate primi peccati 4.

1 *II. Sent.* dist. 32. q. 1. a. I. — *Sent.* dist. 4. q. 2. a. i.
2 *II. Sent.* dist. 32. q. 1. a. 2. ad 4. et 5.
II. Sent. dist. 32. q. I. a. 2.
I.-II q. 81. a. 3.

7° Quae quidem *D. Thomae* verba declarans CaietamF « Scito, quod peccatum originale in baptizato dicitur *renanere actu ct transire reatu.* Quia et vere *actu remand* privatio iustitiae originalis ; sumus adhuc illa privati. Quoniam, quamvis habeamus gratiam gratum facientem coniungentem *supremum* hominis Deo, non tamen habemus eam secundum *eum effectum* qui est iustitia originalis, in statu isto. Gratia enim (ut in Prima Parte Summae, q. 95. a. 1. dictum fuit) est radix originalis iustitiae ; quae, olim cum suo fructu perdita, per Baptismum reparatur secundum se, tantum fructum factura iustitiae originalis post resurrectionem. Et vere *transit reatu;* quia non remanet in baptizatis privatio originalis iustitiae *sttb ratione culpae;* non enim amplius ei? imputatur ad culpam, nec reservatur punienda. Et sic brevibus hic colligere poteris, quomodo originale peccatum in baptizato actu remaneat, reatu vero transeat ; et alia multa necessaria pro declaratione eorum quae Sanctus Doctor (D. Thomas) dicit in Littera (in textu Summae).

8° Ex omnibus supradictis habetur, quod de lege ordinaria gratia Christi Redemptoris, quamvis *virtualiter* in se contineat ea ipsa omnia quae in originali iustitia continebantur, in praesenti tamen vita originalem iustitiam non restituit ; nam infectionem originalis peccati non mundat nec removet, nisi secundum quod infectio naturae in personam redundat ; non autem secundum quod ad naturam per se refertur. Unde tollit originale peccatum quoad culpam, quoad maculam, quoad reatum poenae aeternae, et fomitem peccati diminuit ; sed cetera omnia remanent : remanent quidem huius vitae poenalitates, remanet necessitas patiendi et necessitas moriendi, et numquam ex toto fomes tollitur, Et ratio huius est, quia gratia Christi, quae nobis per sacramenta confertur, non est ordinata nisi ad curandum infectionem personae ex infectione naturae procedentem. Verumtamen potest Deus alterius generis gratiam infundere, de lege extraordinaria ; gratiam, inquam, etiam ex meritis Christi, per quam totum tollatur : ut sic simul et personae et naturae infectio, gratiae cederet.

90 C urn ergo in Constitutione dogmatica *Ineffabilis Deus* definiatur Beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suae Conceptionis « *fuisse ab omni originalis culpae labe fraeservatam immunem* », sequitur :

a) Beatissimam Virginem Mariam Dei Matrem ab omnibus ac singulis, quae cum gratia gratum faciente nequeunt stare vel componi, praeservatam fuisse ; ideoque fuisse praeservatam immunem : i° ab originali culpa ; 20 ab originali macula ; 30 a reatu poenae quae est carentia divinae visionis.

b) Beatissimam Virginem Mariam Dei Matrem fuisse quoque praeservatam immunem ab omnibus ac singulis defectibus qui ex corruptione naturae in personam redundant et personam inficiunt ; ideoque praeservatam fuisse in sua prima sanctificatione a *fomite peccati,* saltem in quantum fomes inficit personam, atque ex hac parte pertinet ad corruptionem personaeL Unde D. Thomas, III. q. 27. a. 3. : « Dicitur *Cant. 4,* 7 ; *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.* Fomes autem ad maculam pertinet, saltem carnis. Ergo in Beata Virgine fomes non fuit. » Et ibidem, ad 3. : « Dicendum, quod infirmitas camis, ad fomitem pertinens, est quidem in sanctis viris perfectae virtutis *occasio,* non tamen *causa* sine qua perfectio haberi non possit. Sufficit autem in Beata Virgine ponere perfectam virtutem *ex abundantia gratiae;* nec oportet in ea ponere omnem occasionem perfectionis. »

c) Beatissimam Virginem Mariam Matrem Dei non fuisse praeservatam immunem a morte corporali nec ab huius vitae poenalitatibus. Etenim de facto multa passa est et mortua fuit. Unde D. Thomas, III. q. 27. a. 3. ad 1. : '(Dicendum, quod mors et huiusmodi poenalitates de se non inclinant ad peccatum. Unde etiam Christus, licet assumpserit huiusmodi poenalitates, fomitem tamen non assumpsit. Unde etiam in Beata Virgine, ut Filio conformaretur, de cuius plenitudine gratiam accipiebat, primo quidem fuit ligatus fomes, et postea sublatus ; non autem liberata fuit a morte et aliis huiusmodi poenalitatibus. » 2

› Vide : *III. Sent.* dist. 3. q. 4· a. 2 ad 5.
* Ad hoc propositum scribit Basez *In I. q. 4S. a. 5. ;* - Non est

IV

Definitum Catholicae fidei dogma de Immaculata Conceptione est ipsamet Beatissima Virgo Maria, ia sui *propria* persona iam constituta atque in ipso primo instanti suae existentiae personalis, ab omni original culpae labe praeservata immunis ex meritis Christi lesu Redemptoris praevisis.

Textus Constitutionis dogmaticae. — « Itaque plurimum in Domino confisi advenisse temporum opportunitatem pro Immaculata sanctissimae *Dei Genitricis* Virginis Mariae Conceptione definienda, quam divina eloquia, veneranda traditio, perpetuus Ecclesiae sensus, singularis catholicorum Antistitum ac fidelium conspiratio, et insignia Praedecessorum Nostrorum actae Constitutiones, mirifice illustrant atque declarant ; rebus omnibus diligentissime perpensis, et assiduis fervidisque ad Deum precibus effusis : minime cunctandum Nobis esse censuimus supremo Nostro judicio Immaculatam ipsius Virginis Conceptionem sancire, definire, atque ita pientissimis *Catholici* Orbis desideriis, Nostraeque in ipsam Sanctissimam Virginem pietati satisfacere, ac simul in Ipsa Unigenitum Filium suum, Dominum Nostrum lesum Christum, magis atque magis honorificare, cum in Filium redundet quidquid honoris et laudis in Matrem impenditur. Quare, postquam nunquam intermisimus in humilitate et ieiunio privatas Nostras et publicas Ecclesiae preces Deo Patri per Filium Eius offerre, et Spiritus Sancti rirtute men-

necesse, ut illud subi; ctum, in quo repentur *malum poenae,* fuerit aliquando subditum *culpae,* vel actuali vel originali ; sed satis fuerit, quod : *a)* vel *esset obnoxium,* quantum erat ex sua natura, originali peccato contiahendo, ut dici potest de Beata Virgine, si dicimus illam *praeservatam fuisse* ab originali ; *b) vel quod suscipiat ad setpsum* originale pecc tum, non quantum ad infectionem cu'pie, sed ut *pro illo satisfaciat;* ct ita est dicendum de *Christo Domino,* quod fuerunt in illo poenalitates correspondentes originali culpae.

tem Nostram dirigere et confirmare dignaretur, implorato universae coelestis curiae praesidio, et advocato cum gemitibus Paraclito Spiritu, Eoque sic adspirante, ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad decus et ornamentum Virginis, Deiparae, ad exaltationem Fidei catholicae, et Christianae Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri lesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra, declaramus, pronunciamus et definimus : Doctrinam, QUAE TENET BEATISSIMAM VIRGINEM MaRIAM IN PRIMO INSTANTI SUAE CONCEPTIONIS FUISSE SINGULARI OMNIPOTENTIS Dei gratia et privilegio, INTUITU MERITORUM Christi Iesu Salvatoris humani generis, AB OMNI ORIGINALIS CULPAE LABE PKAESERVATAM IMMUNEM, ESSE A DEO REVELATAM, ATQUE IDCIRCO AB OMNIBUS FIDELIBUS FIRMITER CONSTANTERQUE CREDENDAM. »

Peccatum Adae in quo omnes peccaverunt, et meritu Christi per quem omnes qui peccaverunt in Adamo, redempti sunt. — D. Thomas declarat et differentiam simul atque proportionem quandam analogicam inter peccatum Adae et meritum Christi relate ad eos, quorum tam primus quam secundus Adam constituti fuerunt caput. Differentia quidem in hoc apparet, quod in Christo eadem secundum essentiam est *gratia 'personalis* qua anima Christi est justificata, et *gratia eius* secundum quam est Caput Ecclesiae iustificans alios ; unde utraque gratia, secundum quod est caput Ecclesiae et secundum quod est quiddam homo singularis, eadem quippe est essentialiter, ct non differt nisi secundum rationem. Secundum hoc enim Christus est caput nostrum, quod de plenitudine cius nos omnes accepimus. Plenitudinem autem gratiae habuit, secundum quod perfecte fuit in illo gratia personalis. Ergo secundum gratiam personalem est caput nostrum. Et ita non est in Christo *alia* gratia capitis, et *alia* gratia personalis. Et ideo ex illa eminentia gratiae, quam Christus Dominus et Salvator noster accepit, competit ei, quod gratia illa ad alios derivetur : quod pertinet ad rationem capitis. E contra, in Adamo aliud est *peccatum actuale* ipsius, et aliud *peccatum originale* quod traduxit in posteros. Pecca-

tum enim originale in Aciam, quod est *peccatum natural,* derivatum est a *peccato actuali* ipsius, quod est *peccalun personale;* quia in eo persona corrumpit naturam; qua corruptione peccatum primi hominis derivatur ad posteros, secundum quod *natura corrupta* corrumpit *personam.* Sed gratia non derivatur a Christo in nos mediante natura humana, sed per solam personalem actionem ipsius Christi. Unde non oportet in Christo distinguere *duplicem gratiam,* quarum una respondeat naturae, alia personae, sicut distinguitur peccatum naturae et personae. Haec quoad differentiam docet atque adnotat D. Thomas, III. q. 8. a. 5.

Quoad analogicam vero proportionem inter peccatum Adami et meritum Christi Redemptoris, haec, quae sequuntur, ad litteram tradit quoque Angelicus Doctor, III. q. 19. a.4.: i° « *In Christo non* solum fuit gratia sicut in quodam homine singulari, sed sicut in capite totius Ecclesiae cui omnes uniuntur, sicut capiti membra, ex quibus constituitur mystice *una persona.* Et exinde est, quod meritum Christi se extendit ad alios, in quantum sunt *membra* eius ; sicut etiam in uno homine actio capitis aliqualiter pertinet ad omnia membra eius, quia non solum sibi sentit, sed omnibus membris. » 20 « Peccatum *singularis personae* non nocet nisi sibi ipsi ; sed *peccatum Adae,* qui constitutus a Deo *principium totius naturae,* ad alios per carnis propagationem derivatur; et similiter *meritum Christi,* qui est a Deo constitutus *caput omnium hominum* quantum ad gratiam, se extendit ad omnia eius membra. » 30 « Sicut *peccatum Adae* non derivatur ad alios nisi per carnalem generationem, ita *meritum Christi* non derivatur ad alios nisi per regenerationem spiritualem; quae fit in Baptismo, per quem homines Christo incorporantur, secundum illud Galat. 3, 27 : *Omnes quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis; et hoc* ipsum est gratiae, quod homini conceditur regenerari in Christo ; et sic salus hominis est ex gratia. »

Terminus a quo redemptionis est peccatum originale vel in actu vel in necessitate habendi illud. — Haec est illa magni momenti veritas, quam sicut veritatem catholicae fidei Angelicus Doctor statuit, declarat ac propugnat semper et ubique et in omnibus suorum operum paginis, quotiescumque de peccato originali contrahendo simul atque de necessitate redemptionis per meritum Christi Iesu, totius humani generis Redemptoris, agitur et controvcrtitur. Iam supra ex professo hac de re actum est, atque per aperta D. Thomae testimonia haec adeo momentosa quaestio declarata manet ac in perspicuo posita. Hic unum dumtaxat locum, locum quidem classicum in controversia de peccato originali, in medium oportet iterum depromere atque afferre ex *Summa Thcologfcrt,* I.-II. q. 81. a. 3. : *Utrum peccatum primi parentis transeat per originem in omnes homines.* « Respondeo : dicendum, quod secundum fidem catholicam firmiter est tenendum, quod omnes homines, praeter solum Christum, ex Adam derivati, peccatum originale ex eo contrahunt ; alioquin non omnes indigerent redemptione quae est per Christum : quod est erroneum. Ratio autem sumi potest ex hoc, quod supra in a. 1. dictum est, quod sic ex peccato primi parentis traducitur *culpa originalis* in posteros, sicut a voluntate animae per motionem membrorum traducitur *peccatum actuale* ad membra corporis. Manifestum est autem, quod peccatum actuale traduci potest ad omnia membra quae nata sunt moveri a voluntate. Lnde et culpa originalis traducitur ad omnes illos qui moventur ab Adam motione generationis. » Hactenus D. Thomas. Nunc audiamus Caietanum, nobilissimum D. Thomae interpretem, qui in suis *Commentariis* supra hunc locum ita clare, ita vere, ita pulchre, ita magnifice eloquitur : « In articulo tertio eiusdem octogesimae primae quaestionis, adverte duo circa universalitatem peccati originalis. Primum est, quod ad fidem catholicam spectat, quod *omnes,* praeter *solum Christum,* contrahant peccatum originale. Quod dictum non intelligendum est aliter quam de morte, quae est poena peccati originalis ; ita quod, sicut omnes incurrunt mortem, id est *necessitatem moriendi,* ita omnes incurrunt peccatum originale, id est *necessitatem habendi peccatum originale.* Ht sicut non spectat ad fidem, an singuli moriantur *actualiter,* an divina dispositione

aliquis *non moriatur:* ita non spectat ad fidem[1], an aliqui ex speciali praerogativa gratiae, non *incurrat actualité* originale peccatum. De utroque enim simul inquit Aprstolus, ad Nom. 5, 12 : *Per unum hominem peccaiwn introivit in mundum; et fier peccatum, mors. Est* igitur necessarium secundum catholicam fidem, credere, quod omnis utriusque sexus, ab Adam secundum rationem seminalem provenien- ex ipsa sua generatione sit *obnoxius peccato originali.* Et contra Pelagianos, dicentes oppositum, Augustinus disserit et definit. De solo autem lesu Christo verum est, quod ex ipsa generatione nulli obnoxius est peccato, iuxta verbum *Angeli* ad Beatam Virginem ante Filii conceptionem, quae vocatur nativitas in utero, dicentis : *Quod ex te nascetur sanctum.* (Luc. 1, 35.) Et iuxta hunc sensum militat ratio Auctoris (D. Thomae), sc. quia aliter non indigerent redemptione quae per lesum Christum facta est. Si enim peccatum originale, *vel in actu* vel in *necessitate habendi illud,* quis non incurreret, non egeret redemptione: quod haereticum esset dicere. Sed si omnes obnoxii sunt peccato originali, sufficit ad indigentiam redemptionis ; neque enim solum redemptione eget actualiter captivus, sed etiam obnoxius captivitati. Et haec bene notabis tu, Thomista, ne nimio zelo, non secundum scientiam, accensus, erronea dicas quae erronea non sunt, cum de Beatissimae Virginis Conceptione disputas aut praedicas. »

Debitum peccati originalis seu necessitas habendi illud ad indigentiam redemptionis est necessitas personalis, sive debitum non solum ratione naturae, sed etiam ratione ipsius personae.— Quod expresse in terminis traditur a D. Thoma, *IV. Sent.* dist. 43. q. 1. a. 4. solut. 1. ad 3. : « Dicendum, quod hoc est erroneum dicere, quod aliquis sine peccato originali concipiatur praeter Christum ; quia ille, qui sine peccato originali conciperetur, non indigeret redemptione

1 Hodie, post definitionem dogmaticam Pii IX., spectat iam ad fidem Beatissimam Virginem Mariam, cx speciali praerogativa gratiae, non incurrisse *actualiter* originale peccatum.

quae facta est per Christum ; et sic Christus non esset *omnium* hominum Redemptor. Nec potest dici, quod non hac redemptione indiguerunt, quia praestitum fuit eis, ut *sine peccato conciperentur ;* quia *illa gratia* facta est *parentibus,* ut in eis vitium naturae sanaretur ; vel *ipsi naturae,* quae sanata est. Oportet autem ponere, quod quilibet *personaliter* redemptione Christi indigeat, non *solum ratione naturae.* Liberari autem a malo vel a debito absolvi non potest nisi qui debitum incurrit vel in malum deiectus fuit ; et ita non possent omnes fructum dominicae orationis in seipsis percipere, nisi omnes *debitores* nascerentur et malo subiecti. Unde dimissio debitorum et liberatio a malo non potest intelligi, quod aliquis sine debito vel immunis a malo nascatur ; sed, quia *cum debito* natus, postea per gratiam Christi liberatur. Inde ad indigentiam personalem redemptionis per gratiam Christi opus est, quod unusquisque personaliter incurrat *necessitatem* habendi peccatum originale ; et sic cum *debito* tale peccatum habendi, quo pro peccato primi parentis adstringimur, unusquisque natus illa nativitate quae *nativitas in utero* dicitur, postea, saltem posterioritate naturae, per gratiam Christi Redemptoris liberatur. Quapropter, ut quilibet personalitei indigeat redemptione quae facta est per Christum, oportet, quod sanctificetur post animationem, posterioritate temporis vel saltem naturae ; id est, post constitutionem personae, quae resultat cx unione substantiali animae et corporis, tum, cum anima, quae infunditur in came, fit cum carne traducta *una natura.*

Quid sit vel in quo consistat huiusmodi debitum personale, necessarium ad indigentiam redemptionis quae facta est per Christum. — Ut D. Thomas docet : « Culpa originalis est in anima secundum suam essentiam, per quam coniungitur, ut *forma, carni, cx qua* infectio originalis in anima contrahitur. » *QDc Vcrit.* q. 27. a. 6. ad 2.) « Et quia originale causatur in anima ex coniunctione eius ad tale corpus, prout forma est, sic enim ex utrisque coniunctis talis natura resultat : oportet, quod in essentia animae sit primo et principaliter sicut in subiecto originale ; in potentiis autem per consequens, sicut

et supra dc gratia dictum est. » *(II. Sent. dist. 31. q. 2. a. 1.)* « *Ex* actu naturae, qui est carnis propagatio, relinquitur *quaedam dispositio* inclinans ad malum in ipsa natura *generati,* quae concupiscentia vel *fomes* dicitur; et ex hoc ipso, quod illa naturae corruptio, in se *virtutem peccati,* ex quo causata est, continens, *a) personam attingit; b) ipsam indignam Dei gratia efficit; c) unde* relinquitur *macula* et *defectus gratiae* in anima ; et per hoc, *d)* etiam ad *reatum poenae* obligatur, ut sc. praemio *illo careat* quod gratiae debebatur, Per Baptismum autem *gratia* confertur; cuius virtute illa *infectio* ab homine tollitur, quae ex natura in personam devolvebatur ; et secundum hoc anima *purgatur a macula culpae ;* et per consequens, solvitur *reatus* poenae. Illa autem dispositio ad malum, quae *fomes* et concupiscentia dicitur, *non ex toto* tollitur ; quia illa dispositio sequitur conditionem naturae ; Baptismus autem *non* purgat *naturam,* nisi quantum pertinet ad *infectionem personae;* et ideo illa dispositio ex toto non tollitur usque ad statum beatitudinis, quo natura perfecte curabitur ; sed tamen *dispositio illa* per Baptismum *minuitur,* in quantum gratia, quam quis in Baptismo consequitur, in contrarium inclinat ei ad quod fomes disponebat ; et ita virtus fomitis in nobis minuitur per auxilium gratiae 1. »

Ex quibus omnibus habetur : i° Rationem formalem debiti personalis, quod est necessarium ad indigentiam redemptionis, in hoc consistere, quod persona, constituta ex unione animae ad carnem quae per viam generationis ex Adamo derivatur, *efficitur indigna Dei gratia,* et ideo meretur privari gratia ; *debet* non habere gratiam ; *debet* carere iustitia originali ; et *debet* consequenter obligari ad reatum poenae, ut sc. illo praemio careat quod gratiae debebatur, et omnibus illis privari quae ad iustitiam originalem consequebantur. 2° Inde ex hoc quod indigna Dei gratia facta est, sequuntur : *«) privatio gratiae* quam debebat habere ct non habet ; *b)* ex privatione gratiae relinquitur *macula; c)* reatus poenae et privatio eorum quae ex iustitia originali oriebantur. 30 Si

1 *II. Sent.* dist. 32. q. 1. a. 1.

vero in primo instanti temporis, quo anima unitur ad carnem et persona humana constuititur in actu propriae existentiae, etsi indigna Dei gratia, Deus tamen ex singulari privilegio ac intuitu meritorum Christi Redemptoris gratiam ei daret, tunc non relinquitur defectus gratiae, neque datur ratio culpae, neque ratio maculae, nec reatus poenae ; et talis potest esse gratia, quod non modo minuatur fomes peccati, sed et etiam totaliter tollatur ; imo, si Deus ita voluerit, iustitia originalis integre et quoad omnes suos effectus restituatur. Atque si in ipso primo personalis existentiae momento, Deus simul tempore quo infundit animam in corpore, infundit quoque gratiam sanctificantem in essentia animae, tunc anima quae, prout unitur cami ex Adamo derivatae, fit indigna gratia Dei, prout unitur gratiae sanctificanti ex meritis Christi provenienti, fit digna gratia Dei dum gratiam accipit et gratiam habet. Unde D. Thomas, *De Verit.* q. 28. a. 9. ad 7. : « Gratia datur digno, non ita quod aliquis sit sufficienter dignus antequam gratiam habeat, sed quia ex hoc ipso quod datur, facit hominem dignum : unde simul est dignus gratia et gratiam habens. »

Iuxta fidem catholicam Beatissima Virgo Maria, Christi Mater, indiguit redemptione et salute quae est per crucem Christi. — Etenim ex ipsamet definitione dogmatica Immaculatae Conceptionis constat in terminis, quod Beatissima Virgo, Christi Mater, non fuit ab omni originali culpae labe praeservata immunis nisi « intuitu meritorum Christi lesu, Salvatoris humani generis ». Haec autem Christi Salvatoris merita, quorum intuitu Beatissima Christi Mater fuit in primo instanti temporis suae Conceptionis singulari privilegio et gratia omnipotentis Dei a labe originali praeservata, sunt profecto merita Redemptionis, merita videlicet Passionis Christi, merita Crucis, merita sacratissimae Mortis Filii Dei. Unde in ipsa Bulla dogmatica afferuntur illa decretoria plane verba, quibus Alexander VII. 1 sinceram mentem

1 Alexander VII., Constit. *Sollicitudo omnium Ecclesiarum,* 1. dcc. 1661.

Ecclesiae circa Conceptionis festum declaravit, nimirum : « Sane, vetus est Christi fidelium erga eius Beatissimam Matrem Virginem Mariam pietas, sentientium eius animam primo instanti creationis atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum lesu Christi, eius Filii, humani generis Redemptoris, a macula peccati originalis praeservatam immunem ; atque in hoc sensu eius Conceptionis festivitatem solemni ritu colentium et celebrantium. » Atque in oratione Missae et Officii Divini pro festivitate Immaculatae Conceptionis ita expresse his verbis Catholica Ecclesia deprecatur : « Deus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem dignum *Filio tuo* habitaculum praeparasti : quaesumus, ut qui *ex morte eiusdem Filii Dei praevisa* eam ab omni labe praeservasti, nos quoque mundos eius intercessione ad te pervenire concedas. »

Beatissima Virgo Maria, Mater Christi, indiguit redemptione quae per Christum facta est, non solum ratione naturae, verum etiam ratione suae propriae personae. — Quod quidem ex antea dictis iam patet : aliter Beatissima *Virgo* non habuisset *personalem* indigentiam redemptionis et salutis quae est per Christum. Hoc enim est, quod firmiter ac constanter statuit et propugnat D. Thomas tamquam principium theologicum fundamentale in quaestione de prima sanctificatione Beatissimae Virginis, dum semper proponit quaestionem istam his verbis : *Utrum Beata Virgo fuerit sanctificata ante animationem ? Et* semper concludit Angelicus Doctor, quod, si quocumque modo ante animationem Beata Virgo sanctificata fuisset, non indiguisset redemptione quae per Christum facta est. Unde in *Compendio Theologiae,* cap. 232. : *De sanctificatione Matris Christi,* concludit : « *Non autem sanctificatio praecessit infusionem animae... Unde post infusionem animae credendum est eam sanctificatam fuisse,* [1] Ad rem Salmanticenses : « Communis et vera sententia : Dicendum est exceptionem Deiparae a *debito culpae originalis,* si detur, omnino praeiudicaturam eius redemptioni ; adeoque verificari non posse, quod fuerit Christi morte et sanguine vere ct proprie redempta, si semel ponatur a praedicto

debito reservatam. Haec conclusio est nobis adeo certa, ut credamus esse de fide definitam per Zozimum Papam, cuius verba infra referemus. Est etiam communis Sanctis Patribus, ut ostendent eorum testimonia in toto hoc dubio ; necnon Doctoribus Scholasticis, et aliis quos in sequenti adducemus pro sententia negante praedictam exceptionem. Omnes quippe huic rationi nituntur : Quia, cum necessarium sit fateri Beatam Virginem fuisse vere et proprie per Christi mortem et sanguinem redemptam, necesse etiam est dicere fuisse aliquando *sub peccato* vel *sub debito,* a quo redimeretur ; quia dumtaxat possunt esse *terminus a quo* redemptionis ; et cum sub peccato nunquam fuerit, necessario debet vel constitui sub debito, vel e numero redemptorum excludi L)

Beatissima Virgo Mater Christi Maria fuit ergo sublimiori modo redempta. — Unde in ipsa Bulla dogmatica *Ineffabilis Deus* legitur : « Sanctissimam Dei Genitricem Virginem Mariam, ob praevisa Christi Domini Redemptoris merita, nunquam originali subiacuisse peccato, sed praeservatam omnino fuisse ab originis labe, et idcirco sublimiori modo redempta. »

Sublimiori modo redempta. — Quia « rationabiliter enim creditur, quod illa, quae genuit *Unigenitum a Patre, plenum gratiae ct veritatis,* prae omnibus aliis maiora privilegia gratiae acceperit. Unde et legitur Luc. 1, 28 : *Angelus ei dixit : Ave, gratia plena* [2] ».

Sublimiori modo redempta. — Quia « colligi potest ex hoc, quod ipsa super omnes alios Sanctos a peccato purior fuit, veluti Divinae Sapientiae Mater electa, in quam nihil coinquinatum incurrit, ut dicit *Sapient.* 7. Unde, cum haec puritas in quibusdam fuisse inveniatur, ut ante nativitatem cx utero a peccato mundarentur, sicut de loanne Baptista, de quo legitur Luc. 1, 15 : *Spiritu Sancto replebitur adhuc*

1 Salmanticens., *Cursus Theol.*. VIII, disp. 15. dub. 3.
2 D. Thomas. III. q- 27. a· *·

ex utero matris suae ; et de leremia, de quo dicitur lerem. 1, 15 : *Priusquam exires de ventre, sanctificavi te :* non est dubitandum hoc inulto excellentius Matri Dei collatum fuisse r. »

Sublimiori modo redempta. — Quia « *Beatae* Virgini aliquid ultra legem communem conferendum fuit. Sed sanctificatio quae fit per legem communem, aufert culpae maculam, fomite remanente. Ergo in Beata Virgine fomitem ex toto removit 1. «

Sublimiori modo redempta. — Quia « Beata Virgo, quae fuit a Deo electa in Matrem, ampliorem sanctificationis gratiam obtinuit quam loannes Baptista et leremias, qui sunt electi ut speciales praefiguratores sanctificationis Christi. Cuius signum est, quod Beatae Virgini praestitum est, ut de cetero non peccaret, nec mortaliter nec venialiter; aliis autem sanctificatis creditur praestitum esse, ut de cetero mortaliter non peccarent, divina eos gratia protegente3. »

Sublimiori modo redempta. — Quia « illa sanctificatio Beatae Virginis excellentior fuit sanctificationibus aliorum, quod sic patet : In sanctificatione enim quae fit per legem communem in Sacramentis tollitur culpa, sed remanet fomes inclinans ad peccatum mortale *et* veniale ; sed in sanctificatis ex utero non manet fomes, secundum quod inclinans est ad mortale ; sed tamen remanet inclinatio fomitis ad venialia, ut patet in leremia et loanne Baptista, qui peccatum actuale habuerunt, non mortale, sed veniale. Sed in Beata Virgine inclinatio fomitis omnino sublata fuit, et quantum ad veniale, et quantum ad mortale ; et quod plus est, ut dicitur, gratia sanctificationis non tantum repressit in Ipsa motus illicitos, sed etiam in aliis efficaciam habuit, ita ut, quamvis esset pulchra corpore, a nullo unquam concupisci potuit 4. »

1 *III. Sent.,* 3. q. 1. a. 1. sol. 3.
2 *Ibid.,* a. 2.
3 *Sum. Theol.* III. q. 27. a. *6.* ad 1.
‹ D. Thomas, *III. Sent.* dist. 3. q. a. 2. sol. ad 4.

Sublimiori modo redempta. — Quia « augmentum puritatis est secundum recessum a contrario ; et quia in Beata Virgine fuit depuratio ab omni peccato, ideo pervenit ad *summum puritatis;* sub Deo tamen, in quo non est aliqua potentia deliciendi, quae est in qualibet creatura quantum in se est1. »

Sublimiori modo redempta. — Quia « puritas intenditur per recessum a contrario ; et ideo potest aliquid creatum inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit ; et *talis fuit puritas Beatae Virginis, quae a peccato originali ct actuali immunis fuit;* tamen sub Deo, in quantum erat in ea potentia ad peccandum 2. »

Sublimiori modo redempta. — Quia « sub Christo, qui salvari non indiguit, tamquam universalis Salvator, maxima fuit Beatae Virginis puritas... Christus autem est principium gratiae, secundum Divinitatem quidem auctoritative, secundum Humanitatem instrumentaliter. Unde et Ioan, i, 17. dicitur : *Gratia et veritas per Icsum Christum facta est.* Beata autem Virgo Maria propinquissima Christo fuit secundum Humanitatem ; quia ex ea accepit humanam naturam. Ei ideo prae ceteris maiorem debuit a Christo gratiae plenitudinem obtinere 3. »

Sublimiori modo redempta. — Quia « unicuique a Deo datur gratia, secundum hoc ad quod eligitur. Et quia *Christus, in quantum homo, ad hoc fuit praedestinatus ct electus, ut esset Filius Dei* in virtute sanctificandi, hoc fuit ei proprium, ut haberet talem plenitudinem gratiae, quod redundaret in omnes, secundum quod dicitur Ioan, i, 16. : *Dc plenitudine cius nos omnes accepimus.* Sed Beata Virgo Maria tantam gratiae obtinuit plenitudinem, ut esset propinquissima Auctori gratiae ; ita quod Eum, qui est plenus

1 *I. Sent.* dist. 17, q 2. a. 4·
» *Ibid.,* dist. 44· q· ’· a· 3· ad 3'
» D. Thomas, III. q- 27. a· 2* et 5

omnis gratiae, in se reciperet, et Eum pariendo, quodammodo gratiam ad omnes derivaret V »

Sublimiori modo rede pta. — Quia « oportebat, ut Mater Dei maxima puritate niteret ; non enim est aliquid digne receptaculum Dei, nisi sit mundum, secundum illud Ps. 93, 5 : Domum tuam, Domine, decet sanctitudo2. »

Sublimiori modo redempta. — Quia « corpus suum Christus posuit in sole, id est, in Beata Virgine, quae *nullam habuit obscuritatem* peccati. In Christo et in Virgine Maria *nulla omnino macula* fuit 3. »

Sublimiori modo redempta. — Quia « magnum est in quolibet sancto, quando habet tantum quod sufficit sibi ad salutem, sed maius quando habet tantum quod sufficit sibi ad salutem multorum ; sed quando haberet tantum, quod sufficeret sibi ad salutem omnium hominum de mundo, hoc esset maximum ; et hoc est in Christo et in Beata Virgine. Nam in omni periculo potes salutem obtinere ab ipsa Virgine gloriosa. Unde, Cantic. 4, 4. : *Mille clypei,* id est, remedia contra pericula, *pendent ex ea.* Item in omni opere virtutis potes eam habere in adiutorium ; et ideo dicit ipsa, Eccli. 24, 25. : *In me omnis spes vitae et virtutis.* Sic ergo plena est gratia et excedit angelos in plenitudine gratiae... Excellit angelos in familiaritate divina... Excedit angelos quantum ad puritatem... 4. »

to

Sublimiori modo redempta. — « Quia cum corpore assumpta est in coelum ; credimus enim, quod post mortem resuscitata fuerit et portata in coelum. Ps. 131, 8. : *Surge, Domine, in requiem tuam; tu, et Arca sanctificationis tuae.* Sic ergo

1 *Ibid.,* a. 5. ad i.

3 I.-II. q. 81. a. 5. ad 3. l'jti

* D. Thomas, *In Psalmos Davidis,* Expositio Ps. 18 et Ps. 14.

* D. Thomas, *Expositio de Ave Maria,* cap. 1. Opusc. VI. (Edit. Vivès).

A

immunis fuit ab omni maledictione, et ideo benedicta in mulieribus; quia ipsa sola maledictionem sustulit, et benedictionem portavit, et ianuam Paradisi aperuit ; et ideo convenit ei nomen *Maria,* quae interpretatur *stella maris;* quia, sicut per stellam maris navigantes diriguntur ad portum, ita christiani diriguntur per Mariam ad gloriam ad quam nos perducat »

' *Ibid.*

CAPUT *DECIMUM QUINTUM*

Immaculata Conceptio, prout dogma fidei *habetur* definitum in *Bulla « Ineffabilis Deus », convenienter* declaratur ex praedestinatione Christi *post* praevisionem *peccati* Adami, non autem ex praedestinatione *Christi ante peccatum* Adami praevisum.

iC/1

Praede; inatio Christi et fundamentum totiu ordinis upernaturali gratiae et gloriae.

4, I

Praedestinatio Christi. Praedestinationem enim Christi ita tradit Apostolus in epistola ad Romanos, cap. i. dicens « Quod ante promiserat (Deus) per Prophetas suos in Scripturis Sanctis de Filio suo, *qui factus est ei ex semine* David secundum carnem. Qui praedestinatus est *Filius Dei* in virtute secundum spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum lesu Christi Domini nostri. » Quam quidem Christi praedestinationem ex professo declarat D. Thomas, III. q. 24. a. i. cum respondet dicendum : « Sicut patet ex his, quae in Prima Parte Summae (q. 23. a. 1 ct 5.) dicta fuerunt, praedestinatio proprie accepta est : *Quaedam divina praeordinalic ab aeterno de his quae per gratiam Dei sunt fienda in tempore.* — Est autem hoc in tempore factum per gratiam unionis a Deo, ut *homo esset Deus,* et *Deus esset homo. Non* potest dici, quod Deus ab aeterno non praeordinaverit hoc se facturum in tempore ; quia sequeretur, quod divinae menti aliquid de novo accideret. Et ideo oportet dicere, quod *ipsa unio notu-rarum in persona Christi* cadat sub aeterna Dei praedestinatione ; et ratione huius Christus dicitur esse praedestinatus.

Et in Commentariis supra epistolam ad Romanos, cap. 1 lect. 3. : « Deo unitur rationalis creatura communiter quidem secundum affectum dilectionis, secundum illud I. loannis, 4,16. : *Qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo;* quod quidem fit per gratiam gratum facientem, quae est *gratia adoptionis;* alio modo, qui est singularis Christo, per *unionem in esse personali;* et haec dicitur *gratia unionis.* Sicut ergo hominem esse unitum Deo per gratiam adoptionis, cadit sub praedestinatione : ita etiam esse unitum Deo per gratiam unionis in persona, sub praedestinatione cadit ; et quantum ad hoc dicit Apostolus : *Qui praedestinatus est Filius Dei.* Et ne hoc referatur ad filiationem adoptionis, additur : *in virtute.* Quasi diceret : Praedestinatus est, ut sit talis Filius, ut habeat aequalem, immo eandem virtutem cum Deo Patre... Sed, quia persona Christi *subsistit* in duabus naturis, humana sc. et divina : secundum utramque potest aliquid dici de eo. Sicut enim de homine potest aliquid dici secundum corpus, ut *tangi* et *vulnerari;* aliquid autem secundum animam, ut *intclligere* et *velle :* ita de Christo potest aliquid dici et secundum divinam naturam, sicut ipse de se dicit, Ioan. 10, 30. : *Ego et Pater unum sumus;* aliquid, secundum humanam naturam, sicut cum dicimus eum *crucifixum* et *mortuum;* et hoc modo dicitur esse *praedestinatus* secundum humanam naturam. Quamvis enim *ipsa persona* Christi semper fuerit *Filius Dei,* tamen non semper init ut *existons in humana natura* esset *Filius Dei ;* >ed hoc fuit ineffabilis gratiae. »

Praedestinatio nostra. – Ita traditur ab Apostolo in epistola ad Ephesios, cap. 1. : « Benedictus Deus ct Pater Demini nostri lesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in coelestibus in Christo ; sicut elegit nos in Ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu cius in caritate ; qui *praedestinavit nos in adoptionem filiorum* per lesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suae, in laudem gloriae gratiae suae. In qua gratificavit nos in dilecto Filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum, secundum divitias gratiae eius. »

Hanc siquidem nostram praedestinationem in adoptionem filiorum sic declarat D. Thomas in Commentariis supra

citatam Epistolam, cap. 1. lect. 2. : « *Sicut elegii hos,* tangitur beneficium electionis ; ubi commendatur electio ista, quia libera, ibi : *sicut elegit nos in ipso ;* quia aeterna, ibi : *ante mundi constitutionem;* quia fructuosa, ibi : *ut essemus sandi;* quia gratuita, ibi : *in caritate.* Dicit ergo : *Ita benedixit nos,* non nostris meritis, sed ex gratia Christi, sicut elegit nos, et gratis a massa perditionis separando, praeordinavit nos in Ipso, id est, per Christum. loannis 15, 16. : *Non vos >ni elegistis, sed ego elegi vos et posui vos, ut eatis et frudum afferatis, et fructus vester maneat.* Et hoc *ante mundi constitutionem;* id est, ab aeterno, antequam fieremus. Rom. 9, ii. : *Cum nondum nati fuissent aut aliquid boni egissent aut mali* (ut secundum electionem propositum Dei maneret), *non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei : quia maior serviet minori. Elegit,* inquam ; non quia sancti essemus, quia nec eramus ; sed ad hoc elegit, *ut* essewms *sancti* virtutibus, et *immaculati* a vitiis. *Praedestinavit nos in adoptionem filiorum per lesum Christum:* id est, sola gratia praeelegit in adoptionem filiorum, id est, ut associaremur cum aliis filiis adoptionis in bonis quae habituri sunt. Quia vero illud quod fit ignitum, per ignem oportet fieri, quia nihil consequitur participationem alicuius nisi per id quod est per naturam suam tale : ideo adoptionem filiorum oportet fieri per Filium naturalem. Et ideo addit Apostolus : *per lesum Christum.* »

Relationes inter praedestinatione II **Christi et nostram** praedestinationem. — i° Praedestinatio Christi et praedestinatio nostra in hoc conveniunt, nimirum, quod utraque est ex sola gratia, et non propter merita praecedentia seu praevisa. Ita D. Thomas, *Rom.* cap. 1. lect. 3. : « Manifestum est autem, quod id quod est per se, est mensura et regula eorum quae dicuntur per aliud et per participationem : unde praedestinatio Christi, qui est praedestinatus *ut sit Filius Dei per naturam,* est mensura et regula vitae, et ita praedestinationis nostrae, qui praedestinamur in *filiationem adoptivam,* quae est quaedam participatio et imago naturalis filiationis, secundum illud, infra cap. 8. v. 29. : *Quos praescivit*

d praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui. Sicut igitur Hemo Christus praedestinatus non est propter merita praecedentia, sed ex sola gratia, ut sit Filius Dei naturalis : ita et nos ex sola gratia, non ex meritis, praedestinamur, ut simus filii Dei adoptivi. »

2° Inter praedestinationem Christi et nostram est quaedam similitudo. «Duplex est (ait D. Thomas, *Ephes,* cap. i. lect. i.) similitudo praedestinatorum ad Filium Dei. Quaedam *imperfecta,* quae est *per gratiam;* et dicitur *imperfecta,* primo quidem, quia solum est secundum reformationem animae, de qua infra 4, 23. : *Reformamini spiritu mentis vestrae et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis;* secundo, quia etiam secundum animam habet quandam imperfectionem, *ex parte enim cognoscimus,* ut dicitur I. Corinth. 13, 9. Aha vero similitudo erit *perfecta,* quae erit in gloria ; et quantum ad corpus, Philipp. 3, 21. : *Reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae;* et secundum animam, quia *cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est,* I. Cor. 13, 10. » Atque in III. q. 23. a. 1. ad 3. : « Sicut per actum creationis communicatur bonitas divina omnibus creaturis secundum quandam similitudinem, ita per actum adoptionis communicatur *similitudo naturalis filiationis* hominibus, secundum illud Rom. 8, 29. : *Quos praescivit conformes fieri imaginis Filii sui.* » Et ibid. a. 2. ad 3. : « Filiatio adoptiva est quaedam similitudo filiationis aeternae ; sicut omnia quae in tempore facta sunt, similitudines quaedam sunt eorum quae ab aeterno fuerunt. Assimilatur autem homo splendori Æterni Filii per gratiae claritatem, quae attribuitur Spiritui Sancto. Et ideo adoptatio, licet sit communis toti Trinitati, appropriatur tamen Patri ut Auctori, Filio ut Exemplari, Spiritui Sancto ut imprimenti in nobis huius exemplaris similitudinem. »

30 Ex parte termini et secundum effectum praedestinationis in nobis, praedestinatio Christi est causa exemplaris et causa efficiens et causa finalis nostrae praedestinationis ».

Exemplaris quidem, et quantum ad *bonum* et quantum ad *modum* praedestinationis. Quantum enim ad *bonum,* quia Christus est praedestinatus ad hoc, quod esset Filius Dei naturalis ; nos autem praedestinamur ad filiationem adoptionis, quae est quaedam participata similitudo filiationis naturalis. Quantum vero ad *modum ;* quia modus consequendi istud bonum est per gratiam, et nullis nostris praecedentibus meritis ; uno et eodem actu Deus praedestinavit ipsum Christum et nos. Efficiens vero ; quia sic Deus praedestinavit nostram salutem, ab aeterno praedestinando, ut per Iesum Christum compleretur. Sub praedestinatione enim aeterna non solum cadit id quod est fiendum in tempore, sed etiam modus et ordo secundum quem est complendum in tempore Finalis denique ; in quantum nostra salus in Christi gloriam redundat. Omnia enim sunt nostra ; nos autem Christi ; et de plenitudine Christi omnes nos accepimus, et gratiam pro gratia. Et gratiam pro gratia ; id est, ut S. Augustinus exponit, « pro hac gratia, in qua ex fide vivimus, recepturi sumus aliam, id est, vitam aeternam ; vita enim aeterna quasi merces est fidei, quia ipsa fides gratia est ; vita aeterna gratia est pro gratia [1]. »

Christus potest dici angelorum hominumque Caput et secundum humanam naturam et secundum divinam. — D. Thomas, ***III***. *Sent.* dist. 13. q. 2. a. 1. : « Potest Christus dici *caput* et secundum humanam naturam et secundum divinam ; quia secundum *divinam* naturam in eo est plenitudo Divinitatis, ut dicit Apostolus, Coloss. 1. Unde est super omnes Deus benedictus in saecula, Rom. 9. Et similiter ab ipso, in quantum Deus, est nobis omnis spiritualis gratia. Item in quantum Deus, dirigit nos in seipsum. Sed etiam haec conveniunt ei secundum *humanam* naturam, quae in Christo dignissima est ratione altitudinis ; quia est usque ad unionem in Divina Persona exaltata. Ratione propriae operationis ; quia dignissimum actum habuit in Ecclesia, sc. redimere ipsam et aedificare eam in sanguine suo. Et

1 Tract. 3. út *Ioannem.*

etiam ratione perfectionis ; quia omnis gratia in eo est, sicut omnes sensus in capite. Similiter etiam dicitur caput ratione secundae proprietatis ; quia per ipsum sensum fidei et motum caritatis accepimus ; quia *gratia ct veritas per Icstim Christum facta est* (Ioan, i, 17.) Et similiter direxit nos doctrina et exemplo ; quia *coepit lesus jacere ct docere* (Act. Apost. I, 1). Sed quarta conditio Christo convenit secundum humanam naturam tantum ; et haec complet in ipso rationem Capitis ; quia Christus secundum humanam naturam habet perfectionem aliis homogencam, et est principium quasi univocum, ct est regula conformis et unius generis. Unde, communiter loquendo, Christus, secundum quod Deus, potest dici *caput* Ecclesiae simul cum Patre et Spiritu Sancto ; sed proprie loquendo, est *caput* secundum humanam naturam. Et dicitur *yaha capitis,* secundum quam praedictae proprietates ei conveniunt, secundum quod influit aliis membris. »

Christus, in quantum homo, non solum est caput hominum, sed etiam angelorum. — Ioannis 1, 14 et 16. : Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis ; et vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis. Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia. » Quae quidem verba exponens D. Thomas *In Ioan.* cap. 1. lect. 9. scribit : «Ut ergo Evangelista hanc singularem plenitudinem redundantiae et efficientiae de Christo ostenderet, dixit : *Do plenitudine eius omnes accepimus,* sc. omnes Apostoli, ct Patriarchae, et Prophetae, et iusti, qui fuerunt, sunt ct erunt, et etiam omnes angeli. » Atque 111. q. 8. a. 4. : «Corpus Ecclesiae mysticum non solum consistit ex hominibus, sed etiam ex angelis. Totius autem huius multitudinis Christus est caput ; quia propinquius se habet ad Deum et perfectius participat dona ipsius, non solum quam homines, sed etiam quam angeli ; et de eius influentia non solum homines recipiunt, sed etiam angeli. Dicitur enim Ephes. 1, 20 quod : *Constituit cum,* sc. Christum, Deus Pater, *ad dexteram suam m coelestibus supra omnem Potestatem, et Principatum, et Virtutem, et Dominationem, et omne nomen quod nominatur non solum m hoc saeculo, sed*

etiam in juturo ; ct omnia subiecit sub pedibus eius. » Ex triplici ergo causa Christus, Filius Dei vivi, secundum quod homo, est caput Ecclesiae, caput omnium hominum et omnium angelorum, videlicet : *Primo, enim* quia secundum propinquitatem ad Deum, gratia eius est altior et prior, etsi non tempore ; et omnes alii acceperunt gratiam per respectum ad gratiam ipsius. Secundo vero, quia perfectionem habet quantum ad plenitudinem omnium gratiarum. Tertio denique, quoniam virtutem habet influendi gratiam in omnia membra Ecclesiae.

II

Ex diversitate sententiarum circa praedestinationem Christi ac motivum principale Incarnationis Filii Dei exoritur consequenter diversa etiam doctrina theologica circa modum quo Christus, in quantum homo, influit gratiam angelis et hominibus.

Praedestinatio Christi post peccatum Adami praevisum.

Praesupposita namque sententia, quod, si homo non peccasset, Filius *Dei* incarnatus non fuisset ; ac proinde, quod praedestinatio Christi, ut *esset Filius Dei in virtute,* decreta fuit ab aeterno post peccatum Adami praevisum : statim *logica* deductione habetur haec doctrina *theologica* circa gratiam Christi et circa modum quo Christus, in quantum homo, influit gratiam in homines atque in angelos, nimirum :

i° Apparet clara et manifesta doctrina ab Apostolo tradita circa primum Adamum et Adamum novissimum, dum scribit ad Rom. cap. 5. : « Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitae. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obeditionem, iusti constituuntur multi. » Et I. Cor. cap. 15. : « Et sicut in /Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur..'. Factus est

primus homo Adam in animam viventem ; novissimus Adam in spiritum vivificantem. Primus homo de terra, terrenus ; secundus homo de coelo, coelestis. Qualis terrenus, tales et terreni ; et qualis coelestis, tales et coelestes. Igitur sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem coelestis. »

2° Etiam facilius intelligitur differentia inter gratiam quae fuit data Adamo in primo statu, et gratiam quae datur nobis per donum Christi. De qua differentia loquitur S. Augustinus, *De natura et gratia,* cap. 43. et *De Correctione et gratia,* cap. 12. ; atque illam declarat D. Thomas, I.-II. q. 109. a. 10. ad 3. : « Sicut Augustinus dicit, homo in primo statu accepit donum, per quod *perseverare potest,* non autem accepit ut *perseveraret ;* nunc autem per gratiam Christi multi accipiunt et donum gratiae quo *perseverare possunt,* et ulterius eis datur quod *perseverent ;* et sic donum Christi est maius quam debitum Adae. »

3° Patet quoque Incarnationis opus ordinatum fuisse a Deu in remedium contra peccatum, ita quod, peccato non existente, Incarnatio non fuisset. Exinde Christi Incarnatio facta fuit principalius ad tollendum originale peccatum, per quod totum genus humanum inficitur ; et ideo Christus, qui in hunc mundum advenit ad omnia peccata delenda, ut plene pro peccato originali satisfaceret, et exhiberet quod *sufficiens* fuit ad omnium peccatorum deletionem, sensibilem dolorem pati voluit, ut mortem et alia huiusmodi in seipso consumeret

40 Cum praedestinatio Christi, quae est causa nostrae praedestinationis ex parte termini et quoad effectum consideratae, facta fuisset post praevisum Adami peccatum ; ideo electio nostra ad gloriam facta est ex *communi massa* perditionis ; uno siquidem ct eodem actu Deus praedestinavit et Christum et nos. Sic enim Deus praeordinavit nostram salutem, ab aeterno praedestinando, ut per lesum Christum compleretur 2.

i III. q. I- a. 3. ct 4.
» III. q. 24. a. I.-4·

5° Et quia Deus, praeordinando Incarnationem Christi, simul cum hoc praeordinavit ut esset nostrae salutis causa, idcirco Christus Salvator ac Redemptor noster operatus est nostram salutem *per* suam passionem et mortem ; ita quod passio Christi nostram salutem causaverit per modum meriti, et per modum satisfactionis, ct per modum sacrificii, et per modum redemptionis simul atque per modum efficientiae L

6° Omnes itaque actiones et passiones Domini Nostri lesu Christi instrumentaliter operantur in virtute Divinitatis ad salutem humanam. Passio enim Christi, secundum quod comparatur ad Divinitatem eius, agit *per modum efficientiae;* in quantum vero comparatur ad voluntatem animae Christi, agit per *modum meriti;* secundum vero quod consideratur in ipsa carne Christi, *agit* per *modum satisfactionis,* in quantum per eam liberamur a reatu poenae; per *modum* vero *redemptionis,* in quantum per eam liberamur a servitute culpae ; per *modum* autem *sacrificii, in* quantum per eam reconciliamur Deo 2.

7° Christus, in quantum homo, est quidem Caput tam angelorum quam hominum ; atque de eius influentia non solum homines recipiunt, sed etiam angeli. Verumtamen non eodem modo quo hominibus, influit angelis ; nam hominibus influit omnia quae ad ipsorum sanctificationem et beatitudinem spectant ; angelis vero, illa dumtaxat quae ad gloriam accidentalem pertinent. Influit enim angelis ; quia Humanitas Christi ex virtute spiritualis naturae, sc. Divinae, potest aliquid causare non solum in spiritibus hominum, sed etiam in spiritibus angelorum, propter maximam coniunctionem eius ad Deum, sc. secundum unionem personalem3. Influit dumtaxat quoad gloriam accidentalem ; « quia, ut adnotat D. Thomas, non influit angelis removendo prohibens, aut merendo gratiam, aut orando pro eis ; quia iam beati sunt, sed in Iris quae ad actus hierarchicos pertinent, secundum quod unus angelus illuminat alium, purgat et perficit, ut *II. Sent.* dist. 9. dictum est ; hoc enim multo eminentius a Christo recipiuntL »

8° Denique, Christus, in quantum Deus, est Salvator angelorum simul atque hominum ; sed, in quantum homo, non est Salvator nisi hominum, quorum etiam est Redemptor. Unde S. Augustinus, *Enchirid.* cap. 16. : « Non enim pro angelis mortuus est Christus... Instaurantur quippe quae in coelis sunt, cum id, quod inde in angelis lapsum est, ex hominibus redditur ; instaurantur autem quae sunt, cum ipsi homines, qui praedestinati sunt ad aeternam vitam, a corruptione vetustatis renovantur. » Et S. Bernardus, *Serm. 1. de Circumcis. :* « Idem quippe et angeli Salvator ct hominis ; sed hominis, ab Incarnatione ; Angeli, ab initio creaturae. » Lucae, cap. 2. : ' Et dixit illis Angelus : Nolite timere ; ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo ; *quia natus est vobis hodie Salvator,* qui est Christus Dominus in civitate David. »

Praedestinatio Christi ante praevisum Adami peccatum.

Si vero, e contra, asseratur quod, etiam si homo non peccasset, Dei Filius incarnatus fuisset ; et quod perinde etiam ante peccatum praevisum, praedestinatio Christi facta fuit, consequenter habebitur :

i° Quod Deus non praedestinavit primo et principaliter opus Incarnationis in remedium humani peccati ; sed iam « in primo signo fuit volita substantia Incarnationis ; et gratia ipsius Christi elegit plures alios ex angelis et hominibus, quorum Christus esset caput et princeps ; ita quod Christus, quemadmodum ct ceteri electi, prius praevidebantur et praedestinabantur ad gratiam et gloriam, quam praevideretur Christi passio, ut medicina contra peccatum 2. »

1 III. q. 48.
- III. q. 48. a. *6. ad 3.*
l *Ibtd.* q, 8. a. 4. ad 3.

l *III. Sent.* dist. 13· q· 2· a *·· sol· J·
2 MONTEFORTINO. *Swnnta Scott,* t. part. III. q. 1. a. 3.

2° Praesupposita quidem Christi praedestinatione ante omnia decreta in mente divina, non relinquitur locus ad discernendum inter primum et secundum Adamum, et inter gratiam datam primis parentibus et gratiam datam postea nobis per Christum; quoniam in tali praesuppositione Christus semper fuit in capite generis humani, ac nulla fuit collata gratia quae ex Christo non derivaretur. Immo, ut ad rem observat P. Hurter, « facta hypothesi de Incarnatione Verbi, etiam Adamo non peccante, vix rite explicari potest *peccatum originale,* quod supponit Adamum fuisse universi generis humani caput. Si vero a priori, id est, independenter ab Adami lapsu destinata fuisset Incarnatio, dignitas capitis citra dubium competit *Unigenito* caro *facto, qui* iure sibi insito et suae personae dignitate hoc sibi vindicasset munus. Sub tah' autem tantoque capite lapsus communri | non fuisset possibilis \ »

30 Duo genera meritorum oportet in Christo considerare ac distinguere. « Et quamvis merita praevisa Passionis Christi esse nequiverint *ratio 'praedestinationis* aliorum, quippe qui ante Passionem praevisam erant ad gloriam praeordinati : nihilominus *alia et potiora* Christo erant *merita* per actus dilectionis *obiecti infiniti ; et* secundum quae, Adamo non peccante, advenisset hominum, non Redemptor, sed Glorificator, et fons omnis gratiae et supernaturalium donorum, quae ipsis collata fuissent 2. »

4° « Merita itaque praevisae Passionis fuerunt oblata a Christo in satisfactionem *peccati originalis et provenientium* ab ipso, ut verissime propterea sit omnium Redemptor ; sed *intuitu eorum* nullus est electus ad gloriam ; quia *electionis* j negotium absolutum fuit *independenter ab omni* peccato et a *Christi meritis ex Passione praevisis...* Sanctorum praedestinatio praecessit peccati praevisionem... Non fuit ergo praedestinationis decretum latum post praevisum peccatum; adeo ut, *ex eadem massa vitiata,* aliqui ordinati selectique sint ad gloriam ex beneplacito *divino,* reliquis dimissis in alios fines ; nisi quatenus Mediator suam Passionem Patri *pro dedis solummodo efficaciter* obtulit, atque *pro his lanium Readier acceptata* ; etsi *satis* alioquin erat salvandis omnibus, quibus et *gratiam* promeruit *sufficientem* pro aeterna consequenda salute »

50 «Christum meruisse etiam angelis gratiam et gloriam ; id est, Deum voluisse dare gratiam angelis, qua gloriam mererentur *intuitu meritorum Christi.* Est enim eadem ratio de *prima gratia* data hominibus et angelis ; et sicut in illis descendit de plenitudine Christi, ita in istis... Christum habuisse *alia merita* ac per Passionem, nimirum : *per portionem superiorem,* secundum quam summe dilexit Deum et proximum, sicuti habebat summam gratiam ; et puto *magis meruisse* per huiusmodi actus dilectionis Dei quam per Passionem. Intuitu ergo horum meritorum dedit Deus primam gratiam angelis et reliqua dona, per quae pervenerunt ad coronam gloriae ; ideoque merito est constituendus eorum caput2. »

6° « Christum meruisse gratiam primis parentibus, ac eius collationem praecessisse meritum ipsius exhibitum ; sed *meritum praevisum fuisse* ante gratiae collationem. ...Prius igitur electi erant in praescientia et ordinatione divina, quam praevideretur Passio Christi in remedium pro peccatis. ...Prius igitur electi erant praeordinati ad gloriam et gratiam finalem, quam fuerit Passio Christi praevisa. ...Omnes electi prius natura erant praedestinati, quam Christi Passio praevisa ; atque ita prius fuit volita illis gloria et gratia, quam ordinata medicina contra lapsum ; ideo, etsi Passio praevisa potuerit fuisse *ratio remittendi* offensam et conferendi gratiam, non tamen potuit extitisse *ratio praedestinationis 3.* »

70 « Passio Christi nequit esse *causa meritoria* praedestinationis, cum ii fuerint electi et praeordinati ad gloriam, priusquam ordinaretur illa Passio in remedium peccatorum...

P. Horter, S. I., *De Verbo Incarnato,* thesis 134. (edit. 1878).

[a] Montefortino, *Summa Scoti,* t. I. q. 23. a. 1. et a. 5.

1 Montefortino, *Summa Scoti,* t. I. q- *-· ▮ '· et n ›·

2 Montefortino, *Summa Scott,* t. . q. . a. 4.

Christus non tantum *meruit,* nec *meriturus praevidebatur* per Passionem ; sed praeterea *meruit,* et *meriturus praesciebatur penes* portionem superiorem et secundum omnem actum eius 1. »

Corollaria.

Ergo iuxta sententiam theologorum ponentium Incarnationem Verbi post praevisionem peccati Adami : i° Christus est quidem Princeps et Caput omnium praedestinatorum, non tamen praedestinatus a *Deo ut* Filius Dei esset ante lapsura seu peccatum Adami praevisum. 20 Christi praedestinatio est causa nostrae praedestinationis, sed non praedestinationi' angelorum. 30 In Christo Domino non sunt distinguenda duo genera meritorum, unum sc. Christi impassibilis, alterum vero Christi passibilis ; sed omnia Christi merita praesupponunt Christum passibilem, ac sunt simul secundum portionem superiorem, atque dependentiam habentia a carne passibili. 40 Proinde actus meritorii Christi non sunt distinguendi m merita ordinis altioris et in merita ordinis minus alti, sed in merita unius ordinis altissimi, quae sunt merita suae Passionis ct Mortis ; omnia quidem merita infinitae virtutis atque infinitae caritatis. « Passio tamen Christi habuit aliquem effectum, quem non habuerunt praecedentia merita, non propter maiorem caritatem, sed propter genus operis, quod erat conveniens tali effectui 2. » 50 Intuitu horum meritorum Christi, quae sunt ipsa Passionis et Crucis merita, Deus voluit gloriam et gratiam omnibus hominibus electis; et electionis nostrae negotium minime dicendum est absolutum independenter a Christi meritis ex Passione et Morte sua praevisis. 6° In Christo Domino non est distinguendum inter rationem Salvatoris et rationem Redemptoris ; salvavit enim nos redimendo, et redemit nos salvando ; est quidem Salvator, quia Redemptor ; et gratia salutis nostrae est ipsamet Redemptionis gratia. 70 Omnium, tam angelorum quam hominum, Christus, in quantum homo, est caput et princeps ; sed hominum dumtaxat est Salvator ac Redemptor. Natus est nobis, non angelis, Salvator in civitate David, Christus lesus.

Iuxta sententiam vero oppositam theologorum ponentium Incarnationem Verbi ante praevisionem peccati Adami : i° « Christus est princeps et caput omnium praedestinatorum, et necessario ante omnem creaturam fuit a Deo volitus et praedestinatus. » 2° « Christi Domini *merita,* non quae ex came passibili consequebantur, sed ea quae praevidebantur habiturus, etiamsi in carne passibili venire non oportuisset, extitisse *causam de condigno* praedestinationis, secundum ordinem intentionis, hominum et angelorum. » 30 « In eo igitur signo, in quo fuit volita Christi animae summa gratia, praevidebatur fore, ut propterea summe diligeret Deum ; luerunt propterea *ipsi ii actus meritorii,* ac longe Deo subinde acceptissimi. » 40 « Meruit ergo Christus ; id est, praevisus est habiturus *actus meritorios* secundum portionem superiorem, et nullam dependentiam habentes a carne passibili ; nam in eo signo nec passibilis praevidebatur, uti nec positive impassibilis. » 50 « Ergo *intuitu eorum* meritorum Deus voluit gloriam et gratiam omnibus electis... Hanc porro causam extrinsecam de condigno promerentem omnibus electis gratiam et gloriam, Christum extitisse sentiendum videtur ; cum eximie inde eius excellentia innotescat ac declaretur, eaque sit insignis nota supremi Christi principatus in electos, quos a proposito voluntatis divinae, ob arbitrii libertatem aberrantes, iterum suo sanguine acquisivit, cum iam iisdem, *meritis ordinis altioris,* gratiam et gloriam promeruisset. » 6° « Merita itaque praevisae Passionis fuerunt oblata a Christo in satisfactionem peccati originalis et provenientium ab ipso, ut verissime propterea sit omnium Redemptor ; sed *intuitu eorum,* nullus est electus ad gloriam ; quia *electionis negotium absolutum fuit independenter* ab omni peccato ct *a Christi ineritis ex Passione praevisis* »

1 *Ibid.,* q. 24. a. 4.
2 III. q. 48. a. i. ad 3

1 Montefortino, *Summa Scoti,* t. I. q. ~J· «'· 1

III

Duplex fundamentalis modus explicandi Immaculatam Beatissimae Virginis Conceptionem.

Duplex Immaculata Conceptio. Quoniam, ut in Bulla dogmatica *Ineffabilis Deus* legitur, « Sanctissima Virgo arctissimo et indissolubili vinculo cum Christo, *Dei* hominumque Mediatore, coniuncta est », logico inde processu facile est colligere, quod *ex* diversitate sententiarum circa praedestinationem Christi diversus quoque venit inferendus modus declarandi Immaculatam Beatissimae Virginis Mariae Conceptionem, sive, quod in idem redit, primam eiusdem Virginis sanctificationem. Duplex proinde ex supradictis habebitur *Immaculata Conceptio* iuxta diversum fundamentum theologicum, cui innititur et ex quo ostenditur : altera quidem, quae a priori ac necessario nexu deducitur ex praedestinatione Christi, ut *sit Filius Dei in virtute,* ante praevisionem peccati Adami ; altera vero, quae descendit, non a priori, non necessaria deductione, sed ex libera Dei voluntate ita suaviter sapienterque disponente, ex praedestinatione Christi a Deo volita post praevisum Adami peccatum. Prima namque, utpote praecedens praevisionem mortis Christi, a morte ac passione Christi consequenter non dependet ; secunda autem, ad peccatum Adae et passionem Christi in mente divina subsequens, indiget redemptione et salute quae est per Christum. Per primam Beatissima Virgo est praeservata totaliter a peccato originali, ita quod fit ac fieri debet exempta ab omnibus ad dictum peccatum originale spectantibus ; per secundam vero Beatissima Virgo praeservatur immunis ab omni originalis culpae labe seu macula per *infusionem gratiae personalis,* id est, per gratiam sanctificantem ipsammet Beatissimae Virginis personam iamconstitutam in primo instanti temporis suae animationis et propriae existentiae. Est autem inter istos duos sensus intelligendi ac declarandi Immaculatam Beatissimae Virginis Conceptionem « maior distantia quam inter coelum et terram » ut sagaciter adnotavit Caietanus *.

Immaculata Beatissimae Virginis Conceptio, quae non indiget redemptione. — Hanc quidem respiciebant Sanctus Bonaventura simul ac D. Thomas, et talem modum fundamentalem explicandi primam Beatissimae Virginis sanctificationem admittere constanter renuebant, cum Seraphicus Doctor, *III. Sent.* dist. 3. part. 1. a. 1. q. 2. ita loquebatur : *Nullatenus ab hac generalitate Beata Virgo Maria excludenda est, ne, dum Matris excellentia ampliatur, Filii gloria minuatur))* ; et Doctor Angelicus, *Quodlib.* 6. a. 7. concludebat his verbis : « *Et ideo non tantum debemus dari Matri, quod subtrahat aliquid honori Filii, qui est Salvator omnium hominum, ut dicit Apostolus I. Tim. q.* » Tota ergo gravitas quaestionis ad hoc tandem unum reducebatur, videlicet, ut prima Beatissimae Virginis sanctificatio taliter declararetur, quod et in Christo remaneret in securo posita dignitas Redemptoris respectu Virginis Matris, simul atque in Virgine Matre in perspicuo appareret necessitas personalis redemptionis quae est per Crucem sanguinis Christi. Quapropter tam sanctus Bonaventura quam Divus Thomas reficiebant : i° sanctificationem B. Virginis in suis parentibus ante animationem, id est, in ipsamet conceptione active sumpta, ex parte parentum, in die conceptionis ipsius ; 20 sanctificationem B. Virginis in came sua, ita quod ante animationem fuerit sanctificata ; 30 sanctificationem B. Virginis in anima sua, ita quod hoc Beatissimae Virgini praestitum fuerit, ut, antequam animaretur caro eius, anima ipsius fuerit per gratiam sanctificantem iustificata ; ideoque anima Beatissimae Virginis prius, saltem prioritate naturae, intelligatur per gratiam sanctificata quam carni unita. Unde Angelicus Doctor reiicit omnes praedictos modos sanctificationis, dicens : « Et si quocumque modo ante animationem Beata Virgo sanctificata fuisset, numquam incurrisset maculam originalis culpae, ct ita non indiguisset redemptione

1 Tract. *De Concept. B. Vtrg*

et salute quae est per Christum, de quo dicitur Math. 1,21. *Ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Hoc inconveniens est, quod Christus non sit Salvator omnium hominum, ut dicitur I. Tim. 4. Unde relinquitur, quod sanctificatio Beatae Virginis fuerit *post eius animationem.*

Quomodo autem intelligendum est ly « post eius animationem »? — Sanctus Bonaventura docet in termini: esse necessariam ad indigentiam redemptionis *posteriorilalen* vel temporis vel naturae. Ait enim, ***III.*** *Sent.* dist. 3. part. 1. a. i. q. 2. : « Rationabilior etiam est (haec sententia) ; quia *esse* naturae praecedit *esse* gratiae, vel tempore vel natura, et propterea dicit Augustinus, quod prius est nasci quam renasci, sicut prius *esse* quam *bene esse.* Prius est igitur animam uniri, quam gratiam Dei sibi infundi. Si igitur caro illa *infecta* fuit, ex *sua infectione* nata erat animam culpa originali inficere. Necessarium est igitur ponere, quod *arAt* fuerit originalis culpae *infectio* quam *sanctificatio.* » Hae: [1] Sanctus Bonaventura.

D. Thomas vero eandem quoque tradit doctrinam. Cum enim in loco citato, III. q. 27. a. 2. concludit, quod sanctificatio Beatissimae Virginis fuerit *post eius animationem,* nihil aliud necessario requirit ad indigentiam redemptionis nisi *Poslerioritatem* saltem naturae. Quod quidem evidenter fit ex toto contextu articuli secundi et ex omnibus aliis suorum operum locis, in quibus ex professo eandem pertractat materiam *

Quare necesse est sanctificationem Beatissimae Virgini? fuisse *post animationem ?* Angelicus Doctor respondet dicendum, quod : « *Sanctificatio Beatae Virginis non potest intelligi ante eius animationem duplici ratione.* » Quare autem non potest intelligi ? Simpliciter et absolute loquendo, abs dubio, quod intelligi potest ; at non potest tamen intelligi, salva dignitate Redemptoris in Christo respectu suae sanctissimae Matris, et salva in sanctissima Christi Matre necessitate personali redemptionis et salutis quae est per Christum

[1] Vide supra, cap. VII. pag. JO4, § 3.

fa/io *i.* — « Primo quidem, ait D. Thomas ; quia sanctificatio de qua loquimur, non est nisi emundatio a peccato originali ; sanctitas enim est perfecta munditia, ut Dionysius dicit *De Divinis Nominibus,* cap. 12. Culpa autem non potest emundari nisi per gratiam, cuius subiectum est sola creatura rationalis. Et ideo ante infusionem animae rationalis Beata Virgo sanctificata non fuit. » En rationem primam. Tota, quanta est, sumitur ex conditione huiusmodi sanctificationis, quae est *personalis;* atque ex natura gratiae sanctificantis, quae est *gratia personalis,* et cuius subiectum est sola creatura rationalis ; nam in essentia animae rationalis est gratia sanctificans tamquam in proprio subiecto. Ergo ante infusionem animae rationalis Beata Virgo sanctificata non fuit. Ergo fuit sanctificata post animae rationalis infusionem ; quia prius est, saltem prioritate naturae, animam rationalem infundi in corpus, quam gratiam sanctificantem ipsimet rationali animae a Deo infundi. Ergo relinquitur, quod sanctificatio Beatissimae Virginis fuerit post eius animationem, vel tempore vel natura ; quia vel tempore vel natura *esse* naturae praecedit *esse* gratiae, et prius est nasci quam renasci, sicut prius *esse* quam *bene esse.*

Ratio 2. — « Secundo, quia, cum sola creatura rationalis sit susceptiva culpae, ante infusionem animae rationalis proles concepta non est culpae obnoxia. Et si quocumque modo ante animationem Beata Virgo sanctificata fuisset, nunquam incurrisset maculam originalis culpae, et ita non indiguisset redemptione et salute quae est per Christum, de quo dicitur Math. 1, 21 : *Ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Hoc autem inconveniens est, quod Christus non sit Salvator omnium hominum, ut dicitur I. Timoth. 4. Unde relinquitur, quod sanctificatio Beatae Virginis fuerit post cius animationem. » Haec autem ratio secunda a D. Thoma allata sumitur ex eo, quod non indiget redemptione nisi qui culpae est obnoxius ; obnoxius autem culpae non est nisi qui culpae est susceptivus ; culpae denique subiectum nequit esse nisi sola creatura rationalis in sua propria persona iam constituta ; nam personae est proprium esse sui iuris quoad esse et operari. — *Obiectio contra secundam rationem.*

Verumtamen huiusmodi ratio non videtur necessario concludere, nisi dum agatur de culpa personali ; peccatur vero originale in filiis Adami non est personale, sed vitium naturae ; unde non incurritur per actum propriim sed per actum primi parentis ; nec habet rationem culpae ac perinde nec rationem maculae, nisi per ordinem ad voluntatem Adami ; nec fit tale vitium naturae peccatum huius personae, nisi quatenus haec persona habet talem naturam vitiatam atque in illa subsistit. Unde D. Thomas, *De Potent, q.* 3. a. 9. ad 3. : « Peccatum originale dicitur *peccatum totius naturae,* sicut peccatum actuale dicitur *peccatum personale:* unde quae est comparatio peccat actualis ad personam singularem, eadem est comparati' peccati originalis ad totam naturam humanam traditam primo parente, in quo fuit *peccati initium,* et per cuius voluntatem in omnibus originale peccatum *quasi voluntarium* reputatur. Sic ergo originale est in *anima* in quantum pertine: ad *humanam naturam.* Humana autem natura traducitur parente in filium per *traductionem carnis,* cui postmodum *anima* infunditur ; et ex hoc infectionem incurrit, quod fit cum carne traducta *una natura.* Si enim non uniretur ei ad constituendam naturam, sicut angelus unitur corpori assumpto, *infectionem* non reciperet. » — *Obiectionis solutio.* Ex obiectis nihil aliud sequitur, nisi quod *indigere redemptione* habet diversos gradus ad diversos modos sanctificationis respondentes : qui profecto tanguntur per argumenta *in contra* in a. 2. Eo quippe modo quod datur aut dari potest sanctificatio in parentibus, et sanctificati in came ante animationem, et sanctificatio ipsius animae ante eiusdem infusionem, datur quoque indigentia redemptionis ; sed huiusmodi gratia redemptiva, si daretur, est ante constitutionem personae, quae, in tali hypothesi, cum fuerit constituta, iam non indigeret redemptione et salute quae est per Christum ; et persona Beatissimae Virginis actu existons non indigeret redimi personaliter; ideoque Christus non esset Redemptor suae Matris ratione propriae personae, sed solum ratione naturae. Unde, quamvis peccatum originale sit vitium sive peccatum totius naturae,

attingit ipsammet personam tunc, cum anima rationalis infunditur in corpus et fit cum carne traducta *una natura.* Ex quo anima a Deo creata infectionem incurrit ; id est, persona humana ex substantiali animae et corporis unione composita habet *debitum personale* carendi originali iustitia ; atque ex huiusmodi carentia, nisi in eodem temporis momento infundatur a Deo gratia sanctificans, sequitur *ratio culpae* et *ratio maculae* in omnibus qui ex Adamo per viam generationis originem trahunt ; eo modo quo peccatum originale habet in nobis rationem culpae et rationem maculae. Non enim praedicatur univoce culpa et macula in peccato originali et in peccato personali. Argumentum itaque a D. Thoma allatum recte concludit ; et non daretur *necessitas personalis* redemptionis quae est per crucem Christi, si quocumque modo ante animationem Beatissima Virgo sanctificata fuisset.

Necessitas personalis redemptionis non potest componi cum sanctificatione ante animationem. — Quod quidem adhuc magis manifestum fiet ex argumento 2. *in contra,* atque ex modo ipso quo tale argumentum a D. Thoma solvitur. *Argumentum 2.* sic se habet : « Praeterea, conveniens fuit (sicut Anselmus dicit, *De conceptu virginali,* cap. 18.) ut illa Virgo ea puritate niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi ; unde et Cant. 4, 7, dicitur : *Tota Pulchra es, amica mea, et macula non est in te.* Sed maior puritas fuisset Beatae Virginis, si *nunquam* anima eius fuisset inquinata contagio originalis peccati. Ergo hoc ei praestitum fuit, ut, antequam animaretur caro cius, sanctificaretur. » *Responsio* ad tale argumentum sic se habet : « Ad secundum, dicendum, quod si *nunquam* anima Beatae Virginis fuisset *contagio originalis peccati inquinata,* hoc derogaret dignitati Christi, secundum quam est universalis omnium Salvator. Et ideo sub Christo, qui salvari non indiguit, tamquam universalis Salvator, *maxima* fuit Beatae Virginis *puritas.* Nam Christus *nullo modo* contraxit originale peccatum, sed in ipsa sui conceptione fuit sanctus, secundum illud Luc. 1, 35- *' Qltod cx tc acetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Sed Beata Virgo contraxit quidem originale peccatum, sed ab eo fuit mundata, antequam ex

utero nasceretur. Et hoc signatur Job. 3, 9, ubi de nocte originalis peccati dicitur : *Exspectet lucem* (id est, Christum), et *non videat;* quia *nihil inquinatum incurrit in eam,* ut dicitur Sap. 7, 25. ; *nec ortum surgentis aurorae,* id est, Beatae Virginis, quae in suo ortu a peccato originali fuit immunis. »

En famosa responsio D. Thomae, ex qua multi veluti scandalizantur, atque tamquam rem desperatam existimant velle *Angelici Doctoris* verba in recto ac sano sensu interpretari ! D. Thomas (inquiunt et clamant) aperte contra *Immaculatam* iam de fide definitam eloquitur; D. Thomas fatetur in terminis, quod « si nunquam anima B. Virginis fuisset contagio originalis peccati inquinata, hoc derogaret Christi dignitati secundum quod est universalis omnium Salvator ! » Quid clarius ? quomodo talia verba poterunt contorqueri in ahum sensum quam quem ad litteram sonant ac exprimunt ? Ergo, iuxta *D.* Thomam, anima Beatissimae Virginis inquinata fuit contagio originalis peccati ! Siquidem inquinata peccati originalis contagio fuit, igitur a macula non fuit praeservata ! *D. Thomas ergo negavit Immaculatam Virginis Conceptionem* taliter qualiter in Bulla dogmatica manet definita catholicae fidei dogma !

Qui ita cogitant et ita loquuntur, legere debent attentius semel atque iterum articulum 2. quaest. 27., cuius titulus : *Utrum Beata Virgo fuerit sanctificata ante animationem;* et videbunt, si oculos habent, quod Angelicus Doctor reficit certe Immaculatam *Conceptionem* quae est *Immaculata* ante praevisam *Filii Dei* mortem ; sed aperit viam ad perveniendum usque ad Immaculatam Conceptionem quae est *Immaculata* ex morte *Filii Dei* praevisa. Nunquam enim negavit D. Thomas Immaculatam Virginis Conceptionem prout tamquam dogma fidei habemus iam solemniter ex cathedra definitam.

De quonam agitur in art. 2. ? De prima Beatissimae Virginis sanctificatione. Quidnam affirmatur et quid negatur de huiusmodi sanctificatione prima? Negatur, quod facta fuisset ante animationem ; quoniam aliter persona Beatissimae

Virginis iam non indigeret redemptione et salute quae est ner Christum; ct consequenter affirmatur, quod sanctificatio Beatissimae Virginis fuerit *post animationem.* Quare post animationem ? Quia, si ante animationem, anima Virginis *nunquam* fuisset contagio originalis peccati inquinata ; et si *nunquam* inquinata fuisset tali contagio, derogaret dignitati Christi secundum quod est universalis omnium Salvator. Quare autem dignitati Christi derogaret ? Quia persona Virginis iam non indigeret per passionem et mortem Christi redimi. Quare ergo redimi non indigeret ? Quia *terminus .l quo* redemptionis est peccatum aut debitum peccati ; et *subiectum* sanctificationis est ipsa persona iam constituta ex corpore et anima informante corpus. Qui enim *nunquam* contagio originalis peccati inquinatus fuisset, neque peccatum neque personale peccati debitum incurreret. Ad hocautem, quod aliquis dicatur *inquinatus* contagio originalis peccati, non est necesse quod *incurrat actu* peccatum originale, onuuaque illa actualiter habeat quae in peccato originali continentur. Quidnam ergo necessario requiritur? D. Thomas respondet sic, *II. Sent.* dist. 32. q. 1. a. 1. : « Ex actu naturae, qui est carnis propagatio : i° *relinquitur* quaedam dispositio inclinans ad malum in *ipsa natura* generati, quae concupiscentia vel fomes dicitur ; 20 et ex hoc ipso, quod ı/h *naturae corruptio* in se virtutem peccati, ex quo causata e f continens, *personam attingit;* 30 *ipsam indignam Dei gratia efficit;* 40 unde relinquitur *macula* et *defectus gratiae* in anima ; 50 ct per hoc etiam ad *reatum poenae* obligatur, ut sc. praemio illo careat, quod gratiae debebatur. »

Hactenus D. Thomas ; et eccc S. Thomas per S. Thomam authentice declaratus! Si enim anima Beatissimae Virginis sanctificata fuisset, antequam animaretur caro cius, id est antequam anima carni uniretur, anima nunquam fuisset contagio peccati originalis inquinata ; et ita *illa naturae· corruptio,* in se virtutem peccati originalis, ex quo causata est, continens, iam non posset *attingere personam; et* cum eam non attingat, planum est, iam non potest *ipsam indignam Dei gratia efficere;* et cum persona iam constituta non sit effecta *indigna* Dei gratia, non *dcbel* carere gratia ;

et si non liaberet debitum personale carendi gratia, iam non indigeret redimi ; et si redimi non indigeret, hoc certe derogaret dignitati Christi, secundum quam *est universalis omnium Salvator.*

Et D. Thomas prosequitur : « Et ideo *sub Christo,* qui salvari non indiguit, tamquam universalis Salvator, maxima fuit Beatae Virginis puritas. Nam Christus nullo modo contraxit originale peccatum, sed in ipsa sui conceptione fuit sanctus, secundum illud Luc. i, 35. : *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* » Si enim Christus, qui salvari non indiguit, nullo modo contraxit originale peccaturo, Beatissima Virgo, quae salvari indiguit, *aliquo modo* originale peccatum contraxit. Quomodo? Hoc quidem modo : anima Beatissimae Virginis prius prioritate naturae intelligitur esse unita carni quam per gratiam sanctificata ; ex unione autem ad carnem resultat persona Beatissimae Virginis constituta ; et ex hoc ipso naturae corruptio, ex Adamo derivata, personam *attingit;* et attingendo, ipsam *indignam Dei gratia efficit';* atque exinde persona Beatissimae Virginis *debet* non habere gratiam. Hoc igitur est, quod vocatur *debitum personale* incurrendi seu contrahendi originale peccaturo, quod formaliter consistit in carentia originalis iustitiae. Hoc, inquam, est quod D. Thomas significat, dum ait : « Si nunquam anima Beatae Virginis fuisset contagio originalis peccati inquinata, hoc derogaret dignitati Christi, secundum quam est universalis Salvator. » Nam si Beatissima Virgo, iam in sua propria persona constituta, debitum personale carendi gratia non incurreret, nullo modo contraheret originale peccatum, ct ratione suae personae non indiguerit salvari; et Christus non esset suae Matris Salvator ac Redemptor; ac perinde Christus non esset universalis Salvator *omnium* hominum x.

Sub puritate, quae debetur Homini Deo, maxima fuit puritas Virginis Matris eius. — Et prosequitur D. Thomas : « Sub Christo, qui salvari non indiguit, *maxima fuit Beatae*

Vide supra, in *Iniroduct.* III, § i., 2 et 3. ; ct cap. 12.

Virginis puritas... Sed Beata Virgo contraxit originale peccatum ; sed ab eo fuit mundata, antequam ex utero nascetur. Et hoc signatur Job 3, 9, ubi de nocte originalis peccati dicitur : *Exspectet lucem,* id est Christum, *ct non videat; quia nihil inquinatum incurrit in Adam; nec ortum surgentis aurorae,* id est Beatae Virginis quae in suo ortu a peccato originalis fuit immunis. » Unde habetur, quod puritas Beatissimae Virginis fuit maxima sub Christo : Christus nullo modo contraxit peccatum originale ; Beatissima Virgo contraxit aliquo modo. Christus salvari non indiguit, tamquam omnium Salvator ; Beatissima Virgo indiguit salvari. Christus fuit in ipsa sui conceptione sanctus ; Beatissima Virgo non fuit sancta in ipsa sui conceptione active sumpta, neque in ipsa sui conceptione passiva inadaequate sumpta, neque in ipsa sui conceptione passiva iam adaequate sumpta, *ex vi suae Conceptionis ;* sed fuit sancta in ipsa sui conceptione passiva iam adaequate sumpta, id est, post constitutionem suae personae sive post animationem. Quonam momento ? quonam temporis instanti ? D. Thomas, ibid, ad 3. respondet dicendum : « *Quo tempore sanctificata fuerit, ignoratur.* » De hoc quod tunc ignorabatur, D. Thomas non locutus fuit, ponendo magistraliter quaestionem de *primo instanti.* Tamen nunquam exclusit D. Thomas *primum instans temporis,* cum ageret de prima Beatissimae Virginis sanctificatione ; imo aliis in locis videtur clare asserere B. V. fuisse sanctificatam in primo momento temporis suae propriae existentiae ; atque in hoc ipso a. 2. videtur satis insinuare : a) ex modo quo exponit argumentum 2. in contra ; atque h) ex modo quo solvit argumentum. Ex his namque duabus argumenti praemissis : 1. « *Conveniens fuit, ut Beatissima Virgo ea puritate niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi.* » 2. « *Sed maior puritas fuisset Virginis, si* NUNQUAM *anima eius fuisset inquinata contagio originalis peccati.* » Videtur etiam posse legittime concludi : « *Ergo hoc Beatissimae Virgini praestitum fuit, ut in primo instanti temfioris suae animationis sanctificaretur.* » Attamen D. Thomas, non hoc modo, sed ita concludit : « *Ergo hoc ei praestitum fuit, ut, antequam an.marelur caro e,us. sanci,fica-*

retur. » Doctor enim Angelicus non concludit sanctificationem B. V. in primo instanti, sed sanctificationem ante animationem. i° Quia non agitur in art. 2. de sanctificatione in primo instanti Virginis animationis, sed utrum sanctificata fuerit ante animationem ; et si Beatissima Virgo *nunquam, seu in nullo temporis momento,* incidisset in necessitatem personalem trahendi ex origine simul cum natura peccatum originale, oportet legitime ac logice concludere sanctificationem ante animationem ; vel sanctificationem in primo instanti, ita quod prius prijritate naturae et ordinis intelligatur animam sanctificari quam carni uniri : quod constituit *quemdam modum sanctificationis* ante animationem. 20 Quia debitum personale contrahendi originale peccatum nihil minuit de puritate Beatissimae Virginis, sed tantummodo exprimit indigentiam redemptionis ratione personae. 30 Quia cum hoc simul stat, quod sub Christo maxima fuit Beatissimae Virginis puritas. *40 Quia nullo modo excluditur per doctrinam huius* articuli secundi sanctificatio *B. V. in primo* instanti temporis suae animationis ; ita quod prius prioritate naturae et ordinis intelligatur animam carni uniri quam per gratiam sanctificari. 5° Immo : indicatur in ipsamet responsione ad argumentum in contra, dum D. Thomas dicit, quod Beata Virgo fuit mundata ab originali peccato, *^antequam ex utero nasceretur ».* Quandonam? « *In suo ortu a peccato originali fuit immunis. » Ergo Beatissima* Virgo fuit mundata ab originali peccato in *suo ortu,* antequam ex utero nasceretur. Ergo Beatissima Virgo sanctificata fuit ante nativitatem ex utero in *suo ortu* quae dicitur *nativitas in utero.* Ergo Beatissima Virgo fuit sanctificata post animationem, non posterioritate temporis, sed naturae tantum. « Et hoc signatur (concludit *D. Thomas) lob. 3,* 9, ubi de nocte originalis peccati dicitur : *Exspectet lucem, id est Christum ; et non videat;* quia nihil inquinatum incurrit *in* Adam, ut dicitur Sap. 7, 25 ; *nec ortum surgentis aurorae, id est Beatae Virginis,* quae in suo ortu a peccato originalis immunis. « Quod profecto adhuc corroborat Angehcus Doctor in Exposit. in Ps. 14., dicens : « In *Christo et in Virgine* Maria *nulla omnino macula fuit. »*

Duplex a peccato originali praesci vatio. Beati-Sr-imam itaque Virginem esse praeservatam a peccato originali « *potest dupliciter intelligi »,* ait Caietanus. « Primo, ut Beata Virgo sit *praeservata totaliter* a peccato originali, ita quod fuit eX&ipta ab omnibus ad dictum peccatum spectantibus. Secundo, ut Beata Virgo sit *praeservata a sola macula peccati originalis,* per infusionem gratiae personalis. Est autem inter istos duos sensus maior distantia, quam inter coelum et terram.

Nam cum *anima* alicuius hominis, qui generatur, incurrit originale peccatum, non solum macula originalis peccati contrahitur ; sed in primo instanti in quo anima rationalis creando infunditur, et infundendo creatur, prius secundum naturae ordinem *caro* seu *materia,* cui *anima* infunditur, est *infecta,* utpote genita ex commixtione utriusque parentis ; et propterea, *anima,* quae infunditur *illi carni,* contrahit maculam in seipsa originalis peccati ; quia infunditur carni infectae ; neque *solum maculam* ex carnis infectione contrahit *persona* in utero genita, sed multa alia, sc. *reatum* clausae coeli ianuae, *fomitem* peccati, et *poenam* mortis temporalis ; ita quod *infecta caro,* cui infunditur *anima* et in qua fundatur *ratio non potentiae contrahendi* originale peccatum, sed *ratio contradi in propria persona debiti,* quod contrahatur in anima rationali sua peccatum originale et secundum maculam et secundum reatum poenarum spiritualis et temporalis ; imo, est talis camis infectio, *peccati originalis initium existons in persona,* quae tunc simul concipitur et concepta est.

Quocirca positio dicens Beatam Virginem *praeservatam totaliter* a peccato origimdi, dicit ipsam non contraxisse *carnem suam infectam;* ac per hoc non solum *sino macula* peccati conceptam, et *reatibus,* et *fomite,* sed etiam *sine debito in propria persona habendi* haec.

Positio vero dicens Beatam Virginem *praeservatam solum a macula peccati originalis, ct iis quae a macula sunt inseparabilia* (ut est reatus aeternae poenae damni), non negat Beatam Virginem carnem habuisse infectam , ac per hoc, in propria persona *debitum contrahendi* maculam originalis peccati et quoad maculam et quoad reatus omnes et forni-

tem ; sed, praeservante Dei gratia, non redundavit in animam illius macula peccati originalis ; licet redundaverit et fomes, ligatus tamen per gratiam, et reatus clausae ianuae vitae aeternae, et mortis temporalis ; quia haec poena, sc. mortis, erat naturae ex parte camis ; illa, sc. clausae ianuae, erat naturae ex parte temporis ; quia sc. Christus adhuc non aperuerat per suam mortem ianuas Paradisi clausas per originale peccatum ; et similiter fomes ex parte camis se habet. »

In quo consistat et in quo differat duplex illa a peccato originalis praeservatio. — Duplex *ergo* fundamentalis modus explicandi Immaculatam Beatissimae Virginis Conceptionem in hoc stat, videlicet, quod iuxta unum modum, Beatissima Virgo fuit praeservata totaliter; et iuxta alterum, fuit praeservata per gratiam personalem a macula et ab omnibus quae cum gratia sunt incomposibilia. — Iuxta unum Beatissima Virgo fuit sanctificata quocumque modo ante animationem ; et iuxta alterum, fuit sanctificata post animationem non posterioritate temporis, sed posterioritate naturae et ordinis. — Iuxta unum, anima Beatissimae Virginis prius prioritate naturae intelligitur per infusionem gratiae sanctificata quam corpori unita ; et iuxta alterum, prius prioritate naturae intelligitur corpori unita quam sanctificata per gratiam. — Iuxta unum, Beatissima Virgo non habuit carnem infectam quae nata erat ipsam animam inficere, sed carnem mundatam ante animationem; iuxta alterum, habuit carnem non quidem mundatam ante animationem, sed infectam, et quantum ex se erat virtutem habentem inficiendi ipsam animam. — Iuxta unum, Beatissima Virgo fuit concepta non solum sine macula, sed etiam sine debito in propria persona habendi maculam ; iuxta alterum, Beatissima Virgo fuit quidem sine labe originali concepta et praeservata ab omni macula, sed habuit debitum in sua propria persona iam constituta habendi et maculam et omnia quae sub nomine peccati originalis sigriificantur ac veniunt intelligenda. Nam habuit *camis infectionem;* et talis camis infectio, cui anima rationalis a Deo creata infunditur, est : *Pacati originalis initium inexistens in propria persona,* quae (unc simul concipitur et concepta est. Habuit ergo Beatissima Virgo peccati originalis *initium* in sua propria persona *inexistens;* quia ex unione animae ad carnem incurrit *debitum personale* carendi iustitia originali, carendi nitore qui ex gratia sanctificante oritur in anima ; ideoque incunit *debitum personale* habendi maculam originalis peccati.

Hoc igitur est, et non aliud, quod D. Thomas profunde evolvit atque alte declarat simul ac firmiter tenendum tradit tamquam sanam doctrinam ad fidem ipsam attinentem, cum in a. 2. : *Utrum B. Virgo sanctificata fuerit ante animationem,* concludit : « Et si *quocumque modo* ante animationem Beata Virgo sanctificata fuisset, *nunquam* incurrisset maculam originalis culpae, et ita non indiguisset redemptione et salute quae est per Christum... Si *nunquam* anima Beatae Virginis fuisset *contagio* originalis peccati inquinata, hoc derogaret dignitati Christi, secundum quam est universalis omnium Salvator. Et *ideo,* sub Christo, qui salvari non indiguit tamquam universalis Salvator, *maxima fuit Beatae irginis puritas.* Nam Christus *nullo modo* contraxit originale peccatum, sed in ipsa sui conceptione fuit sanctus, secundum Luc. 1, 35 : *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Deus.* Sed Beata Virgo contraxit quidem originale peccatum, sed ab eo *fuit mundata* antequam ex utero nasceretur. Et hoc signatur, lob. 3, 9, ubi de nocte originalis peccati dicitur : *Exspectet lucem,* id est Christum, *ct non videat;* quia nihil inquinatum incurrit in Adam ; *nec ortum surgentis aurorae,* id est, Beatae Virginis, quae in suo ortu a peccato originali fuit immunis. »

Valde notanda logica illatio qua D. Thomas infert maximam sub Christo Virginis puritatem. — Sunt iterum iterumque valde notanda verba Angelici Docforis. Etenim, non obstante *illo contagio* originalis peccati, quo animam Virginis oportebat fuisse *inquinatam,* ne aliquid derogaretur dignitati Christi, secundum quam est universalis omnium Salvator · verumtamen, adhuc Angelicus Doctor infert per modum legitimae consequentiae : « Et *ideo* sub Christo, qui

salvari non indiguit, *maxima fuit Beatae* Virginis *puritas.* — Quomodo enim fiet hoc, quod *puritas* Beatissimae Virginis sit *maxima* sub puritate Christi, si *anima* Virginis fuit, set *contagio* originalis peccati *inquinata ?* Angelicus Doctor respondet : « Nam Christus *nullo modo* contraxit originale peccatum, sed in ipsa sui conceptione fuit sanctus... Sed Beata Virgo contraxit quidem originale peccatum, sed ab « fuit mundata antequam ex utero nasceretur....*Ortum surgentis aurorae, id est, Beatae Virginis,* quae in *suo ortu* a peccato originali *fuit* immunis. » Si enim *ante nativitatem ex utero* fuit mundata, ergo non tantummodo in *suo ortu, sed ante ortum* suum immunis a peccato originali fuit. Non quidem ante ortum suum, sed ante nativitatem ex utero in suo ortu qui est *nativitas in utero.* Et tamen *mundata* ab originali peccato quod *contraxerat* dicitur quoniam, ut Caietanus testimonio ipsius D. Thomae demonstrat, « dicitur a *peccato originali mundatus* non solum qui *contracta actuali macula* mundatus est, sed qui a *macula* quidem *in debito et initio in propria persona fundato,* et reliquis *tot* quasi *partibus* peccati originalis actualiter contractis mundatus est ; et sic de aliis. Nec putet quisquam de mea haec phantasia me proferre, sed videat D. Thomam I.-II. q. 81. a. 3. (ubi inter alia tractat etiam illud ad Rom 5. : *Per unum hominem peccatum transivit in omnes, et fur peccatum mors)* sustinentem, quod per *mortem* sufficit intelligere *debitum* seu *reatum,* in propria persona, *mortis;* quamvb nunquam *actualiter* aliquis moreretur. Ex quo habetur quod, cum Apostolus *duo* simul dicat, sc. (quod in omnes pervenit *peccatum* et *mors),* sicut secundum, sc. *mors,* sufficienter salvatur, exponendo mortem vel *actu in debito in propria persona:* ita et primum, sc. *peccatum,* salvatur, exponendo peccatum vel *actu vel in debito in propria persona.* Dixi toties : in *propria persona ;* quoniam si *debitum* aut *initium* peccati originalis non ponitur *proprium* illius qui concipitur, sed *commune,* iam non salvaretur quod *illa persona* esset *mortua, redempta, reconciliata, etc. Nec esset formalis differentia* inter errorem Iuliani (contra quem scribit Augustinus), ponentis per gratiam redemptionis Christi *filios Christianorum*

pacscrvatos a peccato originali, quod habebant in *debito ccnimuni;* sed esset *materialis differentia,* quoniam ille *gratiam praeservationis* communem Christianorum filiis posuisset ; hic autem poneretur propria uni. Salvatur quoque manifeste in hac propositione singularis praerogativa Iesu Christi, qui solus conceptus est *sanctus;* et non in came peccati, sed in similitudine carnis peccati ; non solum ea ratione quia ipse *ex vi* seu *natura* suae conceptionis, quae *nativitas in utero* vocatur, *sanctus* nascebatur iuxta verbum Gabrielis ad Beatam Virginem : *Quod ex te nascetur sanctum;* sed etiam quia Beata Virgo concepta est *cum carne injecta,* sed *cum anima sancta* ex gratia impediente redundantiam infectae carnis in maculam animae. Salvantur etiam universales propositiones in Scriptura et Ecclesiae determinationibus, ut facile puto apparere exercitatis ingeniis ex dictis. » Hactenus Caietanus.

Propositiones quae inveniuntur in S. Scriptura atque in Ecclesiae determinationibus, et quae utpote universales oportet ut salventur, etiam cum agitur de Immaculata Beatissimae Virginis Conceptione. — « Oportet namque, addit Caietanus, de Beata Virgine firmiter credere : Quod *Christus est mortuus pro ipsa,* et quod *ipsa est mortua morte peccali.* Quoniam in Sacra Scriptura habetur ista conditionalis : *Christus est mortuus pro omnibus, omnes mortui sunt,* ut patet II. Cor. 5- Et ne longius protrahatur, oportet sumarie ante oculos habere, quod istae quinque propositiones sunt omnino confitendae :

1° Christus mortuus est pro Beata Virgine.
2° Beata Virgo est aliquo modo mortua morte peccati.
3° Beata Virgo est reconciliata Deo per Christum.
4° Beata Virgo est redempta per mortem Christi.
5° Beata Virgo etiam post sanctificationem sui nonnisi Per Christi mortem aditum habuit Paradisi apertum.

Quibus adduntur aliae, aut per se notae (quod *omnis 'uoncilialus /uil inimicus;* quod *Beata Virgo mortua esi morte temporali),* aut determinatae per Ecclesiam, sc. : I' *Omnis homo redemptus a Christo fuit vere captivus;* et

2° *mors est poena peccati originalis.* Prima enim harum refert Augustinus ad Optatum *De origine animae,* a Papa *Zozimo* decretam, dicens : In epistola Zozimi sic legitur : *Nullus nisi qui peccati servus est, liber efficitur; neque redemptus dici potest nisi qui vere per peccatum fuit ante captivus,* sicut scriptum est : *Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis.* Et subdit : In his verbis Apostolicae Sedis tam antiqua atque fundata, certa et clara est fides catholica, ut nefas sit de illa dubitare Christiano. Haec ille. Sed quaedam vero, sc. quod *mors est poena peccati originalis,* constat decretam esse Concilio Milevitano, ut patet de consecrat, dist. 4. cap. *Placuit.*

Unde patet, quod distinctio illa de *redemptione praeservativa vel liberativa* quoad homines reprobata est per Romanae Ecclesiae determinationem ; quamvis S. Bernardus *Safer Cantio,* serm. 22. illam usurpaverit quoad angelos.

Sunt et aliae universales propositiones certae et indubitatae, sc. : *Per unum hominem peccatum transivit in omnes, et per peccatum mors* (Rom. 5). *Et omnes in Adam peccaverunt* (Rom. 3). *Et quisquis hominem aliquem esse putat, cui necessaria non fuerit remissio peccatorum, excepto uno Mediatore, contrarius est Sacrae Scripturae :* inquit Augustinus in lib. *De perfectione iustitiae. Et solus Christus habuit similitudinem carnis peccati.* Et aliae huiusmodi, quae aut nullo modo aut vix possunt salvari ab huiusmodi opinione, si tamen opinio nominanda est, cum videatur manifestus error in fide. Unde nec Sixtus IV., Extravag. *Grave nimis,* de hac impositione se impedivit, sed solum de *praeservatione Beatae Virginis a macula peccati originalis,* ut patet legenti illam. Damnanda ergo videtur specialiter positio quae assereret Beatam Virginem *totaliter* praeservatam a peccato originali, ut sc. nihil eius incurreret ; quamvis neminem adhuc sciam hoc tenuisse. »

« In secundo autem sensu intellecta opinio de praeservatione Beatae Virginis, sc. quod *praeservata est a macula peccati originalis, et non ab infectione carnis;* ac per hoc, *nec a debito, in propria persona, illius maculae, nec a jomite et poenis,* non est contraria Sacrae Scripturae, nec determinationi Ecclesiae, nec aliquibus necessario creditis ; quoniam

B(da Virgo praeservata ex speciali praevenlione gratiae a macula originalis peccati, et habens cetera quae diximus, flou est extra *latitudinem* mortuorum, inimicorum, indigentium remissione peccatorum, captivorum, habentium carnem peccati, obnoxiorum morti et clausurae coeli. Et consequenter non est *extra latitudinem eorum,* pro quibus Christus mortuus est, *reconciliatorum, liberatorum, redemptorum, mundatorum, introductorum* denique per Christi mortem in vitam aeternam animae et corporis. Et in promptu ratio est ; quia exio *quod habuit carnem injectam,* cum fomite ligato et reatibus, egebat futuro remedio per Incarnationem et mortem lesu Christi exhibendo. Et ex eo quod in *propria persona* habuit *debitum contrahendi* maculam originalis peccati, imo *mitium* unde redundare in animam suam debebat originahs peccati macula : *gratia illa,* quae praeveniendo sanctificavit eam, ligando etiam fomitem, habuit rationem *gratiae mundativae, reconciliativae, redemptivac,* etc. Liberans namque animam a *macula, non actualités habita,* sed ex *propria carne tunc debita,* et in eadem carne *tunc initiata,* non est extra *latitudinem* liberantium a peccato, mundantium a sorde, redimentium a captivitate. Neque enim uno modo tantum quodlibet horum dicitur, sed latitudinem habet. Dicitur namque *captivus* non solum qui *totaliter* in captivitatem est redactus, sed qui *coepit* in sui *aliqua parte* duci in captivitatem, et obnoxius est captivitati. Et similiter dicitur *mors peccati* non solum *ipsa actualis mors,* sed *debitum* et *initium* in *propria persona habendi illam.* »

IV

Corollaria.

Ergo Immaculata Conceptio quae non indiget redemptione, illa est in qua Beatissima Virgo traditur esse :

i° Praeservata *totaliter* a peccato originali, ita quod fuit exempta ab *omnibus* ad dictum peccatum spectantibus.

2° *Praeservata non* solum a *macula, sed etiam a debih in* propria persona *contrahendi maculam.*

3° Sanctificata in suis parentibus ante animationem.

4° Sanctificata in carne sua ante animationem.

5° Sanctificata *in anima* sua, ita quod prius prioritate naturae intelligatur per gratiam sibi infusam sanctificata quam corpori unita.

6° Electa et praeelecta Mater Christi ante praevisionem peccati Adami ; unde causa Virginis, ut filia Adami non sit coniuncta cum causa patris, sed cum causa Christi, cuius erat praedestinata Mater antecedenter ad praescientiam originalia peccati.

7° Independens ab Adamo in ordine supernatural! gratiae ; ita quod ab illo non penderet in transmissione originals iustitiae, si Adam non peccasset ; neque proinde in transmissione peccati originalis, cum de facto iam peccavit.

8° Dependens a solo Christo ; et per merita eiusdem Christi impassibilis praeservata ab omni peccato, etiam a peccato originali, independenter a sacrificio Calvarii et sanguine Redemptoris in Cruce.

Haec est via theologorum asserentium praedestinationem Christi ut *sit Filius Dei in virtute,* ac perinde praedestinationem Beatissimae Virginis ut esset Mater Filii Dei et Unigeniti Patris, pleni gratiae et veritatis, et de cuius plenitudine nomnes accepimus, factam fuisse ante praevisionem peccati Adami.

Haec, inquam, est via quae supra denominata fuit *via Scoti,* via Raymundi Lullii, et Ambrosii Catharini, et Galatini et quae, ut ipsemet Galatinus adnotat, erat via « antiquorum Hebraeorum » ad declarandam « Immaculatissimam Matris Messiae Conceptionem ».

Haec est via per quam necessario deducitur et necessario pervenitur ad *praeservationem totalem* Beatissimae Virgini ab omnibus quibuscumque et quomodocumque ad peccatum originale spectantibus.

Haec denique est via, de qua : a) Ambrosius Catharinus lib. *Dc casu hominis et peccato originali* ait : « Quod ergo Beatissima illa Virgo id non incurrerrit, ob eam gratiam fuit, quia *excepta fuit in pacto illo. Hoc* autem quod excepta fuerit, multis rationibus suadetur ; quoniam *haec erat electa et fraulccta primogenita filia et sponsa omnium amantissima et omni honore dignissima Mater.* »

b) Galatinus *De Arcanis Catholicae fidei,* lib. 7. cap. 10. : « Gloriosa autem Virgo ac eius Filius, cum peccati Adam *haudquaquam* participes fuerint, atque ab originali peccato *penitus alieni* extiterint, merito impassibiles et immortales esse debebant. »

c) Montefortino, *Sum. Scoti,* t. V., q. 27., a 2. « Videtur proinde gratiae plenitudo, quae Mariae obvenit, de Christi plenitudine atque meritis accepisse *independenter ab Adamo, nec propterca in ipsum peccare potuisse, ab omni debito penitus absoluta.* Et ad hunc intellectum nullo negotio inflecti pene omnia argumenta Scoti de actu perfectissimo Mediatoris respectu Matris suae. *Ex Oxonicnsi,* 3. dist. 3. q. 1. »

In hac quidem via, posito quod si Adamus non peccasset, Filius Dei adhuc etiam incarnatus fuisset, atque exinde praesupposita electione Beatissimae Virginis ad Divinam Maternitatem ante praevisum Adami peccatum, bene omnia procedunt ordine logico, optime omnia consonant, atque ex praedestinatione Christi necessaria deductione pervenire oportet ad praeservationem usque Matris Christi, non solum a macula, verum et a debito personali contrahendi maculam, et ab omnibus ac singulis quae sub nomine peccati originalis clauduntur et continentur. Per hanc viam procedentes omnes theologi debent ita concludere : « Non decuit ergo Mariam Adamo subiicere. *Deo aliter jaciente, omne ens a supremo usque ad postremum conqueri potuisset ; omne ens a supremo usque ad postremum* non decet !! *exclamasset.*[1]

1 2

Ergo Immaculata Conceptio quae indiget redemptione, illa est in qua Beatissima Virgo traditur esse :

1° Praeservata quidem ab omni labe originalis culpae,

1 Vid< supra, cap. 10.

sed non exempta tamen *ab omnibus* quae ad praedicturi originale peccatum spectant ; nam, etiam si poneretur Beatissimam Virginem per gratiam singularissimam prae-ervatam fuisse a morte ipsa temporali et ab omnibus quomodocumque ex peccato primi parentis provenientibus quae cuir gratia gratum faciente possunt esse simul in homine iusto non tamen potest poni, quod Beatissima Virgo fuerit praeservata *a debito in propria persona habendi et* maculam e! cetera quae sub originali peccato includuntur. Etenim *terminus a quo redemptionis* vel est ipsum peccatum iam actualitercontractum, vel necessitas saltem illud contrahendi Ideo :

2° *Non* sanctificata in suis parentibus ante animationem neque in came sua ante animationem, neque in anima sua antequam animaretur caro eius. Et ideo :

30 Sanctificata postquam cuncta eius perfecta sum sc. et corpus et anima ; id est, post constitutionem personae; id est, post animationem, non quidem posterioritate tem poris, sed posterioritate naturae et ordinis. Idcirco sanctificata in primo instanti temporis suae animationis, et ornata gratia gratum *faciente in* ipsomet momento suae propriat existentiae personalis ; atque ita Beatissima Virgo fuit simul tempore in *esse naturae* et in *esse gratiae.*

4° Electa et praeelecta *Mater Christi,* quemadmodum Christus fuit praedestinatus, ut *esset Filius Dei in vidule, non* ante praevisionem peccati Adami, sed post peccatum Adami praevisum. Consequenter :

5° Causa Beatissimae Virginis, ut filia Adami, erat coniuncta cum causa patris ita, quod ab illo pendebat, sicut ceteri Adami filii, *et in* transmissione originalis iustitiae et in transmissione originalis peccati quod formaliter in privatione iustitiae originalis consistit.

6° Electa proinde et praeelecta et praedestinata ex *communi massa perditionis,* ut esset *Dei Genitrix et* Mater Christi et Mater divinae gratiae, qua Deus quos praescivi! et praedestinavit conformes *fieri imaginis Filii* sui, hos e! vocavit ; quos autem vocavit, hos et iustificavit ; quos autem iustificavit, illos et glorificavit.

70 Indigens redemptione et salute quae est per Christum, sicut omnes et singuli qui ex Adamo per viam generationis originem trahunt ; atque huiusmodi necessitas redemptionis respicit non tantummodo naturam, sed etiam personam, quia oportet ponere, quod quilibet *personaliter* redemptione Christi indigeat, non solum ratione *naturae.*

8° Praeservata denique immunis a macula peccati originalis, intuitu meritorum lesu Christi, eius Filii, humani generis Redemptoris ; ideoque ex morte Filii Dei praevisa.

90 Consequenter, Christus mortuus est, sicut pro omnibus nobis, etiam pro Beatissima Virgine eius Matre ; ideoque Beatissima Virgo aliquo modo mortua est morte peccati. Id est :

io° Beatissima Virgo *aliquo modo* contraxit peccatum originale ; *aliquo modo* incurrit peccati originalis maculam ; *aliquo modo* omnia illa contraxit a quibus, tamen ne actualiter contraheret, praeservata fuit per sanguinem cruci^ Christi. Et talis *aliquis modus* qui contraponitur a D. Thoma ad illum *nullum modum* quo Christus non contraxit originale peccatum, nihil aliud est nisi « carnis infectio » cui anima rationalis Beatissimae Virginis fuit coniuncta, et quae erat nata ipsam rationalem animam inficere : unde Beatissima lirgo, etsi non actualiter incurrit, incurrere tamen *debuit* omnia quae ceteri filii Adami *actu* incurrunt. Etenim « talis camis infectio est peccati originalis *initium* inexistens in persona quae tunc simul concipitur et concepta est. » Atque Beatissima \hrgo habuit in propria persona debitum habendi haec. Quapropter :

II0 Beatissima Virgo est reconciliata Deo per Christum et redempta per mortem Christi.

Haec est via theologorum ponentium praedestinationem Christi, ut *esset Filius Dei in virtute,* postquam ab omni aeternitate praevidit luctuosissimam totius humani generis ruinam ex Adami transgressione derivandam.

Haec est porro via D. Thomae.

CAPUT DECIMUM SEXTUM

Per viam ergo D. Thomae, quae est via Sanctorum ac Doctorum, Augustini, Anselmi, Bernardi, Alberti Magni, Bonaventurae, et aliorum plurimorum, rationabiliter atque optime declaratur Immaculata Conceptio Beatissimae Virginis definita ex Cathedra a Pio IX., In Bulla dogmatica « Ineffabilis Deus ».

Processus theologicus in via D. Thomae.

Immaculata Beatissimae Virginis Conceptio, definita ab Ecclesia tamquam dogma fidei, tradita est a SS. Augustino, Anselmo et Bernardo. — Quod profecto videtur expresse consignatum in ipsa Bulla dogmatica *Ineffabilis Deus.* In hac enim dogmatica Constitutione legitur : i° Quod ex declaratione Tridentinae Synodi, « Tridentini Patres, ipsam Beatissimam Virginem ab originali labe solutam pro rerum temporumque adiunctis satis innuerunt, atque adeo perspicue significarunt, *nihil ex Divinis Litteris, nihil* ex Traditione Patrumque auctoritate rite afferri posse, quod tantae Virginis praerogativae quovis modo refragetur. » 2° Quod Patres Ecclesiaeque Doctores « propriis definitisque sententiis edixerunt nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habendam esse quaestionem de Sancta Virgine Maria, cui plus gratiae collatum fuit ad vincendum omni ex parte peccatum ; tum professi sunt, gloriosissimam Virginem fuisse parentum reparatricem, posterorum vivificatricem, a saeculo electam, ab Altissimo sibi praeparatam, a Deo, quando ad serpentem ait : *Inimicitias ponam inter te et Mulierem,* praedictam, quae procul dubio venenatum serpentis caput contrivit ; ac propterea affirmarunt eandem Beatissimam Virginem fuisse per gratiam ab omni peccati labe integram, ac liberam ab omni contagione et corporis et animae et intellectus, ac semper cum Deo conversatam, et sempiterno foedere cum illo coniunctam, nunquam fuisse in tenebris, sed semper in luce, et idcirco idoneum plane extitisse Christo habitaculum, non pro habitu corporis, sed pro gratia originali. »

Iam vero, licet nullus Ecclesiae Pater sive Doctor suo proprio nomine singillatim in Bulla *Ineffabilis Deus* nominetur, propriae tamen definitaeque sententiae litteraliter sunt dessumptae ex sanctis Augustino, ex Anselmo atque ex Bernardo. S. Augustinus quidem, *De natura et gratia,* cap. 36. scribit : « De Sancta Virgine Maria, propter honorem Christi, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quaestionem ; inde enim scimus, quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum ex omni parte peccatum, quod concipere ac parere meruit Eum, quem constat nullum habuisse peccatum. » — S. Bernardus autem, Homilia 2. super *Missus est,* adiungit : « *Missus est Angelus ad Virginem:* Virginem carne, virginem mente, virginem professione ; virginem denique, qualem describit Apostolus, I. Corinth. 7, 34» *mente ct corpore sanctam;* nec noviter nec fortuito inventam, sed a saeculo electam, ab Altissimo praecognitam et sibi praeparatam, ab Angelis servatam, a patribus praesignatam, a prophetis promissam. Scrutare Scripturas, et proba quod dico. Visne, ut et ego aliqua ex his testimonia inseram? Ut pauca loquar de pluribus : quam tibi aliam praedixisse Deus videtur, quando ad serpentem ait : *Inimicitias ponam inter te et mulierem?* (Genes. 3, 5). Et si adhuc dubitas, quod de Maria non dixerit, audi quod sequitur : *Ipsa conteret caput tuum.* Cui haec servata victoria est, nisi Mariae? Ipsa, procul dubio, caput contrivit venenatum, quae omnimodam maligni suggestionem tam de carnis illecebra quam de mentis superbia deduxit ad nihilum. » Illam etiam propriam definitamque sententiam, quae in Bulla *Ineffabilis* paulo post ab initio legitur, nimirum : « Illam (B. Virginem) longe ante omnes angelicos spiritus, cunctosque sanctos coelestium omnium charismatum copia de thesauro Divinitatis deprompta ita mirifice cumulavit, ut ipsa ab

omnis prorsus peccati labe semper libera, ac tota pulchra et perfecta, eam innocentiae et sanctitatis plenitudinem prae se ferret, *qua maior sub Deo nullatenus intelligitur,* et quam praeter Deum nemo assequi cogitando potest » ; protulit ad litteram S. Anselmus, *De Conceptu Virginali,* cap. 18. dicens : « Decebat, ut illius hominis, nempe Christi, conceptio de Matre purissima fieret. Nempe decens erat, ut *ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret.* »

Quomodo sancti Augustinus, Anselmus et Bernardus discernant ab invicem inter Conceptionem Christi et conceptionem Beatissimae Virginis Matris Christi. — Sanctus Augustinus, *X. De Genesi ad litteram,* cap. 18. ita assignat differentiam inter conceptionem Christi et conceptionem Beatissimae Virginis : « Corpus Christi, quamvis ex carne feminae assumptum est, quae de illa carnis peccati propagine concepta fuerat, tamen quia non sic in ea conceptum est, quomodo fuerat illa concepta, nec ipsa erat *caro peccati,* sed *similiiuii* carnis peccati. » Atque *Super Ps. 34.,* exponens illud : *Egt autem cum mihi molesti essent,* sic dicit : « Dominus carnem assumpsit de *massa ipsa,* quae mortem meruerat ex peccato. Etenim, ut celerius dicam : *Maria* ex Adam *mortua* propter peccatum ; *Adam mortuus* propter peccatum ; et *caro Domini ex Maria, mortua* propter delenda peccata. » — S. Anselmus vero, *Cur Deus homo.* lib. II. cap. 16. sic ad invicem distinguit inter conceptionem Christi et conceptionem Virginis Matris : « Nam licet ipsa hominis eiusdem (Christi) conceptio sit *munda, Virgo* tamen ipsa, unde assumptus est, est in iniquitatibus *concepta,* et in peccatis *concepit eam* mater eius, et cum *originali peccato nata est;* quoniam et ipsa in Adam peccavit, in quo omnes peccaverunt. » — S. autem Bernardus, *Epist. ad Canonicos Lugdunenses, De Conceptu S. Mariae:* « Miramur satis, quid visum fuerit hoc tempore quibusdam vestrum voluisse mutare colorem optimum, *novam* inducendo *celebritatem,* quam ritus Ecclesiae nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio. Numquid Patribus doctiores sumus ? Virgo regia falsis non eget honorum titulis, infulis dignitatum. Honora sane integritatem

carnis, vitae sanctitatem ; mirare foccunditatem in Virgine, Prolem venerare divinam. Praedica reverendam angelis ; desideratam gentibus ; patriarchis prophetisque praecognitam ; electam ex omnibus ; praeclaram omnibus. Magnifica gratiae Inventricem, Mediatricem salutis, Restauratricem saeculorum ; exalta denique exaltatam super choros angelorum ad coelestia regna... Unde ergo *Conceptionis sanctitas?...* An forte inter amplexus maritales *sanctitas* se *ipsi conceptioni* immiscuit?... Quomodo namque autem *sanctitas* absque *Spiritu sanctificante ?* Nisi forte quis dicat de *Spiritu Sancto tam,* et non de viro, *conceptam fuisse;* sed id hactenus inauditum ! »

Conceptio de qua loquuntur SS. Augustinus, Anselmus et Bernardus, nihil aliud est nisi Conceptio quae praecedit infusionem animae ac ipsius personae Beatissimae Virginis constitutionem. — Hoc siquidem videtur manifestum esse ex ipsomet verborum contextu ; nam S. Augustinus loquitur de *\lla carnis propagine* per quam usque ad nos derivatur Adae peccatum ; et vocatur *caro peccati,* quia est *caro injecta.* inficiendi ipsam animam virtutem habens, atque instrumentalis perinde causa in peccati originalis transmissione. Similiter S. Anselmus loquitur de conceptione activa ex parte parentum, ex parte matris, quae ex eo quod concipit filios suos in peccatis, filii sunt eo ipso in iniquitatibus concepti ; unde ex vi generationis cum originali peccato nasci *debent* omnes qui, originem ex Adamo trahentes, in Adamo peccaverunt. Quod adhuc magis ex verbis ipsis S. Bernardi elucescit, dum, quaerens conceptionis *sanctitatem,* interrogat : « *An forte inter amplexus maritales sanctitas se ipsi conceptioni immiscuit? Quomodo namque sanctitas absque Spiritu sanctificante? Nisi forte quis dicat de Spiritu Sancto eam, et non de viro, conceptam fuisse: sed id hactenus inauditum !* » Quod praeterea evidenter ostenditur ex aperto testimonio SS. Alberti, Bonaventurae et Angelici Doctoris.

d) B. Albertus Magnus, ***III.*** *Sent.* dist. 3. a. 4. : « Dicimus, quod Beata Virgo non fuit sanctificata *ante animationem;* et qui dicunt oppositum, est haeresis condemnata a Beato

Bernardo in Epistola ad Lugdunenses, et a Magistris omnibus Parisiensibus. »

b) S. Bonaventura, ***III.*** *Sent.* dist. 3. p. 1. a. 1. q. 1. : « Non fuisse sanctificatam ante animationem. Bernardus, ad Ludugnenses : *Ante conceptionem sanctificari minime poterat, quia non erat; sed nec in ipso conceptu, propter peccatum quod inerat.* Sed constat, quod illud non est dictum propter peccatum quod esset in parentibus ; quia potuissent eam concipere sine peccato. Ergo dicit propter *causam peccati,* quae erat in *carne.* Ergo non videtur, quod sanctificatio fuerit *ante infusionem animae.* »

c) D. Thomas, ***III.*** *Sent.* dist. 3. q. 1. a. 1. sol. 1. ad 1. : « Dicendum, quod nullo modo in parentibus sanctificari potuit (B. Virgo), neque etiam in *ipso actu Conceptionis eius...* In statu viae parentes eius curati non fuerunt, ut *prolem suam sine originali peccato conciperent;* et ideo Beata Virgo in peccato originali fuit concepta ; propter quod Bernardus in Epistola ad Ludugnenses scribit *conceptionem illius celebrandam non esse.* »

Patet ergo, de *qtia* Beatissimae Virginis *Conceptione* loquantur sancti Patres et Doctores, Augustinus, Anselmus et Bernardus, dum, contraponentes illam ad conceptionem Christi, S. Augustinus vocat carnem Virginis *carnem peccati;* et S. Anselmus asserit Beatissimam Virginem in peccatis conceptam fuisse a matre eius ; et S. Bernardus tradit *conceptionem* illius celebrandam non esse. Agitur namque de Conceptione Beatissimae Virginis quae praecedit infusionem animae et antecedit animationem per animam rationalem, ac perinde antequam *persona* Beatissimae Virginis perfecte constituta actu suae propriae existentiae subsisteret.

Sanctorum Augustini et Anselmi et Bernardi vestigia fideliter prementes, sancti Doctores Albertus et Bonaventura et D. Thomas reficiunt sanctificationem Beatissimae Virginis ante animationem, tamquam excludentem a Beatissima Virgine personalem indigentiam rede ptionis. — Quod quidem ex allegatis et probatis per integrum huius operis decursum satis superqueconstat. Ex ore namque B. Alberti Magni nuper

audivimus, quod fuit condemnatum a Bento Bernardo ct a Magistris omnibus Parisiensibus, et condemnatum ut error haereticus : dicere *Beatissimam Virginem sanctificatam fuisse ante animationem*. Ex supradictis in cap. 11. etiam S. Bcnaventura, reficiens Virginis sanctificationem antequam animaretur caro eius, concludit : « Si ergo sanctitas non fuit in Virgine ante animae infusionem, non videtur usquequaque securum *Conceptionis illius solemnitatem celebrare.* » Ac D. Thomas, quotiescumque ponit istam quaestionem : *Utrum Beata Virgo fuerit sanctificata ante animationem,* semper constanterque respondet : « Si quocumque modo ante animationem Beata Vzirgo sanctificata fuisset, non indiguisset redemptione et salute quae est per ChristuJ »

Sanctus Bonaventura et D. Thomas, ultra progredientes in hac quaestione, reficiunt sanctificationem Beatissimae Virginis in ipsomet instanti infusionis animae, ita quod prius prioritate naturae intelligatur anima per gratiam sibi infusam sanctificata quam corpori unita. — Ex dictis supra in cap. 11., tempore SS. Bonaventurae et Thomae, inveniebantur iam aliqui theologi asserentes Beatissimam Virginem sanctificatam fuisse in ipsomet instanti infusionis animae ; sed ita, ut prius natura et ordine fuerit gratia sanctificans infusa a Deo in animam, quam anima infusa in corpus et carni unita. S. Bonaventura affert exemplum et rationem horum theologorum ad explicandam huiusmodi primam Beatissimae Virginis sanctificationem, quod sic se habet : « Beata enim Virgo Maria significata fuit per *arcam:* anima vero Beatae Virginis significata fuit *per urnam,* in qua positum fuit *manna.* Cum ergo *urna* prius fuerit impleta *manna,* quam posita in *arca, prius,* saltem per naturam, *sanctificata fuit anima Beatae Virginis quam carni unita.* » Atque S. Bonaventura non audet talem explicationem approbare tamquam securam et fidei conformem.

I). Thomas tangit hunc sanctificationis modum in III. q. 27. a. 2. et ***III***. *Sent.* dist. 3. q. I. a. r., *et* reficit illum dicens : « Christus enim hoc singulariter in humano genere habet, ut redemptione non egeat, quia caput nostrum est ;

sed omnibus convenit redimi per Ipsum. Et si quocumque modo ante animationem Beata Virgo sanctificata fuisset, non indiguisset redemptione et salute quae est per Christum.* Etenim, hoc modo Beatissimam Virginem sanctificari nihil aliud est nisi ipsam sanctificari prius prioritate naturae, quam caro animaretur ; et sic antea anima gratiam susceperit quam carni uniretur ; ideoque Beatissima Virgo in sua propria persona constituta iam non incurreret *debitum* nascendi cum peccato originali vel illud contrahendi necessitatem. « Et hoc (ait D. Thomas) derogaret dignitati Christi secundum quam est universalis *omnium* Salvator. »

Sanctus Bonaventura et D. Thomas, ultra progredientes per viam SS. Augustini, Anselmi, Bernardi et Alberti, ad hanc usque pervenerunt conclusionem : Unde relinquitur, quod sanctificatio Beatissimae Virginis fuerit post eius animationem, vel posterioritate temporis vel saltem posterioritate naturae. — S. Bonaventura, *III. Sent.* dist. 3. part. I. a. l. q. 2. : « Hic modus dicendi *communior* est, et *rationabilior,* et *securior.*

à) « *Communior,* inquam ; quia fere omnes illum tenent, quod B. Virgo habuit originale, cum illud appareat ex multiplici ipsius poenalitate, quam etiam non est dicere *per assumptionem* habuisse, sed per *contractionem.* »

b) « *Rationabilior* etiam est ; quia *esse* naturae praecedit *esse* gratiae, vel *tempore* vel *natura ; et* propterea dicit Augustinus, quod *prius est nasci quam renasci,* sicut prius est *esse* quam *bene esse.* Prius est igitur animam uniri, quam gratiam Dei sibi infundi. Si igitur caro illa *injecta* fuit, ex *sua injectione nata erat* animam culpa originali *inficere.* Necessarium est igitur ponere, quod ante fuerit originalis culpae *infectio* quam *sanctificatio.* »

c) « *Securior* etiam est ; quia magis consonat *fidei pietati* et *Sanctorum auctoritati.* Magis concordat *Sanctorum auctoritati;* pro eo, quod communiter Sancti, cum de materia ista loquuntur, *solum Christum* excipiunt ab illa generalitate, qua dicitur Rom. 5. : *Omnes peccaverunt in Adam.* Nullus autem in\enitui dixisse, de his quos audivimus auribus

nostris, Virginem Mariam a peccato originali fuisse immunem. *Pietati etiam fidei* magis concordat ; pro eo quod, etsi Mater habenda sit in reverentia, et magna erga ipsam habenda sit devotio, multo maior tamen est habenda erga Filium, ex quo est ei omnis honor et gloria. Et ideo, quia hoc spectat ad *excellentiam dignitatis* Christi, quod ipse est *omnium Redemptor* et *Salvator,* et quod ipse *omnibus aperuit ianuam,* et quod ipse *unus pro omnibus mortuus est,* nullatenus ab hac generalitate Beata Virgo Maria excludenda est ; ne, dum Matris excellentia ampliatur, Filii gloria minuatur ; et sic Mater provocetur, quae magis vult Filium extolli et honorari quam seipsam, utpote Creatorem quam creaturam. Huic igitur positioni adhaerentes, propter honorem lesu Christi, qui in nullo praeiudicat honori Matris, dum Filius Matrem incomparabiliter antecedit, teneamus secundum quod communis opinio tenet : *Virginis sanctificationem fuisse* post *originalis peccati contractionem,* » Nimirum : Post, vel tempore vel xatura : ut antea in terminis expresse declaravit.

Quod autem D. Thomas, III. q. 27. a. 2. concludit similiter ad sanctificationem Beatissimae Virginis *post animationem,* posterioritate vel temporis vel naturae, evidenter eruitur et patet :

i° *Ex doctrina tradita circa hanc eandem materiam de contractione peccati originalis, I.-II. q. 81. a. 3. : « Utrum peccatum primi parentis transeat per originem in omnes homines »,* ad quod respondet dicendum : « Secundum fidem catholicam firmiter est tenendum, quod omnes homines, praeter *solum Christum,* ex Adam derivati, peccatum originale ex eo contrahunt ; alioquin non omnes indigerent redemptione quae est per Christum : quod est erroneum. » «Quod dictum (declarat Caietanus ibidem) non intelligendum est aliter quam de morte, quae est poena peccati originalis ; ita quod, sicut omnes incurrunt mortem, id est, *necessitatem moriendi,* ita omnes incurrunt peccatum originale, id est, *necessitatem habendi peccatum* originale... Est igitur necessarium secundum catholicam fidem credere, quod omnis utrimque sexus ab Adam secundum rationem seminalem pro-

veniens, ex ipsa sua generatione sit obnoxius peccato originali... Et iuxta hunc sensum *militat ratio Auctoris* (D. Thomae), sc. quia aliter non indigeret redemptione quae per Iesum Christum facta est. Si enim peccatum originale, vel *in actu* vel in necessitate habendi illud, quis non incurreret, non egeret redemptione : quod haereticum esset dicere.

2° *Ex contextu argumentorum ac totius doctrinae D. Thomae l.* Tametsi enim primum instans temporis animationis in terminis non exprimatur, venit tamen necessitate logica intelligendum, ita quod secundum Angelicum Doctorem B. Virgo, quam concludit sanctificatam fuisse post animationem, in primo ipso suae animationis instanti fuerit sanctificata.

a) Quia argumentum S. Thomae non concluderet, si particula *post* significaret tempus. Ex hoc enim quod B. Virgo non potuerit sanctificari *ante* animationem, non potuit legitime concludere tantus Doctor quod fuerit sanctificata *post* animationem posterioritate temporis ; datur enim medium, sc. *ipsum primum instans* animationis, quo potuerit B. Virgo sanctificari.

b) Quia una ex rationibus, quare D. Thomas negat B. Virginem fuisse sanctificatam ante animationem, est quia ante animationem B. V. non est capax gratiae, cum gratiae sanctificantis subiectum sit anima rationalis. Sed post animationem, in ipsomet primo instanti animationis B. Virgo capax est gratiae sanctificantis subiectum. Ergo relinquitur, quod sanctificatio B. Virginis fuerit post animationem, non posterioritate temporis, sed naturae dumtaxat et ordinis f.[2]

1 III., q. 27., a. 2.

2 Optim:· ad rem anim idvcitit P. Spada, dicens : « Si S. Doctor in hoc articulo (III. q. 27. a. 2) assereret B. Virginem sanctificatam post animationem *posterioritate tonpotis,* affirmaret etmgirct eodem tempore B. Virginem in primo nstanti animationis fuisse *subiectum sanctificationis. Affirmaret;* quia creatura vivificata anima in primo instan i est *subiectum* sanctificationis, ut cx expositis patet. *Negaret* autem ; quia per *posteriornaiem temporis* poneret B. Virginem non potuisse sanctificari nisi in secundo instanti; ac ideo in piimo instanti non fuisse *subiectum* sanctificationis : quod absurdum est quam maxime.

c) Quia altera ratio, quarc D. Thomas negat B. Virginem fuisse sanctificatam ante animationem, est quoniam in hac hypothesi B. Virgo iam non indigeret personaliter redemptione quae est per Christum. Sed post animationem, in ipsomet primo animationis instanti quo persona B. Virginis constituitur, iam indiget ratione suae propriae personae per Christum redimi. Igitur secundum S. Thomam, nullum adest inconveniens, quod in primo animationis momento B. Virgo sanctificata fuisset.

d) Quia altera ratio est quod, iuxta S. Thomam, B. Virgo maximam sub Christo habet et habere debet puritatem, ita ut B. Virginis puritate maior sub Christo nequeat intelligi. Sed Christus neque actu habuit originale peccatum, nec illud habendi incurrit necessitatem. Ergo, iuxta D. Thomae doctrinam, B. Virgo quantumvis incurrere debebat necessitatem habendi originale peccatum, minime tamen actualiter incurrit.

3° *Ex electione Virginis ad divinam Maternilatent.* III q. 27. a. 4., D. Thomas infert ex hac divina electione immunitatem B. Virginis ab omni peccato actuali, sive mortali sive veniali. Quos enim Deus ad aliquid eligit, ita praeparat et disponit, ut ad id, ad quod eliguntur, inveniantur idonei. Ex iis autem rationibus, quibus D. Thomas ostendit, quod B. Virgo non fuisset idonea Mater Dei, si peccasset aliquando peccato personali, aut mortaliter aut venialiter, legitime

Inde necessarium est necessitate logica, ut in hoc a. verbum *post* accipiatur posterioritate naturae, et non temporis. Immerito igitur illustrissimus Antistes asserit D. Thomam in praesenti a. *terminis formalibus* negasse Immaculatam Conceptionem B. Virginis... Per transennam animadvertimus, articulum, de quo disputatum est, esse numero *secundum* illius quaestionis (III., q. 27 a.), in qua /bigelicus docet, Mari m sanctificatam in utero *prae omnibus accepisse maiora privilegia gratiae;* in qua asserit, quod Maria non fuisset idonea Mater Dei, *si aliquando peccasset;* in qua tribuit Mari e *plenitudinem gratiae disposiiivae* ad div nam Matemitatcm ; quae superius plene enucleata sunt, quaeque componi nequeunt cum sanctificatione *posterioritate temporis.* » — (P. Fr. Marianus Spada, O. P. *Animadversiones in opus Illustrissimi ac Reverendissimi Domini J. B. Malou, Episcopi Brugcnsis, de Dogmate Imm. Concept. B. M. Virginis.* — Romae 1862. — Animadversio V., pag. 84)

concluditur, iuxta ipsius D. Thomae doctrinalia principia, B. Virginem non fuisse idoneam Matrem Dei, si habuisset aliquando originale peccatum *'prout habet rationem culpae.* Unde, iuxta D. Thomam, necesse est ponere B. Virginem nunquam caruisse gratia sanctificante, etsi ea carere debuisset ; nunquam incurrisse actu culpam originalis peccati, etsi debuisset incurrere ; nunquam maculam seu privationem nitoris, ex carentia gratiae provenientem, habuisse, etsi obnoxia fuisset necessitati habendi illam ; nunquam a Deo fuisse aversam vel elongatam, sed semper apud Deum ipsam invenisse gratiam. *Non* autem fuisset idonea Mater, si *peccasset aliquando,* sive peccato mortali, sive peccato veniali, sive peccato originali actualiter contracto. Omnis ergo ratio culpae a B. Virgine removenda est, ac proinde ipsummet originale peccatum eo modo quo rationem culpae in personis filiorum Adami habere dicitur. Oportet ergo ponere B. Virginem fuisse sanctificatam in primo instanti temporis suae animationis : id est, post animationem sola posterioritate ordinis et naturae.

4° *Ex contextu integro articuli secundi q. 27. in III. Parte.* Incipiendo : *a)* a titulo articuli : *Utrum Beata Virgo sanclificata fuerit ante animationem,* ubi nihil aliud intendit D. Thomas nisi excludere a prima *B.* Virginis sanctificatione *tempus* quod praecedit infusionem animae ; ac perinde negare Beatissimam Virginem sanctificatam fuisse : vel in parentibus, vel in sua conceptione activa ex parte parentum, vel in sua conceptione passiva inadaequate sumpta, id est, in carne ante animationem, vel in ipsamet anima rationali, antequam animaretur caro, ita quod prius prioritate naturae intelligatur anima per gratiam sibi infusam sanctificata quam unita carni infectae quae *nata erat* inficere animam, ipsamque inficiendi continebat *virtutem* utpote instrumentais causa in peccato originali transmittendo. De primo instanti animationis nulla fit mentio ; de primo existentiae personalis momento, altum silentium.

b) Ex argumento in *sed contra,* in quo ex figura ac similitudine tabernaculi Veteris Testamenti, quod non fuit impletum gloria Domini nisi postquam cuncta perfecta fuerunt, concludit, quod etiam Beata Virgo non fuit sanctificata nisi

postquam cuncta eius perfecta sunt, sc. corpus et anima. Ibi particula *post* solum *naturae* ordinem necessario significat, ac minime requirit *temporis* posterioritatem.

c) *Ex corpore articuli,* in quo affertur duplex ratio ad concludendum, quod sanctificatio Beatissimae Virginis non potest intelligi ante eius animationem, salva in Beatissima Virgine personali indigentia redemptionis, atque in Christo Domino dignitate universalis omnium Redemptori-. Est *tùm prima* ratio : quia videlicet sanctificatio, de qua loquimur, fit formaliter per gratiam sanctificantem. Gratia vero sanctificans est gratia personalis. Unde praesupponit perinani, quam perficit, iam prius constitutam prioritate vel temporis vel naturae ; ac proinde persona Beatissimae Urginis fuit sanctificata post constitutionem personae, posterioritate vel temporis vel saltem naturae. Ratio vero *sawida* sumitur ex ipsa necessitate personali redemptionis : quia videlicet omnes filii Adami, ex Adamo per viam generationis derivati, in Adamo peccaverunt ; et in ipso Adamo peccante « omnis eius posteritas *incidit in necessitatem trahendi ex* origine, simul cum communi natura, illum quoque reatum, qui eam ex tunc coepit afficere, et non aliter quam per personale sanctificationis donum unicuique individuo, praeter vim originis, ex Christi meritis collatum, poterat deinde auferri L » Quapropter D. Thomas, *IV. Sent.* dist. 43. q. i. a. 4. solut. 1. ad 3. : « Oportet ponere, quod quilibet *personaliter* redemptione Christi indigeat, non solum *ratione naturae.* Liberari autem a *malo* vel a *debito absolvi* non potest nisi qui *debitum incurrit* vel in malum deiectus est. » Debitum autem personale contrahendi sive incurrendi originale peccatum praesupponit personam prius constitutam prioritate saltem naturae. Ergo sanctificatio Beatissimae Virginis per personale sanctificationis donum, ex meritis (hristi collatum, non potest intelligi ante Virginis animationem. Unde relinquitur, quod sanctificatio Beatissimae λ iiginis fuerit *post eius animationem,* vel posterioritate temporis vel posterioritate naturae.

› Billot *De pecc. orig·.* P· J59

d) Ex modo quo D. Thomas ponit argumentum 2. in contra et solvit illud. — Arguit namque D. Thomas contra finalem conclusionem articuli : « *Unde relinquitur, quod sanctificatio B. Virginis fuerit post eius animationem.* » Et arguit contra huiusmodi sanctificationem assumens principium arguendi ex ipsa Virginis puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi. « Sed maior fuisset puritas Virginis, si *nunquam* anima eius fuisset inquinata contagio originalis peccati. *Ergo hoc ei praestitum fuit, ut, antequam animaretur caro eius, sanctificaretur.* » Quare D. Thomas, arguendo contra sanctificationem Virginis post eius animationem, concludit ad sanctificationem ante animationem? D. Thomas non negat maiorem argumenti, sc. quod Beatissima Virgo ea puritate nitere debuit, qua maior sub Deo nequit intelligi : Quare igitur non concludit dicens : *Ergo hoc ei praestitum fuit, ut sanctificaretur in primo instanti suae animationis* ? Ergo non est verum, quod D. Thomas « in corpore articuli manifeste intendit loqui de *ordine temporis. Nam pro inconvenienti* infert, quod alias Beata Virgo *nunquam* incurrisset maculam originali' culpae » Debuerat enim D. Thomas negare sanctificationem B. Virginis in primo animationis momento, sicut negat sanctificationem ante animationem. Nam si *post animationem, post* necessario includeret *posterioritatem temporis,* excluderet consequenter etiam necessario *posterioritatem naturae* solam ac seorsum sumptam. Non ergo negat *D.* Thomas sanctificationem Beatissimae Virginis post animationem, posterioritate naturae exclusa ; neque manifeste intendit loqui de ordine temporis tantum, secluso absolute ordine naturae; alioquin non concluderet Angelicus Doctor ex suo argumento *in contra,* Beatissimam Virginem fuisse sanctificatam ante animationem, sed concluderet negando Beatissimam Virginem fuisse sanctificatam in primo instanti temporis suae animationis ; si verum esset, quod « manifeste intendit loqui de ordine temporis » : ut sine causa et arbitrario contra integrum textum litteralem articuli secundi supponit Suarez et minime valet probare 2.

1 Suarez, *In III. P.* q. 27. a. 2. ·, Sj

2 Vide supra, Introouct. II. § i ct § 3.

Observatio circa inconveniens ex quo Suarez contendit probare quod D. Thomas manifeste intendit loqui de ordine temporis III. Part. q. 27. art. 2°. — Verum quippe est, quod D. Thomas « pro inconvenienti infert, quod alias B. Virgo *iiuM/ua»! incurrisset* maculam originalis culpae » ; ait enim in corpore articuli : « Et si quocumque modo ante animationem Beata Virgo sanctificata fuisset, *nunquam incurrisset* maculam culpae originalis, et ita non indiguisset redemptione et salute quae est per Christum. » Ergo *nunquam incurrere* maculam originalis culpae necessario claudit in sua significatione Beatissimam Virginem fuisse *sanctificatam quocumque modo* ante animationem. Ergo *nunquam incurrere* maculam originalis culpae claudit consequenter in sua significatione *non indigere redemptione* et *salute* quae est per Christum. Ergo haec tria : *a)* non indigere redemptione, *b)* nunquam incurrere maculam originalis culpae, *c)* esse quocumque modo sanctificatum ante animationem, quoad rem et substantiam significationis in praesenti materia aequivalent atque unum idemque significant. Quapropter D. Thomas ad argumentum 2. respondet dicendum :

« *Si nunquam anima Beatae Virginis fuisset contagio originalis peccati inquinata, hoc derogaret dignitati Christi secundum quam est universalis omnium Salvator.* » Hoc quidem derogat dignitati Christi secundum quam est omnium, etiam suae Matris, Redemptor, nimirum : i° esse sanctificatum in parentibus, ante animationem ; 2° esse sanctificatum in came, ante animationem ; 30 esse sanctificatum in anima, ante camis animationem. Ut ergo dignitati Christi Redemptoris nihil derogetur, oportet ponere, quod quilibet redemptione Christi indigeat, non solum ratione naturae, sed etiam ratione personae. Persona vero humana constituitur ex substantiali unione animae ad carnem ; ad carnem, inquam, quae prout derivatur et descendit ab Adamo, in quo omnes peccaverunt, est *infecta* ct *nata inficere* ipsam animam ; et sua infectione *persona* ex anima et corpore substantialiter unitis constituta, *efficitur indigna Dei gratia, indigna originali iustitia,* quam *debebat* habere, et non habet ex peccato primi parentis, in quo peccantes omnes, praeter solum Christum,

incurrunt peccatum originale, vel *actu* vel in *necessitate* illud habendi ; incurrunt *maculam* originalis peccati, vel actu vel saltem in debito personali habendi illam. Unde illa *cami injectio,* per viam generationis ex Adam derivata, cui anima rationalis, a Deo ex nihilo creata, coniungitur, est : *Peccati originalis initium inexistens in persona,* quae tunc simul concipitur et concepta est ; atque *sine debito in propria persona habendi haec,* videlicet culpam et maculam et omnia quae sub peccato originali veniunt intelligenda, nemo *personalitcr* indiget redemptione et salute quae est per Christum. Hoc itaque, et non aliud, docet D. Thomas cum dicit : «Si quocumque modo ante animationem Beata Virgo sanctificata fuisset, *nunquam incurrisset* maculam originalis culpae, et ita non indiguisset redemptione et salute quae est per Christum, de quo dicitur Math, i, 21 : *Ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* » Et iterum : « Si *nunquam* anima Beatae Virginis fuisset contagio originalis peccati inquinata, hoc derogaret dignitati Christi secundum quam est universalis omnium Salvator. » Unde prosequitur Doctor Angelicus :

« Et ideo sub Christo, qui salvari non indiguit, tamquam universalis Salvator, *maxima fuit Beatae Virginis puritas.* Nam Christus *nullo modo* contraxit originale peccatum... Sed *Beata Virgo contraxit quidem originale peccatum, sed ab eo fuit mundata antequam ex utero nasceretur... In suo ortu a peccato originali fuit immunis.* » Christus *nunquam, nullo modo,* contraxit originale peccatum ; Christus *nunquam, nullo modo,* incurrit maculam originalis culpae. Sed Beatissima Virgo, Christi Mater, in *aliquo momento fuit* culpae obnoxia ; in *aliquo instanti* fuit in periculo cadendi ; *aliquo modo* originale contraxit ; *aliquo modo* originalis culpae maculam incurrit. Quia Beatissima Virgo fuit quidem praeservata a macula peccati originalis ; sed non fuit praeservata ab infectione carnis ; ac per hoc, nec a debito in propria persona habendi illam maculam. Alioquin non indiguisset redemptione Christi. Inde :

« *Sub Christo, qui salvari non indiguit tamquam universalis Salvator, maxima fuit Beatae Virginis puritas.* Contraxit quidem originale peccatum, non actu, sed in necessitate dumtaxat illud habendi ; maculam incurrere *debuit,* sed actualem maculam non incurrit, ex gratia praeveniente qua sanctificata fuit in primo instanti suae animationis ; ab originali peccato fuit mundata in *suo ortu,* antequam ex utero nasceretur ; *ortus* autem, qui est ante nativitatem ex utero, est *ipsamet nativitas in utero,* id est, primum momentum temporis suae animationis. *Ortum surgentis aurorae,* id est, Beatae Virginis, quae in suo ortu a peccato originali fuit immunis. Atque ita, omnibus quibuscumque non obstantibus, Angelicus Doctor concludit finaliter : *Sub Christo, qui salvari non indiguit, maxima est et fuit Beatissimae Virginis punias; et ea fuit Beatissimae Virginis puritas, qua maior sub Deo nequit intelligi.* Unde relinquitur, quod sanctificatio Beatissimae Virginis fuerit post eius animationem, posterioritate non quidem temporis, sed naturae tantum.

II

Sanctificatio Beatissimae Virginis post animationem, posterioritate non temporis sed naturae tantum, est ipsa Immaculata Virginis Conceptio solemniter definita in Bulla « Ineffabilis Deus ».

Dogma definitum. — Ut ex supra dictis et allegatis patet, definitum solemniter catholicae fidei dogma de Immaculata Virginis Conceptione nihil aliud est nisi ipsamet Sanctissima Dei Genitrix Virgo Maria praeservata omnino immunis ab omni originalis culpae labe, ob praevisa Christi Domini Redemptoris merita. Quod quidem dogma perfecte salvatur et optime declaratur per primam sanctificationem Beatissimae Virginis post eius animationem, posterioritate non temporis, sed dumtaxat naturae et ordinis.

Sanctificatio per modum praeservationis et sanctificationis sublectum. — Primo quidem, *sanctificatio* qua Beatissima Virgo Maria in primo instanti suae Conceptionis fuit singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio a macula originalis

culpae praeservata immunis, est sanctificatio personae et formaliter effecta per gratiam gratum facientem, quae est gratia personam perficiens. Gratiae autem gratum facientis subiectum est sola creatura rationalis in sua propria persona iam constituta. Ergo Beatissima Virgo non fuit sanctificata, nisi postquam cuncta eius perfecta sunt, sc. et corpus et anima ; ideoque sanctificatio Beatissimae Virginis fuit post eius animationem, post eiusdem personae Virginis constitutionem, posterioritate naturae et ordinis. Et haec est sanctificatio Beatissimae Virginis in primo instanti suae Conceptionis passive et adaequate sumptae ; id est, in primo instanti temporis suae propriae existentiae personalis ; ita quod simul tempore Beatissima Virgo Maria *fuit* et *fuit sancta, fuit* et *fuit tota pulchra* et *absque ulla prorsus macula.* Nativitas eius in utero matris suae fuit sicut ortus aurorae, quae simul tempore surgit et lucet, nascitur et refulget, oritur ac splendet. Antequam ex utero nasceretur, in suo ortu Beatissima Virgo a peccato originali fuit immunis.

Praeservatio per modum redemptionis. — Deinde vero *huiusmodi praeservatio* ab omni originalis culpae labe facta fuit singulari omnipotentis Dei gratia, *intuitu meritorum Christi Salvatoris humani generis, ob praevisa Christi Domini Redemptoris merita, ex morte Filii Dei praevisa.* Unde sequitur : i° Quod Beatissima Virgo Maria fuit electa et praeelecta ex *communi massa perditionis,* et praedestinata ad hoc quod esset *Mater Christi Filii Dei,* quemadmodum Christus praedestinatus fuit ut esset *Filius Dei in virtute:* id est, postquam ab omni aeternitate Deus praeviderit luctuosissimam totius humani generis ruinam ex Adami transgressione derivandam, ac perinde post praevisum Adami peccatum. Etenim Beatissima Virgo Maria, ut in Bulla *Ineffabilis Deus* traditur, est « arctissimo et indissolubili vinculo cum Christo coniuncta », atque « Virginis primordia uno eodemque decreto cum Divinae Sapientiae Incarnatione fuerunt praestituta. » 20 Quod Beatissima Virgo Maria, electa et praeelecta ex *communi massa perditionis,* indiguit consequenter redemptione et salute quae est per Christum ac

per sanguinem crucis eius. Indiguit autem redemptione Christi non solum ratione naturae, verum quoque ratione personae ; ita quod Beatissima Virgo fuit sicut redemptione indigens, et caro eius peccato obnoxia in patribus, in sua generatione activa, in carne sua ante animationem, atque in sua propria persona post animationem constituta. Et hoc est, quod D. Thomas indicat, dum scribit : *a) « Caro Virginis concepta fuit in originali peccato ;* et ideo hos defectus contraxit. Sed caro Christi ex Virgine assumpsit naturam absque culpa»1, δ) *«.Corpus Beatae Virginis totum fuit in originali fucato conceptum,* ut supra dictum est 2 ; et ita etiam secundum quod fuit in patribus, fuit peccato obnoxium » 3. *c) i* Quia Beata Virgo fuit in originali peccato concepta, fuit in Abraham sicut curatione indigens ; et ideo fuit ibi decimata, velut inde descendens secundum seminalem rationem »4. *d)* « Christus non assumpsit carnem humani generis subiectam peccato, sed ab omni infectione peccati mundatam »5. *e)* « Caro Christi, actu existons caro Christi, nullo modo fuit infecta ; eius enim *emundatio* a praecedenti infectione, saltem *intellectu, praecedit assumptionem;* unde in Divinam Sapientiam nihil inquinatum incurrere potuit » e. Hoc, inquam, est quod D. Thomas ex professo et a radice declarat7: *Utrum Beatissima Virgo fuerit sanctificata ante animationem.* Iam enim Beatissima Virgo indigebat redemptione in suis parentibus ante animationem, in corpore suo ante camis animationem, in conceptione sua ante animationem ; verum huiusmodi indigentia erat *ratione naturae;* et si sanctificata fuisset ante animationem, Beatissima Virgo iam non indigeret redemptione Christi *personaliter.* Similiter, si hoc praestitutum fuisset Beatissimae Virgini, ut, antequam animaretur caro eius, per gratiam animae suae infusam

1 (III. q. 14· a· 3· ad T·
* q. 14. a. 3. ad 1., ct q. 28. a. 2.
3 q. 21. a. 7.
4 q. 31 · a. 8. ad 2.
s q· 31· a· 7· ad ’·
« *III. Sent.* dist. 3 a. 1. ad 3.
’ III q. 27· a· 2·

sanctificaretur : etiam hoc derogaret dignitati Christi secundum quam est universalis omnium Salvator ; quoniam prius prioritate naturae intelligeretur anima per gratiam gratum facientem sanctificata quam carni unita ; ac perinde *persona* Virginis ex anima et corpore constituta iam non indigeret per Christum redimi, neque Christus fuisset Redemptor propriae Matris in propria persona sua constituta. Haec igitur est profunda ac verissima doctrina tradita a D. Thoma in a. 2., dum concludit ad sanctificationem Beatissimae Virginis post infusionem animae, post animationem, post constitutionem personae.

Differentia inter carnem Christi et carnem Virginis Matris Christi in ipsomet animationis momento. — *Caro* Christi, *actu existons* caro Christi, *nullo modo fuit injecta; caro* Virginis Matris Christi, *actu existons,* caro Virginis, fuit *infecta,* atque ex sua infectione erat nata ipsam animam inficere, et habebat virtutem inquinandi animam *contagio* originalis peccati. — *Caro Christi,* quae secundum quod fuit in patribus, fuit *peccato obnoxia,* secundum quod fuit in Christo fuit ab omni infectione peccati *munda,* eiusdemque mundatio a praecedenti infectione, saltem *intellectu,* praecedit *assumptionem; caro* Virginis Matris *Christi,* quae, secundum quod fuit in patribus, fuit peccato *obnoxia,* secundum quod fuit in Virgine erat quoque peccato *obnoxia* ac *infecta;* atque eiusdem mundatio non praecedit tempore nec intellectu Virginis animationem, sed Virginis sanctificatio fuit post eius animationem et debuit esse saltem posterioritate naturae et ordinis. — Christus *nullo modo* contraxit originale peccatum, sed in ipsa sui Conceptione fuit sanctus : ideo in Christum, Dei sapientiam, nihil inquinatum incurrit. Beatissima Christi Mater *aliquo modo* peccatum originale contraxit, quia non fuit sancta in sua conceptione activa, nec sancta in sua carne ante animationem, sed habuit carnem infectam, ex qua anima in carnem infusa effecta fuit *indigna Dei gratia, et* contagio originalis peccati *debuit* inquinari ; sed quia in primo instanti temporis animationis persona Virginis gratia Dei praeventa est ac

sanctificata, ideo in *personam* Virginis, quae est Divinae Sapientiae Mater, nihil de facto, gratia ipsa impediente, inquinatum incurrere potuit, tametsi incurrere deberet, et de facto incurreret in carne sua ante animationem. — Inde Beatissima Virgo indiguit per Christum redimi, tam ratione naturae quam ratione personae ; at persona tamen Beatissimae Virginis *tota pulchra* fuit et est, et ob praevisa Christi Redemptoris merita ab omni labe originalis culpae fuit praeservata immunis. Nulla unquam prorsus macula in persona Virginis fuit ; sed gratia plena, et semper splendore sanctitatis refulgens.

Redemptio copiosior ac sublimior. — Denique tandem, quia redempta et sublimiori modo redempta, « ideo (concludit D. Thomas) sub Christo, qui salvari non indiguit, maxima fuit Beatae Virginis puritas », et « sub Christi puritate maximam Virgo Mater eius habere debuit J. » Maxima ergo sub Christi puritate fuit puritas Beatissimae Virginis, quae est Christi Mater sanctissima et purissima. Quoniam, ut D. Thomas expressis verbis asseverat, in terminis ad litteram docet ac radicitus declarat, atque ex visceribus causae rationem reddit demonstrando :

i° « *Illa sanctificatio Beatae Virginis excellentior fuit sanctificationibus aliorum:* quod sic patet. In sanctificatione enim quae fit per *legem communem in sacramentis,* tollitur culpa, sed remanet fomes inclinans ad peccatum mortale et veniale ; sed in *sanctificatis ex utero* non manet fomes secundum quod inclinans est ad mortale; sed tamen remanet inclinatio fomitis ad venialia, ut patet in leremia et loanne Baptista, qui peccatum actuale hubuerunt, non mortale, sed veniale. Sed in Beatissima Virgine inclinatio fomitis omnino sublata fuit, et quantum ad veniale, et quantum ad mortale ; et quod plus est, ut dicitur, gratia sanctificationis non tantum repressit in ipsa motus illicitos, sed etiam in aliis efficaciam habuit ; ita ut, quamvis esset pulchra corpore, a nullo unquam concupisci potuit » 2.

1 III. q- 27. a. 2. ad 2. et *III. Seni.* dist. 3.q. x. a. 1. solut. 2. ad 3.
2 *III. Sent.* dist. 3. q. i· a. 2. solut. 1. ad 4.

2° « Beata Virgo excessit angelos in iis tribus : et primo in *plenitudine gratiae,* quae magis est in Beata Virgine quam in aliquo angelo... Secundo, excellit angelos in *familiaritate divina;* et ideo hoc designans angelus dixit : *Dominus tecum;* quasi dicat : Ideo exhibeo tibi reverentiam, quia tu familiarior es Deo quam ego ; nam *Dominus esi tecum.* Dominus, inquit, Pater cum eodem Filio ; quod nullus angelus nec aliqua creatura habuit. *Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* (Luc. i, 35.) Deus Filius in utero : *Exulta et lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui, Sanctus Israel* (Is. 12, 6). Aliter est ergo Dominus cum Beata Virgine quam cum angelo ; quia cum ea ut *Filius,* cum angelo ut *Dominus* Dominus Spiritus Sanctus sicut in templo ; unde dicitur : *Templum Domini, sacrarium Spiritus Sancti;* quia concepit ex Spiritu Sancto. *Spiritus Sanctus superveniet in te* (Luc. 1, 35)· Sic ergo familiarior cum Deo est Beata Virgo quam angelus ; quia cum ipsa Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus, sc. tota Trinitas. Unde cantatur de ea : *Totius Trinitatis nobile triclinium.* Hoc autem verbum, *Dominus tecum,* est nobilius verbum quod sibi dici possit. Merito ergo angelus reveretur Beatam Virginem ; quia Mater Domini ; et ideo Domina est... Tertio, *excedit angelos quantum ad puritatem;* quia Beata Virgo non solum erat pura in se, sed etiam procuravit puritatem aliis. Ipsa enim purissima fuit quantum ad *omnem culpam;* quia ipsa Virgo nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit.[1] »

3° « Augmentum enim puritatis est secundum recessum a contrario ; et quia in Beata Virgine fuit depuratio ab omni peccato, ideo pervenit ad *summum puritatis;* sub Deo tamen, in quo non est aliqua potentia deficiendi, quae est in qualibet creatura [2]. »

4° « Puritas intenditur per recessum a contrario ; et ideo potest *aliquid creatum* inveniri quo nihil *purius* esse potent in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit ;

[1] *Exposit. Ave Maria.*
[2] *I. Seni.* dist. 17. q. 2. a. 4. ad 4

et *talis fuit puritas Beatae Virginis,* quae a peccato originali et actuali immunis fuit ; tamen sub Deo, in quantum erat in ea potentia ad peccandum L »

50 « Oportebat, ut Mater Dei *maxima 'puritate niteret;* non enim est aliquid digne receptaculum Dei nisi sit mundum, secundum illud Ps. 93, 5 : *Domum tuam, Domine, decet sanctitudo...* Illos, quos Deus ad aliquid elegit, ita praeparat et disponit, ut ad id, ad quod eliguntur, inveniantur idonei, secundum illud II. Cor. 3, 6 : *Idoneos nos jecit ministros Novi Testamenti.* Beata autem Virgo fuit electa divinitus, ut esset Mater Dei. Et ideo non est dubitandum, quin Deus per suam gratiam eam ad hoc idoneam reddidit, secundum quod angelus ad eam dicit, Luc. 1, 30 : *Invenisti gratiam apud Deum; ccce concipies...* Non autem fuisset idonea Mater Dei, si *peccasset aliquando...* Beata Virgo Maria tantam gratiae obtinuit plenitudinem, ut esset *propinquissima Auctori gratiae;* ita quod Eum pariendo, quodammodo gratiam ad omnes derivaret2. »

6° « Dei Sapientia non solum animam Virginis intravit, sicut et de ceteris dicitur, Sap. 7, 27 : *.In animas sanctas se transfert;* sed et corpus eius inhabitavit, carnem de ea assumens. Ergo in ea nullum peccatum fuit : quod colligitur ex eo, quod dicitur in Cantic. 4, 7 : *Tota pulchra es, amica mea, ct macula non est in te3.* »

70 « Beata Virgo super omnes alios sanctos a peccato purior fuit, veluti Divinae Sapientiae Mater electa, in *quam nihil inquinatum incurrit,* ut dicitur, Sap. cap. 7... Quod ergo dicit : *In sole posuit tabernaculum suum;* id est, corpus suum Christus posuit in *sole,* id est, in Beata Virgine, quae *nullam habuit obscuritatem peccati.* Cantic. 4, 7 : *T°la pulchra es, amica mea, et macula non est in te...* In Christo et in Virgine Maria *nulla omnino macula fuit 4.* »

» *I. Sent.* dist. 44· q· J· a· 3· ad 3·
2 I.-II. q. 8r. a. 5. ad 3. — III. q. 27. a. 4· et a· 5· ad 1.
3 *III. Sent.* dist. 3· q· ’· a* 2. — *In Psabn. David., Exposit. Ps. iS* et *Ps. 14*

Testimonia D. Thomae manifeste ostendunt Immaculatam B. Virginis Conceptionem. — Ubinam, quaeso, apud Patres et Doctores, sive ante sive post D. Thomam, inveniuntur talia testimonia ita plana intellectu, ita plena luce doctrinae, ita magnifica splendore veritatis, in laudem et gloriam sanctissimae Virginis Mariae atque in manifestam ostensionem eiusdem Immaculatae Conceptionis, prout definita est catholicae fidei revelata a *Deo* veritas ? Æqualia his *D.* Thomae pro maxima Beatae Virginis puritate apertis testimoniis apud Patres et Doctores inveniri fortasse poterunt ; sed maiora illis et clariora et efficaciora inveniri certe non poterunt. Etenim neque maiora sunt in efficacia et claritate quae, ex antiquis Patribus ac Doctoribus, quoad verba vel quoad sensum, desumpta, leguntur in ipsamet dogmatica Constitutione *Ineffabilis Deus,* quando dicitur : « Cum vero ipsi Patres Ecclesiaeque Scriptores animo menteque reputarent Beatissimam Virginem ab angelo Gabriele, sublimissimam Dei Matris dignitatem ei nuntiante, ipsius Dei nomine et iussu gratia plenam fuisse nuncupatam, docuerunt hac singulari solemnique salutatione nunquam alias audita, ostendi Deiparam fuisse omnium divinarum gratiarum sedem ; omnibusque Divini Spiritus charismatibus exornatam ; imo eorumdem charismatum infinitum prope thesaurum abyssumque inexhaustam ; adeo ut nunquam maledicto obnoxia, et una cum Filio perpetuae benedictionis particeps ab Elisabeth Divino acta Spiritu audire meruerit : *Benedicta tu inter mulieres, et benedicius fructus ventris tui.* »

Et iterum : « Pulchra natura, ac labis prorsus omnis nescia, tamquam aurora undequaque rutilans in mundum prodiverit in sua Conceptione Immaculata. Non enim decebat, ut illud vas electionis communibus lacesseretur iniuriis ; quoniam, plurimum a ceteris differens, natura communicavit, non culpa ; immo prorsus decebat, ut, sicut Unigenitus in coelis Patrem habuit, quem Seraphim ter Sanctum extollunt, ita Matrem haberet in terris, quae nitore sanctitatis nunquam caruerit. Atque haec quidem doctrina adeo maiorum mentes animosque occupavit, ut singularis et omnino mirus

penes illos invaluerit loquendi usus, quo Deiparam saepissime compellarunt *immaculatam, omnique ex parte immaculatam ; innocentem et innocentissimam ; illibatam, et undequaque illibatam; sanctam, et ab omni peccati sorde alienissimam ; 'Tam fniram; lotam intemeratam ; ac ipsam prope puritatis d innocentiae formam; pulchritudine pulchriorem; venustate Mustiorem ; sanctiorem sanctitate; solamque Sanctam, puris-ànuimquc anima et corpore; quae supergressa est omnem integritatem- et virginitatem; ac sola tota facta domicilium universarum gratiarum Sanctissimi Spiritus; et quae, solo Dm excepto, extitit cunctis superior, et ipsis Cherubim et Seraphim et omni exercitu angelorum, natura pulchrior, formosior et sanctior,* cui praedicandae coelestes et terrenae linguae minime sufficiunt. »

Omnia haec edixit, docuit et tradidit Angelicus Doctor suo illo stylo brevi, et grata facundia, celsa, clara et alta et firma sententia, cum, postquam intravit in profundum quaestionis et distinxit quae erant distinguenda, et quae erant definienda definivit, concludit rigoroso processu theologico, modo solemni ac magistrali : « *Ergo etiam Beata Virgo non fuit sanctificata, nisi postquam cuncta eius perfecta sunt, sc. et corpus et anima. Unde relinquitur, quod sanctificatio Beatae Virginis fuerit post cius animationem. Et ideo sub Christo qui salvari non indiguit, tamquam universalis Salvator,* MAXIMA FUIT BEATAE VIRGINIS PURITAS 1. »

Per viam ergo 1). Thomae, quae est via sanctorum Augustini, Anselmi, Bernardi, Alberti Magni et Bonaventurae, rationabiliter atque optime declaratur Immaculata Beatissimae Virginis Conceptio definita cx cathedra catholicae fidei dogma in Bulla *Ineffabiles Deus.*

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM

Epilogus ac totius operis conclusio.

Quot et quaenam in dogmatica Immaculatae Conceptionis definitione sint de fide expresse in terminis determinata.

Textus litteralis Bullae *Ineffabilis Deus* sic se habet : « Declaramus, pronunciamus et definimus, doctrinam, quae tenet Beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suae Conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi lesu Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem, esse a Deo revelatam, atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam. »

Haec igitur sunt dogmaticae definitionis verba, ex quorum litterali contextu, ut supra, cap. 14. manet ex professo declaratum, aperte liquet, quod definitum catholicae fidei dogma de Immaculata Beatissimae Virginis Conceptione nihil aliud est nisi : *Ipsamel Beatissima Virgo Maria, quatenus in sua propria persona iam constituta seu in primo instanti suae conceptionis passive et adaequate sumptae, praeservata immunis ab omni originalis culpae labe, intuitu meritorum Christi lesu humani generis Salvatoris.* — Unde huiusmodi praeservatio Beatissimae Virgini concessa singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio :

i° Est *praeservatio personalis ;* id est, haec adeo singularis omnipotentis Dei gratia fuit facta : *a)* non parentibus; *b)* non conceptioni active sumptae sive ex parte parentum ; *c)* non carni seu corpori Virginis ante animationem ; *d)* neque ipsi animae Virginis priusquam animaretur caro eius ; *e)* sed

finiet Beatissimae Virginis *personae,* quae ex substantiali
I corporis et animae rationalis unione constituitur ac resultat
I composita, et cuius actus proprius et primus est *actus existen-*
/ik Nam, ut D. Thomas docet, III. q. 19. a. 1. ad 4. : « *Esse* pertinet ad ipsam constitutionem personae ; et sic, quantum ad hoc, se habet in ratione termini ; et ideo unitas personae requirit unitatem ipsius *esse* completi et personalis ». Et ibidem, q. 35. a. 1. : « *Esse* autem proprie est rei subsistentis ; nam forma quae non subsistit, dicitur esse solum, quia eâ aliquid *est;* persona autem vel hypostasis significatur per modum subsistentis. »

2° Est *praeservatio personae* Beatissimae Virginis, intuitu MERITORUM CHRISTI Ie SU SALVATORIS HUMANI GENERIS. id est, « *intuitu meritorum lesu Christi humani generis Re~demptons* » : ut ad litteram asseritur, verbis Alexandri VII., in ipsa Bulla dogmatica *Ineffabilis Deus.* Unde praeservatio Beatissimae Virginis facta fuit « *ex morte Filii Dei praevisa* » ; ex praevisis meritis passionis et mortis Domini Nostri lesu Christi. Quapropter est praeservatio Beatissimae Virginis, quae non solum *ratione naturae,* verum quoque *personaliter, ratione personae,* indigebat redemptione et salute quae est per Christum.

3° Est *praeservatio Beatissimae Virginis,* « in primo instanti suae Conceptionis ». Sed quia est praeservatio *Personae* Virginis, et Virginis, non tantummodo ratione naturae, sed *personaliter* indigentis redemptione quae est per sanguinem crucis Christi : ideo *Conceptio,* de qua loquitur definitio dogmatica, minime potest esse conceptio ex parte parentum, neque conceptio *carnis* ante animationem, sed *conceptio passiva* et *adaequate sumpta,* tunc cum *persona,* quae generatur, concipitur et simul est concepta. Et similiter, *primum instans* huius Conceptionis est primum instans tem-poris tunc cum persona, quae generatur et concipitur, et simul est generata et concepta, pervenit ad terminum suae propriae constitutionis, qui est actus personalis existentiae. Unde praeservatio haec velificatur post animationem, post constitutionem personae, non quidem posterioritate temporis, sed tantum naturae et ordinis. Prius enim est, secundum

intellectum, animam rationalem a Deo ex nihilo creari quam in corpus infundi ; et prius, animam infundi in corpus quam corpus informando animare ; et prius animam cami uniri quam gratiam sibi a Deo infundi et per gratiam sanctificari, quantumvis omnia haec sint simul tempore. Unde *gratia* non praecedit, nec tempore nec secundum intellectum, *infusionem animae;* infusio autem animae in coipus *tempore* non praecedit infusionem gratiae in animam, sed solummodo natura et ordine. Idcirco Beatissima Virgo fuit sanctificata in primo instanti temporis suae animationis, sed post animationem posterioritate naturae.

4° Est denique praeservatio personae *Virginis ab* omni originalis culpae labe, in primo eodemque temporis momento quo anima Beatissimae Virginis Mariae simul fuit et creata, et in corpus infusa et Spiritus Sancti gratia denata. Unde persona Beatissimae Virginis simul fuit et actu existens, et gratia gratum faciente donata, et tota pulchra, et a macula originalis peccati praeservata. Ideo fuit praeservata immunis saltem ab omnibus ad originale peccatum spectantibus, quae simul cum gratia sanctificante non possunt componi neque eidem subiecto inesse, sicut ratio culpae et ratio maculae et ratio reatus poenae aeternae. Et quoniam fuit gratia plena, et fundamenta eius in montibus sanctis, idcirco recte colligitur et rationabiliter creditur Beatissimam Virginem per suam primam sanctificationem fuisse quoque liberatam ab omnibus aliis, quae, tametsi possint esse simul cum gratia iustificante in eodem subiecto, et esse praeterea *occasio* perfectioris virtutis, attamen quandam veluti imperfectionem personae iam sanetificatae involvunt atque praeferunt. Quapropter in Beata Virgine fomes non fuit : quoniam, ut dicit S. Thomas, III. q. 27. a. 3. ad 2. : « Infirmitas carnis ad fomitem pertinens est quidem in Sanctis viris perfectae virtutis *occasio,* non tamen *causa* sine qua perfectio haberi non possit. Sufficit in Beata Virgine ponere perfectam virtutem ex *abundantia gratiae;* nec oportet in ea ponere *omnem occasionem* perfectionis. »

II

Duo prima capita ex quatuor praedictis quae in dogmatica Immaculatae Conceptionis definitione essentialiter continentur, constanter docuit et firmiter propugnavit D. Thomas.

De hoc praecipue fuit semper sollicitus Angelicus Doctor, nimirum quod ex una parte salvaretur in persona Beatissimae Virginis necessitas redemptionis, non modo tantum ratione *na/urae* seu communis propagationis, verum ratione quoque suae propriae *personae;* atque ex parte alia servaretur in Christo Domino dignitas secundum quam est universalis omnium, etiam suae sanctissimae Matris, Salvator ac Redemptor. Quotiescumque agitur de prima Beatissimae Urginis sanctificatione, D. Thomas de nullo alio videtur satagere nisi de Virginis sanctificatione ante animationem reficienda, sicut reficiebat B. Albertus Magnus, sicut antea reiecerat S. Bernardus, videlicet tamquam erroneum, tamquam haereticum ; eo quod, si Beatissima Virgo sanctificata luisset *quocumque modo* ante animationem, vel in parentibus, vel in carne ante infusionem animae, vel in anima ante unionem ad carnem, iam non indiguisset *personaliter* redemptione quae est per Christum ; ideoque Beatissimae Virginis *persona* non fuisset per sanguinem crucis Christi redempta : et hoc derogaret dignitati Christi qui est Redemptor omnium hominum et qui suam etiam Matrem et redemit in sanguine suo, et sublimiori modo redemit. Haec est namque fundamentalis ratio quare etiam concludit D. Thomas cum sanctis Bernardo ct Magno Alberto : *Virginis Conceptionem non esse celebrandam.* Loquuntur enim de conceptione ex parte parentum et de conceptione *carnis* ante infusionem animae ; et celebrare huiusmodi conceptionem tamquam *sanctam,* idem est ac celebrare Beatissimae Virginis sanctificationem ante eiusdem animationem ; et perinde, per hanc viam procedendo, idem est in ultima resolutione ac celebrare Virginis Beatissimae *sanctitatem,* quae non derivatur ex plenitudine

Christi Redemptoris neque descendit de cruce per sanguinem eius. Quapropter D. Thomas, *Quodl.* 6. a. 7. illos theologos, qui contrariam sententiam tenebant, his verbis ita graviter admonebat : « *Et ideo non tantum debemus dari Matri, quod subtrahat aliquid honori Filii, qui est Salvator omnium hominum, ut dicit Apostolus I. ad Timotheum, cap.*<\·

Optime ad rem observat loannes a Sancto Thoma « Itaque (ait) invenit D. Thomas iam suo tempore controvert! hanc difficultatem ; et multos inclinare in *immaculatum conceptum* Virginis ; ecclesiasque non paucas celebrare hoc festum ex tolerantia Romanae Ecclesiae ; ipsamque tamen Ecclesiam Romanam nondum illud celebrare. Unde permaxime sollicitus fuit de *tino puncto,* quod in hac materia et considerabilius est et ad doctrinam christianam praecipue spectans, videlicet, ne *gratia sanctificationis,* quae tribuebatur *Conceptioni* Virginis, ita sinistre intelligeretur ab aliquibus, quod non *ipsi personae* Virginis diceretur fieri ; sed quaecumque haec gratia seu beneficium hoc sit, *ipsi personae* Virginis debet fieri; non *parentibus,* sanando vitium naturae; non *conceptioni activae* seu *praeparativae ;* non *embryoni:* postremo, non *animae* nec *carni,* ante animationem et constitutionem *personae.* Hoc voluit maxime observari D. Thomas, et in hoc *totum suum studium* posuit ; quia videbat, si in hoc sinistra aliqua intelligentia inolesceret, et semel admitteretur quod non *ipsi personae* Virginis fieret hoc beneficium, *destrui grande principium in fide :* quod daretur *aliqua persona* inter homines, quae in se *personaliter* seu ratione suae *personae* non indigeret redemptione Christi. Ad hoc autem necesse erat ponere *debitum aliquod* seu periculum in *ipsa persona:* a quo, si non teneretur, non liberaretur[1]. »

Quamobrem, ut servetur in persona Virginis Beatissimae necessitas personalis redemptionis atque in Christo dignitas Redemptoris omnium, etiam suae Matris, oportet ponere, quod Beatissima Virgo Mater Christi fuit sanctificata post animationem, post constitutionem *personae,* posterioritate saltem naturae ct ordinis. 1

1 Ioannes a S. T Homa, *Cursus Theol.,* t. I. Approbatio doctrinae D Thomae, disp. 2. a. 2. «ajS

III

De tertio autem capite definitionis dogmaticae, videlicet de primo instanti temporis animationis Beatissimae Virginis, D. Thomas : 1° nunquam posuit quaestionem ; 2° nunquam negavit ; 3° semel atque iterum videtur expresse asseruisse ; 4° principia et argumenta ab ipso stabilita et adducta in hac materia concludunt legitime pro sanctificatione Beatissimae Virginis in primo instanti temporis suae animationis.

1° *Nunquam posuit quaestionem.* Quod evidenter patet ex locis, in quibus modo magistrali ponit quaestionem de prima sanctificatione Beatissimae Virginis, *d)* Sic, ***III.*** *Sent.* dist. 3. q. i. ubi quaeritur : *Utrum Beata Virgo juerit ante sanctificata quam conceptio cius finiretur,* quod quidem per duas quaestiunculas declarat ac definit, nempe : *Utrum B. Virgo sanctificata juerit antequam conceptio carnis eius finiretur. Utrum juerit sanctificata ante carnis animationem.* Et ad utrumque respondet concludendo : *Ergo non potuit, antequam conceptio carnis cius finiretur, sanctificari. Ergo ante animationem Beata Virgo sanctificata non fuit.* Et ratio, quae semper affertur, una est, eademque fundamentalis, nimirum : « Christus enim hoc singulariter in humano genere habet, ut redemptione non egeat, quia caput nostrum est ; sed omnibus convenit redimi per ipsum. »

ô) Similiter, in *Summa Theologica,* III. q. 27. a. 2. : *Utrum Beata Virgo juerit sanctificata ante animationem,* respondet, quod huiusmodi sanctificatio, etsi absolute possibilis, intelligi tamen non potest, salva necessitate *personali* redemptionis in Beatissima Virgine atque simul dignitate universalis Redemptoris in Christo. Unde ait : « Et si quocumque modo ante animationem Beata Virgo sanctificata fuisset, nunquam (id est, *nullo modo,* nec in actu, nec in debito personali habendi) incurreret maculam originalis culpae ; et ita non indiguisset redemptione et salute quae est per Christum. »

c) Tandem, in opusc. i. *Compend. Theologiae,* cap. 232., cuius titulus : *De sanctificatione Maths Christi,* iterum reiicit primam sanctificationem Beatissimae Virginis ante animationem : « *Non* autem (inquit) sanctificatio praecessit infusionem animae. » Quare? « *Sic enim redemptione wn indiguisset* ». Unde concludit : « Post infusionem animae credendum est eam sanctificatam fuisse. » *Et ratio* altera ab Angelico Doctore affertur dicente : « Similiter etiam gratia sanctificationis per *prius* in anima radicatur, nec ad corpus potest pervenire nisi per animam. » Ergone Beatissima Virgo sanctificata fuit in ipso instanti infusionis animae in corpus ?

2° *D. Thomas nunquam negavit primum instans temporii animationis.* De *primo instanti temporis* semper asseruit quod *ignorabatur.* « *Quo* tempore sanctificata fuerit, ignoratur.1. « Quae (sanctificatio B. Virginis) quando determinate fuerit, incertum est.2» « Cuius (sanctificationis) tempus ignoratur3. Postea adiungit : « Creditur enim, quod *cito* post conceptionem et animae infusionem fuerit sanctificata. » Ubi attente notandum, quod huiusmodi Conceptio, de qua loquitur, est illa quae antecedit infusionem. Etenim ait : « Post conceptionem et animae infusionem. » Notandum quoque illud adverbium *cito* post conceptionem et animae infusionem : nam haec erat communis theologorum sententia ; ac tametsi ignorabatur tempus quo Beatissima Virgo sanctificata fuerit, tamen omnes pronuntiant *cito* post infusionem animae, ex quo facile est pervenire ad *primum instans* infusionis ; non quidem ad ipsum instans infusionis, ita quod prius prioritate naturae intelfigeretur animam per gratiam sibi infusam sanctificari quam ipsam in corpus infundi et carni infectae uniri ; in quo sensu reficitur a S. Bonaventura et a S. Thoma, quoniam ita anima esset iam sanctificata antequam animaretur caro ; sed ad *primum instans temporis* infusionis et animationis, ita quod anima

1 III. q. *27.* a. 2. ad 3.
a *III. Sent.* dist. 3. q. r. a j
3 *Quod.* 6. a. 7.

intelligatur prius natura et ordine uniri carni quam per gratiam sanctificari ; ac perinde quod sanctificatio fuit po-t infusionem animae posterioritate naturae tantum ; ideoque Beatissimam Virginem sanctificatam fuisse in eodem memento temporis animationis. Quo sensu :

30 *D. Thomas videtur semel atque iterum asseruisse.* Asseruit certe in omnibus illis suorum operum locis, supra iam ad litteram in medium depromptis1 cum Angelicu- Doctor, loquens de puritate Virginis, ait expressis verbis : *d)* quod « Beatissima Virgo pervenit ad *summum puritatis»', b)* quod « talis fuit puritas Beatae Virginis, quae a *peccato originali et actuali immunis* fuit » ; c) quod ⬇ Beat ⁞ Virgo *nullam* habuit *obscuritatem* peccati » ; *d)* quod ⟨ in Beatam Virginem *nihil inquinatum* incurrit » ; *e)* quod « in ea *nullum peccatum* fuit »; *f)* quod « in Christo et in Virgine Maria *nulla omnino macula* fuit. »

4° *Principia et argumenta a D. Thoma stabilita ct adducta in hac materia concludunt legitime pro sanctificatione Beatissimae Virginis in primo instanti temporis suae animationis.* Argumentum quidem primum eruitur ex ipsomet a. 2. q. 27. : *Utrum B. Virgo sanctificata fuerit ante animationem,* ubi D. Thomas, postquam reiecit, veluti incompossibilem cum redemptione Christi, *quemcumque modum* sanctificationis ante animationem, concludit : « *Unde relinquitur, quod sanctificatio Beatae Virginis fuerit post eius animationem.* Et deinde in responsione ad 2. addit : « *Et ideo sub Christo, qui salvari IIOII indiguit tamquam universalis Salvator, maxima fuit Beatae Virginis puritas.* » Non ergo fuisset puritas Beatae Virginis *maxima* sub Christo, si sanctificatio Beatissimae Virginifuerit *post* eius animationem posterioritate temporis ; etenim *maior* adhuc sub Christo esset, si sanctificatio Beatissimae Virginis post eius animationem posterioritate tantum naturae fuisset._ Argumentum alterum eruitur etiam ex eodem a. *2* ad 2., cum I). Thomas prosequitur : « *Nam Christus* nullo MODO *contraxit originale peccatum, sed in ipsa sui Conceptione fuit sanctus. Sed Beata Virgo contraxit originale peccatum.* «

1 Vide cap. 7· § nI·

Ergo Beatissima Virgo, cuius puritas sub Christo fuit maxima, contraxit quidem originale peccatum, sed *non omni modo.* Quo modo ? Audias Caietanum, *talem modum* iuxta sensum D. Thomae declarantem I.-II. q. *81.* a. 3. : « Si enim peccatum originale, vel in *actu vel in necessitate habendi illud,* quis non incurreret, non egeret redemptione : quod haereticum esset dicere. Sed si omnes obnoxii sunt peccato originali, *sufficit* ad indigentiam redemptionis ; neque enim solum redemptione eget *actualiter captivus, sed* etiam *obnoxius captivitati.* Et haec bene notabis tu, thomista, ne nimis zelo, et non secundum scientiam, accensus, erronea dicas quae erronea non sunt, cum de Beatissimae Virginis Conceptione disputas aut praedicas. » Unde, cum D. Thomas tradit, quod Beatissima Virgo sanctificata fuerit post animationem, *sufficit* intelligere *posterioritatem solius naturae;* et cum dicit, quod B. Virgo contraxit peccatum originale, sufficit secundum mentem eiusdem D. Thomae intelligere in *necessitate habendi illud.* En *modus,* quo Beatissima Virgo contraxit originale peccatum; et hoc sufficit ad indigentiam redemptionis ; et iuxta hunc sensum militat ratio D. Thomae in a. 2. q. 27. in III. Parte. — Argumentum tertium eruitur quoque ex eodem loco, cum Angelicus Doctor, postquam dixit, quod B. Virgo contraxit quidem peccatum, nempe *aliquo modo;* videlicet, in *necessitate habendi illud,* adiunxit : « *Sed ab eo fuit mundata antequam ex utero nasceretur.* » Quae quidem D. Thomae verba declarantur ita iuxta sensum atque intentionem D. Thomae a Cardinali Caietano, in suo opusculo *De Conceptione B. Virginis,* cap. 3. : « Et similiter dicitur a peccato originali *mundatus* non solum qui a *contracta actuali macula* mundatus est, sed qui *a macula* quidem in *debito* et *initio* in propria persona *fundato,* et reliquis tot *quasi partibus* peccati originalis actualiter contractis, mundatus est ; et sic de aliis. Nec putet quisquam de mea haec phantasia me proferre, sed videat D. Thomam, I.-II. q. 81. a. 3 (ubi inter alia tractat et illud ad Rom. 5. : *Per unum hominem,* etc.), sustinentem, quod per *mortem* sufficit intelligere *debitum* seu *reatum,* in propria persona, *mortis,* quamvis nunquam *actualiter* moreretur. Ex quo habetur, quod cum Apostolus duo simul dicat (sc. in omnes pervenit *peccatum* et *mors),* sicut secundum, (sc. *mors,* salvatur exponendo mortem vel in *actu* vel in *idnto* in propria persona : ita et primum, sc. *peccatum,* salvatur exponendo peccatum vel in *actu* vel in *debito* in propria persona. » — Praeterea : Argumenta illa, quibus postea Angelicus Doctor ostendit in a. 4. eiusdem q. 27. Beatissimam Virginem, per huiusmodi primam sanctificationem, consecutam fuisse ut nunquam peccaret ; ex quibus D. Thomas concludit his verbis : « Ideo simpliciter est fatendum, quod Beata Virgo nullum actuale peccatum commisit, nec mortale nec veniale ; ut sic in ea impleretur quod dicitur Cant. 4, 7 : *Tota pulchra es, amica mea, et. macula non est in te* » ; iisdem (inquam) argumentis (servata proportione et prae oculis habita inter personale peccatum et peccatum naturae differentia) ostendi etiam potest Beatissimam Virginem fuisse quidem sanctificatam post animationem, non *temporis* posterioritate, sed posterioritate *naturae* tantummodo ; ideoque eam fuisse ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem, ob praevisa Christi Redemptoris merita. Eo vel maxime, si considerentur atque inspiciantur principia seu axiomata ab Angelico Doctore in hac materia de puritate ac sanctitate Beatissimae Virginis stabilita (praesupposita iam necessitate personali redemptionis in Virgine Matre), videlicet : *a) Plus gratiae collatum est Beatae Virgini quam alicui sanctorum. — b) Credendum est ei collatum esse quidquid conferri potuit.* — c) *Ipsa super omnes alios sanctos a peccato ffiirior fuit, voluti Divinae Sapientiae Mater, in quam nihil inquinatum incurrit. — d) Beata Virgo excessit angelos in iis tribus : et primo, in plenitudine gratiae ; secundo, in familiaritate divina; et tertio, quantum ad puritatem. — c) Sub Christo, qui salvari non indiguit, maxima fuit Beatae Virginis puritas. — f) Sub puritate quae soli homini Deo debebatur, maximam Virgo Mater cius habere debuit. — g) Beatissima Virgo ea puritate nitere debuit, qua maior sub Deo nequit intelligi.*

IV

De quarto tandem capite dogmaticae definitionis, nempe de praeservatione personali Beatissimae Virginis ab omni originalis culpae labe, D. Thomas satis clare et plus adhuc quam sufficienter locutus est.

luxta D. Thomae doctrinam ***III.*** *Sent. dist.* 3. q. 1. a. 2. *et Summa Theol.* ***III.*** in q. 27. *de Beatae Virginis Mariai sanctificatione,* et in aliis locis iam supra citatis ac declaratis, Beatissima Virgo Maria : i° non fuit sanctificata ante animationem, quia sic non indigeret *'personaliter* redemptione et salute quae est per Christum. — 20 Fuit sanctificata postquam cuncta eius perfecta sunt, sc. corpus et anima; ideoque post constitutionem *personae;* ideoque post animationem, vel tempore vel natura ; imo, naturae tantummodo posterioritate, siquidem Beatissima Virgo, sicut *aurora consurgens,* « antequam ex utero nasceretur, in *suo ortu* (quae est nativitas in utero) a peccato originali fuit immunis. » — 30 « Beata Virgo super omnes alios sanctos a peccato purior fuit, veluti Divinae Sapientiae Mater electa, in quam *nihil inquinatum* incurrit, ut dicitur, Sap. cap. 7. — 4° « Dei Sapientia non solum animam Virginis intravit, sicut et de ceteris dicitur, Sap. 7, 27. : ***In*** *animas sanctorum se transfert;* sed et corpus eius inhabitavit, carnem de ea assumens. Ergo in ea nullum peccatum fuit : quod colligitur ex eo quod dicitur, Cantic. 4, 7. : *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.* » — 50 « Restat ergo, ut dicamus quod vel totaliter fomes fuerit ab ea sublatus per *primam sanctificationem;* vel, si remanserit, quod fuerit ligatus; postmodum vero in ipsa conceptione carnis Christi, in qua primo debuit refulgere peccati immunitas, credendum est quod ex prole redundaverit in Matrem, totaliter fomite subtracto. » — 6° « Unde etiam in B. Virgine, ut Filio conformaretur, de cuius plenitudine gratiam accipiebat, primo quidem luit ligatus fomes, et postea sublatus ; non

autem liberata fuit a morte et aliis huiusmodi poenalitatibus. » — 7° « Sufficit autem in Beata Virgine ponere perfectam virtutem ex *abundantia gratiae;* nec oportet in ea ponere *occasionem* omnis perfectionis. » — 8° « Per huiusmodi primam sanctificationem Beatissima Virgo fuit consecuta ut nunquam peccaret ; ideo simpliciter fatendum est, quod Beata Virgo nullum actuale peccatum commisit, nec mortale nec veniale ; ut sic in ea impleatur quod dictum est Cantic. 4, 7 : *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.* » — 90 « Per huiusmodi primam sanctificationem Beatissima Virgo obtinuit gratiae plenitudinem ; primam nimirum, perfectionem gratiae per quam reddebatur idonea ad hoc quod esset Mater Christi ; et haec fuit perfectio sanctificationis. Secunda autem perfectio gratiae fuit in Beata Virgine ex presentia lilii Dei in eius utero incarnati. Tertia autem est perfectio finis, quam habet in gloria. » Quid amplius desideratur ? Adhuc D. Thomas, tamquam complementum et coronam totius doctrinae circa puritatem et sanctitatem Beatissimae Virginis, docet ipsam Uberatam ac praeservatam fuisse « ab illa maledictione quae est communis viris et muheribus, sc. *ut in pulverem revertentur.* Et ab hac (inquit Angehcus Doctor) immunis fuit Beata Virgo ; quia cum corpore assumpta est in coelum ; credimus enim, quod post mortem resuscitata fuerit et portata in coelum. Ps. 131, 8 : *Surge, Domine, in requiem tuam; tu ct arca sanctificationis tuae.* »

V

TOTIUS OPERIS CONCLUSIO

Doctrina ergo D. Thomae circa primam Beatissimae Virginis sanctificationem constituit verum preambulum theologicum ad Bullam dogmaticam « Ineffabilis Deus ».

Ex omnibus hactenus dictis ac dilucidatis arbitror hoc esse viris eruditis atque in sacra theologia exercitatis satis superque manifestum. Quae enim de peccato originali, deque

necessitate redemptionis per Christum, ac de maxima sub Christo Beatissimae eiusdem Matris puritate ab Angelico Doctore stilo brevi et celsa, clara et firma sententia traduntur, dogma de Immaculata Conceptione in Bulla *Ineffabilis* solemniter definitum revera illuminant, clare explicant, manifeste ostendunt, solide corroborant ; atque per concordiam cum doctrina PP. et Doctorum Bonaventurae, Alberti, Bernardi, Anselmi, facile est ascendere mediante S. Augustino usque ad antiquos Patres ; ac perinde comprobare id ipsum quod in dogmatica Constitutione asseritur ac definitur de *« Immaculata sanctissimae Dei Genitricis Virginis Mariae Conceptione definienda, quam divina eloquia, veneranda traditio, perpetuus Ecclesiae sensus, singularis catholicorum Antistitum, ac fidelium conspiratio, et insignia Praedecessorum Nostrorum acta, constitutiones mirifice illustrant atque declarant. »*

Tempore autem D. Thomae nulla prorsus adhuc exstabant Romanorum Pontificum acta, nulla documenta, nec ullae Constitutiones quae hanc obscurissimam quaestionem illustrarent aut declararent ; sed e contra, Romana Ecclesia, omnium ecclesiarum Caput ac Magistra, strictum tenebat silentium neque Conceptionis festum celebrabat. Quod quidem factum historicum ita explicat D. Thomas, *Quodlip.* 6. a. 7., eiusdemque his verbis reddit rationem : « Quamvis autem Beata Virgo in originali concepta fuerit, creditur tamen in utero fuisse sanctificata antequam nata. Et ideo circa celebrationem Conceptionis eius diversa consuetudo Ecclesiarum inolevit. Nam Romana Ecclesia et plurimae aliae, considerantes *Conceptionem* Virginis in originali peccato fuisse, festum Conceptionis non celebrant. Aliquae vero considerantes *sanctificationem* eius in utero, cuius *tempus ignoratur,* celebrant *Conceptionem;* creditur enim quod *cito post conceptionem et infusionem animae* fuerit sanctificata. Unde illa celebritas non est referenda ad Conceptionem *ratione conceptionis*t sed potius *ratione sanctificationis.* Sic ergo non est ideo celebranda Conceptio praedicta, quia fuerit sine peccato originali concepta. Non enim per hoc tollitur, quin fuerit *specialius ceteris praeparata,* eo quod in ipsa sancti-

ficatione copiosius ceteris munus gratiae accepit ; non
i solum ut purgaretur a peccato originali, sed ut tota eius vita redderetur immunis ab omni peccato, tam mortali quam veniali, ut dicit Ansclmus. » Atque III. q. 27. a. 2. ad 3. :
‹ Licet Romana Ecclesia *Conceptionem* non celebret, *tolerat*
J tamen consuetudinem aliquarum ecclesiarum illud festum celebrantium. Unde talis celebritas non est *totaliter* reprobanda... Nec tamen per hoc quod festum Conceptionis celebratur, datur intelligi quod in sua *conceptione* fuerit *sancta;*
‘ sed quia, *quo tempore sanctificata Inerit, ignoratur,* celebratur
I festum *sanctificationis* eius potius quam *Conceptionis* in *dic*
) *tonceptionis ipsius.* »

Ex quibus omnibus patet : i° *Conceptionem,* de qua D. Thomas loquitur, esse conceptionem quae praecedit infusionem animae. 2° *Conceptionem,* vel in die conceptionis Virginis ex parte parentum, vel in carne Virginis ipsius ante animationem. 30 Huiusmodi conceptionem non esse celebrandam *ratione Conceptionis,* sed *ratione sanctificationis.* 4° Non esse *totaliter reprobandam,* quia Romana Ecclesia tolerabat ; et quamvis ignoraretur quo tempore Beatissima Virgo sanctificata fuerit, credebatur tamen quod fuerit sanctificata cito post conceptionem et infusionem animae. 50 Beatissimam ergo Virginem sanctificatam fuisse post animationem, iuxta mentem D. Thomae et Bonaventurae, posterioritate vel temporis vel naturae. 6° Si enim *cito* post conceptionem et infusionem animae Beatissima Virgo sanctificata fuit, atque « in ipsa sua sanctificatione *copiosius* ceteris munus gratiae accepit » et « ampliorem sanctificationis gratiam obtinuit quam loanncs Baptista et leremias, qui sunt electi ut speciales praefiguratores sanctificationis Christi » ; ergo Beatissima Virgo, cuius sanctificationis gratia est amplior et copiosior et maxima sub sanctificatione Christi, fuit sanctificata post conceptionem et infusionem animae, non posterioritate temporis ; sed *cito, statim, mox;* id est, « *statim cum habuisset animam rationalem*[1] » ; post animationem

j In hoc sensu eadcmquc significatione sumit D. Thomas particulam *statim,* I. q. mo. a. 1. ad 2 , cum loquitur de iustitia originali

posterioritate naturae tantum ; ideoque in primo momento temporis suae animationis ; idcirco in primo instanti suae Conceptionis passive et adaequate sumptae, quae supponit atque importat personam Beatissimae Virginis iam perfecte et ultimo constitutam, id est, actu existentem. Nam iuxta D. Thomae principia supra allata : *Sub Christo, qui salvari non indiguit tamquam universalis omnium hominum Salvator, maxima est Beatissimae Virginis puritas. Credendum ei collatum esse quidquid conferri potuit. In Christo et in Virgine Maria nulla omnino macula fuit.*

Hanc ergo *Immaculatam* Beatissimae Virginis *Conceptionem* etiam divina eloquia declarant ; at non tamen expressis verbis, non in claritate litterae, sed illative, consequenter et quasi per deductionem ex aliis quae in Sacra Scriptura manifeste continentur atque aperte dicuntur. Unde D.Thomas, *Sum. Theol. III. q.* 27. a. 1. : « Respondeo : dicendum quod de sanctificatione Beatae Virginis, quod sc. *fuerit sanctificata in utero,* nihil in Scriptura Canonica traditur (videlicet *expresse),* quae etiam nec de eius nativitate mentionem facit. » — Et *III. Sent.* dist. 3. q. 1. a. 1. q. 3· ad 3. : «Dicendum, quod quamvis sanctificatio Beatae Virginis in utero *expresse* in Scriptura Veteris et Novi Testamenti non legatur, tamen pro certo haberi potest ex his quae ibi leguntur. Si enim loannes et leremias, qui Christum praenuntiaverunt, sanctificari sunt, *multo magis Virgo* quae Christum genuit. Si ergo *multo magis :* ideo Beatissima *Virgo* debuit in utero sanctificari, non modo antequam *ex utero* nasceretur, sicut loannes Baptista et leremias, sed in *suo ortu* quae esi nativitas in utero. Quod Angelicus Doctor ibid, sic colligit : « Beata Virgo ante nativitatem ex utero sanctificata fuit ; quod colligi potest ex hoc, quod ipsa super omnes alios sanctos a peccato purior fuit, veluti Divinae Sapientiae Mater electa, *in quam nihil coinquinatum incurrit,* ut dicitur Sapient. 7.

transmittenda filiis Adami, si Adamus non peccasset. — « *Fuisset collata homini* statim cum *habuisset animam rationalem.* » — Ergo similiter, *statim* cum h buisset animam rationalem, B. Virgo sanctificata ; id est, in primo instanti temporis animationis.

Unde cum haec puritas in quibusdam fuisse inveniatur, ut ante nativitatem ex utero a peccato mundarentur, sicut de loanne Baptista, de quo legitur Lucae i, 15 : *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suae;* et de leremia, de quo dicitur, 1er. 1, 5 : *Priusquam exires de ventre, sanctificavi te ;* non est dubitandum hoc multo excellentius Matri Dei coDatum fuisse. » — Si ergo hoc multo excellentius Matri Dei collatum fuit ; si Beatissima Virgo a peccato purior fuit super omnes alios sanctos ; si denique in Beatissimam Virginem, veluti Divinae Sapientiae Matrem, *nihil coinquinatum incurrit: ergo* Beatissima Virgo Maria, Christi Mater, sanctificata fuit post animationem, non tempore, sed natura tantum ; idcirco Spiritu Sancto repleta est in primo momento temporis suae animationis ; ideoque in primo instanti suae Conceptionis passive et adequate sumptae, sive in primo instanti suae propriae personahs existentiae, utpote repleta gratia Dei sanctificante et gratum faciente, *tota pulchra fuit, ct macula originalis culpae non fuit in ea.*

Hanc iterum *Immaculatam* Beatissimae Virginis *Conceptionem* declarant quoque veneranda traditio et perpetuus Ecclesiae sensus, quatenus per doctrinam Patrum et antiquorum Doctorum magis magisque evolvitur ipsa doctrina Sacrorum Eloquiorum, quousque Romanorum Pontificum acta et constitutiones iam praecise in terminis inceperunt illam explicare, et Conceptionis festum approbare, et rectum ac sanum sensum, quo tale festum a Romana Ecclesia celebrabatur et ab omnibus deinde ecclesiis celebrari debebat, expresse exacteque definire ; atque per hanc viam doctrinae et pietatis sub magisterio Romanae Ecclesiae perventum est usque ad solemnem cx cathedra Immaculatae Beatissimae Virginis Conceptionis dogmaticam definitionem. « Equidem Patres Ecclesiaeque Scriptores coelestibus edocti eloquiis nihil antiquius habuere, quam in libris ad explicandas Scripturas, vindicanda dogmata crudiendosque fideles elucubratis summam Virginis sanctitatem, dignitatem, atque ab omni peccati labe integritatem, eiusque praeclaram de deterrimo humani generis hoste victoriam multis mirisque modis certarim praedicare atque efferre... Hunc eximium

singularemque Virginis triumphum, excellentissimamque innocentiam, puritatem, sanctitatem, eiusque ab omni peccati labe integritatem, atque ineffabilem coelestium omnium gratiarum, virtutum ac privilegiorum copiam et magnitudinem *iidem Patres viderunt* tum in *arca illa Noë,* quae divinitus constituta a communi totius mundi naufragio plane salva et incolumis evasit ; tum in *scala illa,* quam de terra ad coelum usque pertingere vidit Iacob, cuius gradibus *Angeli Dei* ascendebant et descendebant, cuiusque vertici ipse innitebatur Dominus ; tum in *rubo illo,* quem in loco sancto Moises undique ardere ac inter crepitantes ignis flammas non iam comburi aut iacturam vel minimam pati, sed pulchre virescere ac florescere conspexit ; tum in *illa inexpugnabili turri* a facie inimici, ex qua mille *clypei* pendent omnisque armatura fortium ; tum in *horto illo concluso,* qui nescit violari neque corrumpi ullis insidiarum fraudibus; tum in corusca *illa Dei civitate,* cuius fundamenta in montibus sanctis ; tum in augustissimo illo *Dei templo,* quod divinis refulgens splendoribus plenum est gloria Domini; tum in aliis eiusdem generis omnino plurimis, quibus excelsam Deiparae dignitatem, eiusque illibatam innocentiam, et nulli unquam naevo obnoxiam sanctitatem insigniter praenuntiatam fuisse *Patres tradiderunt.* Ad hanc eandem divinorum munerum veluti summam originalemque Virginis, de qua natus est Iesus, integritatem describendam iidem Prophetarum adhibentes eloquia non aliter ipsam augustam Virginem concelebrarunt, ac uti *columbam mundam, et sanctam Icrusalem,* et *excelsum Dei thronum, et arcam sanctificationis* et *domum* quam sibi Aeterna aedificavit Sapientia, et *Reginam illam,* quae, deliciis affluens et innixa super Dilectum suum, ex ore Altissimi prodivit *omnino perfecta ; speciosa* ac *penitus cara Deo, et nullo unquam labis naevo maculata.* »

Utique : Patres *viderunt* Beatissimae Virginis excellentissimam innocentiam, summam puritatem, maximam supra omnes angelorum choros sanctitatem ; ac per hanc viam *viderunt* quoque eiusdem Beatissimae Virginis *« ab omni peccati labe integritatem »* ; quemadmodum et videbat D. Thomas, cum I.-II. q. 81. a. 5. ad 3. ita eloquebatur : « Oportebat, ut Mater Dei maxima puritate niteret ; non enim est aliquid digne receptaculum Dei, nisi sit mundum. » Et III. n 27. a.4. : «Beata autem Virgo fuit electa divinitus, ut esset Mater Dei. Non autem fuisset idonea Mater Dei, *si peccasset diquando...* » Ac proinde si originale peccatum, prout habet *rationem culpae, habuisset aliquando.*

Patres *viderunt* Immaculatam Virginis Conceptionem in plurimis Veteris Testamenti figuris praenuntiatam, quatenus eiusdem altissimam sanctitatem, in qua Immaculata Conceptio virtualiter continetur, insigniter praenuntiatam iisdem figuris fuisse tradiderunt ; atque ita « de Immaculata Deiparae Conceptione doctrinam iudicio Patrum divinis Litteris consignatam » vere esse dicitur ; quemadmodum D. Thomas, III. q. 27. a. 3. ex verbis Canticorum 4, 7 : *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te,* sic arguebat : « Fomes autem ad maculam pertinet, saltem carnis. Ergo in Beata hrgine fomes non fuit. » Si autem illud quod ad maculam, saltem camis, pertinet, in Beatissima Virgine non fuit : a fortiori esse non debuit illud quod directe pertinet ad maculam animae.

Patres *viderunt* Immaculatam Virginis Conceptionem, et doctrinam de Immaculata Conceptione in divinis Litteris consignatam esse indicarunt, quemadmodum indicabat et ridebat D. Thomas, dum ex illis Evangelii verbis : *Ave, gratia plena, Dominus tecum,* ad hanc in terminis expressam perveniebat conclusionem : « Unde Beata Virgo excessit angelos in iis tribus : et primo, in plenitudine gratiae ; secundo, excellit in familiaritate divina ; tertio, excedit angelos quantum ad *puritatem.* »

Patres *viderunt* Immaculatam Virginis Conceptionem ; sed a longe, in figuris praenuntiatam, in divinis Litteris implicite consignatam, in summa sanctitate Virginis virtualiter expressam, in plenitudine gratiae eius eiusdemque altissima dignitate veluti eminenter contentam ; Patres, inquam, viderunt, et quemadmodum videbant, docuerunt ; sed in profundum quaestionis non intraverunt ; quoniam dogmata catholicae fidei de peccato originali, dc omnium redemptione per Christum, deque Immaculata ipsius Virginis

Conceptione, ad invicem connexa, ad invicem relata, comparative ac relate non tractaverunt, unumque alteri conferre atque in concordia ponere non curaverunt nec curandum videntur ipsi cogitasse. Primus inter Patres ct Doctors antiquos, qui de hoc cogitavit, videtur fuisse S. Augustinus, qui dogma de peccato originali contra Pelagianos, illud negantes, coactus fuit defendere ac propugnare, atque inter hocce dogma propugnandum relate ad Virginem gravissima illa verba valde notanda edixit et pronuntiavit : « *Nullam prorsus, cum de peccatis agitur* (et agebatur etiam de peccato originali) *habendam esse quaestionem de Sancta Virgine Maria, cui plus gratiae collatum fuit ad vincendum omni ex parte peccatum.* » Sed neque ipsemet S. Augustinus in profundum quaestionis adhuc intravit ; aperuit tamen portam indicavitque viam rectam per quam oportebat quaestionem adeo spinosam deduci. Per hanc tamen viam non ambulabant illi qui Conceptionis festum celebrabant, Conceptionis, inquam, quae animae infusionem antecedit, et docebant perinde Beatissimam Virginem fuisse sanctificatam ante animationem ; contra quos levavit vocem suam S. Bernardus in *Epistola ad Canonicos Lugdunenses ;* inde Bernardus et Magistri Parisienses, teste B. Alberto Magno, damnaverunt dicere : *Beatam Virginem fuisse sanctificatam ante animationem;* et damnaverunt tamquam errorem haereticum. — Post sanctos doctores Bernardum et Albertum, ultra progredientes per viam Augustini, Anselmi, Bernardi, et Alberti, duo illi sancti Doctores Bonaventura et Thomas Aquinas pervenerunt ad conclusionem firmiter tenendam, videlicet : *Beatissimam Virginem sanctificatam fuisse post animationem, vel tempore vel natura.* Nam si quocumque modo ante animationem, vel in parentibus, vel in carne, vel in ipsa anima, prius prioritate naturae quam carni esset unita, Beatissima Virgo sanctificata fuisset, non indiguisset redemptione et salute quae est per Christum : quod est haereticum. — Post sanctos Doctores Bonaventuram et Thomam, quidam, perseverantes *in via ante animationem,* ponebant Virginem sanctificatam fuisse saltem prius natura, quam anima uniretur carni infectae, ex qua aliter ipsa

anima inficeretur ; quidam vero ponebant Virginem sanctificatam fuisse post animationem post *unum* saltem *momentum temporis,* alioquin non indigeret redemptione ; utrique erraverunt ; at neque S. Bonaventura neque S. Thomas dixerunt unquam sanctificationem posterioritate temporis esse necessariam ad indigentiam redemptionis ; sed dixerunt : vel *tempore* vel *natura;* ad indigentiam enim redemptionis sufficit debitum personale incurrendi originale peccatum. Inum seu *alterum* disiunctivae *extremum* definitive determinare ad Ecclesiae Romanae Auctoritatem pertinebat ; quoniam ignorabatur, quo tempore determinate B. Virgo sanctificata fuerit ; et, ut D. Thomas docet, III. q. i. a. 3. : « Ea enim quae ex sola Dei voluntate proveniunt supra omne debitum creaturae, nobis innotescere non possunt nisi quatenus in Sacra Scriptura traduntur, per quam divina voluntas nobis innotescit. » In Sacra vero Scriptura traditur expresse in terminis, quod Beatissima Virgo est *plena gratia* et *benedicta in mulieribus,* et quod Beatissima Virgo est Mater lesu Christi, et quod lesus Christus est *Deus benedictus* iw *saecula.* « Unde sequitur (ait D. Thomas, III. q. 35. a. 4.) ex necessitate ex verbis Scripturae, quod sit Mater Dei. » Sed ante omnem definitionem Ecclesiae, ex verbis Scripturae non videtur sequi ex necessitate, quod Beatissima Virgo fuerit sanctificata in ipso primo instanti animationis ; ideoque, antequam Ecclesia loqueretui determinando, ignorabatur tempus quo sanctificata fuerit. Verumtamen, ex verbis Scripturae, ex eo quod est gratia plena, ex eo quod est Mater Dei, antiqui Patres, et Doctores qui post Patres sequuntur, rationabiliter credebant ac per viam rectam concludebant : *a)* Beatissimam Virginem ea puritate nitere oportebat, qua maior sub Deo nequit intelligi ; *b)* sub Christo, qui salvari non indiguit, Beatissimae Virginis puritatem esse maximam ; *c)* Beatissimam Virginem sanctificatam fuisse post animationem, vel tempore vel natura ; *d)* ad indigentiam redemptionis sufficere sanctificationem post animationem posterioritate naturae tantum ; *e)* B. Virginem proinde sanctificatam fuisse in primo momento temporis animationis, ideoque a macula originalis culpae praeservatam.

Hucusque per viam SS. Augustini, Anselmi, Bernardi et Alberti pervenerunt S. Bonaventura et D. Thomas, quorum doctrina constituit verum ac magnificum praeambulum theologicum ad Bullam dogmaticam « Ineffabilis Deus». — Quod constat ac evidenter eruitur.

1° *Ex vero sensu quo D. Thomas asserit omnes, praeter solum Christum, contrahere peccatum primi parentis.* I.-II q. 81. a. 3. : « Respondeo : *dicendum* quod, secundum fidem catholicam, firmiter est tenendum, quod omnes homines, praeter solum Christum, ex Adam derivati, peccatum originale ex eo contrahunt ; alioquin non omnes indigerent redemptione quae est per Christum : quod est erroneum. » Caietanus ibidem : « Ad fidem catholicam spectat, quod omnes homines, praeter solum Christum, contrahant peccatum originale. Quod dictum non intelligendum est aliter quam de morte, quae est poena peccati originalis ; ita quod, sicut omnes incurrunt mortem, id est, *necessitatem moriendi,* ita omnes incurrunt peccatum originale, id est, *necessitatem habendi peccatum originale... Et iuxta* hunc sensum militat ratio Auctoris (D. Thomae), sc. quia aliter non indigerent redemptione quae per Iesum Christum facta est. Si enim peccatum originale, vel *in actu* vel in *necessitate habendi illud,* quis non incurreret, non egeret redemptione : quod est haereticum. »

2° *Ex vero sensu quo D. Thomas asserit Beatissimam Virginem a peccato originali fuisse mundatam antequam ex utero nasceretur.* Caietanus, *De Conceptione Beatae Virginis,* cap 3. : « Et similiter dicitur a peccato originali *mundatus* non solum qui a *contracta actuali macula* mundatus est, sed qui a *macula in debito et initio, in* propria persona *fundato,* et reliquis tot quasi partibus peccati originalis actualiter contractis, mundatus est, et sic de aliis. Nec putet quisquam de mea haec phantasia me proferre, sed videat D. Thomam in I.-II. q. 81. a. 3. (ubi inter alia tractat et illud ad Romanos, 5. : *Per unum hominem,* etc.) sustinentem quod per mortem sufficit intelligere *debitum* seu *reatum,* in propria persona, *mortis,* quamvis nunquam *actualiter* moreretur. Ex quo habetm quod, cum Apostolus *duo* simul dicat (sc. in omnes

fiivenit *peccatum* et *mors),* sicut secundum, sc. *mors,* salvatur exponendo mortem vel in *actu* vel in *debito* in propria persona : ita et primum, sc. *peccatum,* salvatur exponendo peccatum in *actu* vel in *debito* in propria persona. »

3° *Ex vero sensu quo D. Thomas asserit, quod, si Beatissima Virgo sanctificata fuerit quocumque modo ante animationem, nunquam incurrisset maculam originalis culpae, et ita non indiguisset redemptione et salute quae est per Christum,* a) Joannes a Sancto Thoma 1 : « Ad liberationem per Christum disjunctive postulat D. Thomas vel *debitum* vel *culpam* in eo qui redimendus est. Ergo si efficienter salvat D. Thomas redemptionem per Christum in aliquo qui solum nasceretur cum *debito, non amplius requirit* quando loquitur de Virgine, et infert pro inconvenienti, quia alias non indigeret (B. Virgo) redemptione per Christum. Intelligit enim, quod non indigeret si conciperetur *sine debito* aut *sine peccato;* non tamen si conciperetur *sine peccato,* dummodo conciperetur *cum debito m fersona.* Et quoties D. Thomas infert, quod non indigeret redemptione, ly *non indigeret* est quia includitur etiam *debitum; hoc* enim si datur, sufficit ad indigentiam liberationis: u(ex isto loco colligitur 2. Et ita locus hic maxime praelucet menti D. Thomae introspiciendae in aliis locis... Et si quocumque modo Beata Virgo ante animationem sanctificata fuisset, nunquam incurrisset maculam originalis culpae ; et ita non indiguisset redemptione per Christum. (III. Part, q. 27. a. 2.). Ubi Sanctus Doctor per ly *incurrisset maculam,* intelligit etiam *debitum;* tum ex explicatione supra relata ex/P. *Sent.;* tum quia loquitur in casu sanctificationis ante animationem, in quo casu ipsa (B. Virgo) *personaliter* non esset *obnoxia,* sed in *sua persona* careret *omni debito;* tum ex ratione adiuncta, quia non indiguisset redemptione ; verbum autem *indigere* semper refertur ad *debitum,* ut ostendimus ex D. Thoma. Qui autem habet *debitum,* etsi

1 *Cursus theol.,* t. I. Approb. doctrinae D. Thomae, disp. 2. a. 2. 2 *IV Sent.* dist. 42. q- i· a· 4· ac^ 3·β* *Supfrlem.* ad III. q. 78. a. 1. ad. 3.

non peccatum, indiget redimi seu indiget Liberatore periculi in quo est. »

Porrecta, in III. q. 27. a. 2. : « D. Thomas semper uniformis sibique constans, ubicumque tractat de hac materia; el pro ratione dicti sui semper adducit, quod oportet secundum fidem apostolicam, *Christum esse universalem omnium Redemptorem...* Dicendum ergo firmiterque tenendum est, quod praesens doctrina eius, si recte, ut ipse voluit, intelhgatur, non tantum sana, sed et catholica est. Ut ergo recte intelligatur doctrina tanta, examinetur pro illo dicto, in quod cetera resolvuntur : *Erroneum est dicere, quod aliquis sine peccato originali concipiatur, praeter Christum solum:* sc. quantum est ex vi conceptionis. Altus vero sensus tanti Doctoris huiusmodi fuit : Si Beata Virgo nunquam incurrisset maculam originalis culpae neque fuisset in periculo incurrendi illam, non indiguisset redemptione et salute per Christum a peccato illo. Et sic sequeretur, quod Christus non esset Salvator omnium hominum a peccatis ; id est, quod aliquis homo potest salvari ex aliquo peccato absque auxilio Christi. Sensus praedictus integer est *verus sensus* Sancti Doctoris. »

40 *Ex principiis D. Thomae circa sanctitatem Beatissimae Virginis.* Salva namque in persona Beatissimae Virginis necessitate redemptionis per Christum, D. Thomas, *III. Sent.* dist. 3. q. i. a. 1. et a. 2. haec quae sequuntur statuit principia : *a) « Credendum est ei (B. Virgini) collatum esse quid conferri potuit. » b) « Plus gratiae collatum est Beatae Virgini quam alicui sanctorum. » c) « ipsa super omnes alios sanctos a peccato purior fuit, veluti Divinae Sapientiae Mater electa, in quam nihil coinquinatum incurrit. » d) « Beatae Virgini aliquid ultra legem communem conferendum fuit. » c) « Illa sanctificatio Beatae Virginis excellentior fuit sanctificationibus aliorum. » /) « Sub puritate Christi maximam Virgo Mater eius habere debuit. »*

50 *Ex eo quod D. Thomas expresse in terminis docuit el pronuntiavit Beatissimam Virginem a macula peccati originalis praeservata m fuisse immunem.* Quod ex supradictis iam patet, ex quibus placet haec quae sequuntur testimonia *n medium

iterum depromere : 1° *I. Seni.* dist. 44. q. 1. a. 3. ad 3. : Puritas intenditur per reces-um a contrario ; et ideo potest aliquid creatum inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit ; et *talis fuit, puritas Beatae Virginis, quae a peccato originali d actuali immunis fuit ;* tamen sub Deo, in quantum erat in ea potentia ad peccandum. » 2° *Exposit. in Psalm. 18. : In sole posuit tabernaculum suum :* id est, corpus suum Christus posuit in sole, id est in Beata Virgine, quae *nullam habuit obscuritatem peccati.* Cantic. 4, 7 : *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in le.* » 30 *In Psalm. 14. : « In Christo ct in Virgine Maria* nulla omnino macula *fuit.* « Atque in *Comment, supra Epist. ad Ephesios,* cap. 1. lect. 3 : *t* Sicut Deus praeordinavit aliquos sanctos ad maiorem dignitatem, ita et abundantiorem gratiam eis infudit ; sicut Christo Homini, quem ad unitatem personae assumpsit, contulit gratiam singularem ; et *gloriosam Virginem Mariam, quam in Matrem elegit, et quantum ad animam ct quantum ad corpus gratia implevit.* » Ac denique in opusculo 1 *De dilectione Dei,* circa finem : « Fecit ergo Summus Artifex in ostentationem pleniorem artis suae *speculum unum,* clarissimo clarius, Seraphim tersius et purius, et tantae puritatis, ut purius intelligi non posset nisi Deus esset : personam sc. gloriosissimae Virginis. De qua Anselmus : *Decebat, ut illius Conceptio hominis de Matre purissima fieret, ea jniritate, qua maior sub Deo nequit intelligi. »*

Sub puritate igitur, quae soli Homini Deo debebatur (concludit D. Thomas), maximam Virgo Mater eius habere debuit. Hoc fuit quidem privilegium gratiae singularis, ut non solum hominis, sed Dei Mater fieret ; et ideo in Apocalipsi 12, i dicitur : *Mulier amicta sole,* quasi repleta Divinitate2. Ex Maria enim natus est lesus, qui vocatur Christus ; Christus autem est Lux aeterna, Verbum Dei et Deus verus, Splendorque gloriae Patris ac figura substantiae eius. Mater

1 *Opusc.* 54. Edit. VivÈS, et 61. édit. Rom.

2 *III Sent.* dist. 3· ‹]· i· a· 11 S°1 2· 3· — *Exposit. in Evang. Mathaei,* cap. i·

itaque Verbi Divini Incarnati debuit quoque, sub puritate Hominis Dei, esse speculum sine macula Dei maiestatis et imago bonitatis illius. Divinae Sapientiae sedes, in quam nihil inquinatum incurrit, Beatissima Virgo ab omni prorsus peccati labe praeservata est immunis. Ortus eius sicut ortus surgentis aurorae ; amicta lumine sicut vestimento ; pulchra ut luna; specior sole; et luci comparata, invenitur prior[1]. Soli ergo Deo honor, et laus, et gloria, qui *elegit* eam et praelegit eam *et* creavit eam in Spiritu Sancto. Et quoniam qui creavit eam in sanctitate et iustitia coram ipso, habitavit in ea et *fecit illi* magna qui potens est ; ecce enim ex hoc beatam eam dicent omnes generationes, et benedicunt eam omnes simul angeli et homines una voce dicentes : *Ave, gratia plena; benedicta tu inter mulieres; et benedictus fructus ventris tui. Tu, gloria Ierusalem ; tu, laetitia Israel; tu, honorificentia populi nostri* [2].

1 *Sapient, y.* 26-29. — Hebr. 1, 3.
2 *Luc. 1, 28 et* 42-49. — Judith, 15, 10.

appendices

SS. D. N. Papæ Pii IX Constitutio qua definitur B. Mariæ Immaculata Conceptio

Ineffabilis Deus, cuius viae misericordia et veritas, cuius voluntas omnipotentia, et cuius sapientia attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter, *cum* ab omni aeternitate *praeviderit* luctuosissimam totius humani generis ruinam ex Adami transgressione derivandam, atque in mysterio a saeculis abscondito primum suae bonitatis opus *decreverit* per Verbi incarnationem sacramento occultiore complere, ut contra misericors suum propositum homo diabolicae iniquitatis versutia actus in culpam non periret, et quod in primo Adamo casurum erat, in secundo felicius erigeretur, ab initio et ante saecula unigenito Filio suo Matrem, ex qua caro factus in beata temporum plenitudine nasceretur, *elegit* atque ordinavit, tantoque prae creaturis universis est prosequutus amore, ut in illa una sibi propensissima voluntate complacuerit. Quapropter illam *longe* ante omnes angelicos Spiritus, cunctosque Sanctos coelestium omnium charismatum copia de thesauro divinitatis deprompta ita mirifice cumulavit, ut Ipsa ab omni prorsus peccati labe semper libera, ac tota pulchra et perfecta, eam innocentiae et sanctitatis plenitudinem prae se ferret, qua maior sub Deo nullatenus intelligitur, et quam praeter Deum nemo assequi cogitando potest. Et quidem decebat omnino, ut perfectissimae sanctitatis splendoribus semper ornata fulgeret, ac vel ab ipsa originalis culpae labe plane immunis amplissimum de antiquo serpente triumphum referret tam venerabilis mater, cui Deus Pater unicum Filium suum, quem de corde suo aequalem sibi genitum tanquam seipsum diligit, ita

dare disposuit, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris et Virginis Filius, et quam ipse Filius substantialiter facere sibi matrem elegit, et de qua Spiritus Sanctus voluit, et operatus est, ut conciperetur et nasceretur ille, de quo ipse procedit.

Quam originalem augustae Virginis innocentiam cum admirabili eiusdem sanctitate, praecelsaque Dei matris dignitate *omnino cohaerentem* catholica Ecclesia, quae a Sancto semper edocta Spiritu columna est ac firmamentum veritatis, tanquam doctrinam possidens divinitus acceptam, et coelestis revelationis deposito comprehensam multiplici continenter ratione, splendidisque factis magis in dies explicare, proponere, ac fovere nunquam destitit. Hanc enim doctrinam ab antiquissimis temporibus vigentem, ac fidelium animis penitus insitam, et sacrorum Antistitum curis studiisque per catholicam orbem mirifice propagatam ipsa Ecclesia luculentissime significavit, cum eiusdem Virginis Conceptionem publico fidelium cultui ac venerationi proponere non dubitavit. Quo illustri quidem facto ipsius Virginis Conceptionem veluti singularem, miram, et a reliquorum hominum primordiis longissime secretam, et omnino sanctam colendam exhibuit, cum Ecclesia nonnisi de Sanctis dies festos concelebret. Atque idcirco vel ipsissima verba, quibus divinae Scripturae de increata Sapientia loquuntur, eiusque sempiternas origines repraesentant, consuevit tum in ecclesiasticis Officiis, tum in sacrosancta Liturgia adhihere, et ad illius Virginis primordia transferre, quae *uno eodemque decreto* cum divinae Sapientiae incarnatione fuerant praestituta.

Quamvis autem haec omnia penes fideles ubique prope recepta ostendant, quo studio eiusmodi de Immaculata Virginis Conceptione doctrinam ipsa quoque Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum mater et magistra fuerit prosequuta, tamen illustria huius Ecclesiae facta digna plane sunt, quae nominatim recenseantur, cum tanta sit eiusdem Ecclesiae dignitas, atque auctoritas, quanta illi omnino debetur, quae est catholicae veritatis et unitatis centrum, in qua solum inviolabiliter fuit custodita religio, *ct ex* qua traducem fidei reliquae omnes Ecclesiae mutuentur oportet. Itaque eadem Romana Ecclesia *nihil potius* habuit quam eloquentissimis quibusque modis Immaculatam Virginis *Conceptionem,* eiusque *cultum* et doctrinam asserere, tueri, promovere et vindicare. Quod apertissime planissimeque testantur et declarant tot insignia sane acta Romanorum Pontificum Decessorum Nostrorum, quibus in persona Apostolorum Principis ab ipso Christo Domino divinitus fuit commissa suprema cura atque potestas

pascendi agnos et oves, confirmandi fratres, et universam regendi et gubernandi Ecclesiam.

Enimvero Praedecessores Nostri vehementer gloriati sunt Apostolica sua auctoritate *festum Conceptionis* in *Romana Ecclesia instituere,* ac proprio Officio, propriaque Missa, quibus praerogativa immunitatis ab haereditaria labe manifestissime asserebatur, augere, honestare, et cultum iam institutum omni ope promovere, amplificare sive erogatis indulgentiis, sive facultate tributa civitatibus, provinciis, regnisque, ut Deiparam sub titulo Immaculatae Conceptionis patronam sibi deligerent, sive comprobatis Sodalitatibus, Congregationibus, Religiosisque Familiis ad Immaculatae Conceptionis honorem institutis, sive laudibus eorum pietati delatis, qui monasteria, xenodochia, altaria, templa sub Immaculati Conceptus titulo erexerint, aut sacramenti religione interposita immaculatam Deiparae Conceptionem strenue propugnare spoponderint. Insuper summopere laetati sunt decernere Conceptionis festum ab omni Ecclesia esse habendum eodem censu ac numero, quo festum Nativitatis, idemque Conceptionis festum cum octava ab universa Ecclesia celebrandum, et ab omnibus inter ea quae praecepta sunt, sancte colendum, ac Pontificiam Capellam in Patriarchali Nostra Liberiana Basilica die Virginis Conceptioni sacro quotannis esse peragendam. Atque exoptantes in fidelium animis quotidie magis fovere hanc de Immaculata Deiparae Conceptione doctrinam, eorumque pietatem excitare ad ipsam Virginem sine labe originali conceptam colendam, et venerandam, gavisi sunt quam libentissime facultatem tribuere, ut in Lauretanis Litaniis, et in ipsa Missae Praefatione Immaculatus eiusdem Virginis proclamaretur Conceptus, atque adeo lex credendi ipsa supplicandi lege statueretur. Nos porro tantorum Praedecessorum vestigiis inhaerentes, non solum quae ab ipsis pientissime sapientissimeque fuerant constituta probavimus, et recepimus, verum etiam memores institutionis Sixti IV, proprium de Immaculata Conceptione Officium auctoritate Nostra munivimus, illiusque usum universae Ecclesiae laetissimo prorsus animo concessimus.

Quoniam vero quae ad cultum pertinent, intimo plane vinculo cum eiusdem obiecto conserta sunt, neque rata et fixa manere possunt, si illud anceps sit, et in ambiguo versetur; iccirco Decessores Nostri Romani Pontifices omni cura Conceptionis cultum amplificantes, illius etiam *obtectum* ac *doctrinam declarare* et *inculcare* impensissime studuerunt. Etenim clare aperteque docuere festum agi de Virginis Conceptione, atque uti falsam, et

ab Ecclesiae mente alienissimam proscripserunt illorum opinionem, qui non *Conceptionem ipsam,* sed *sanctificationem* ab Ecclesia coli arbitrarentur et affirmarent. Neque mitius cum iis agendum esse existimarunt, qui ad labefactandam de Immaculata Virginis Conceptione doctrinam, *excogitato inter primum* atque *alterum* Conceptionis *instans et momentum* discrimine, asserebant, celebrari quidem Conceptionem, sed non pro primo instanti atque momento. Ipsi namque Praedecessores Nostri suarum partium esse duxerunt, et Beatissimae Virginis Conceptionis festum, et Conceptionem pro *primo instanti tanquam verum cultus obieclum* omni studio tueri ac propugnare. Hinc decretoria plane verba, quibus Alexander VII Decessor Noster sinceram Ecclesiae inentem declaravit inquiens : « Sane vetus est Christi fidelium *erga eius* beatissimam Matrem Virginem Mariam pietas sentientium eius animam in *primo instanti creationis, atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum* lesu Christi eius Filii humani generis *Redemptoris,* a macula peccati *originalis* praeservatam immunem, atque in hoc sensu eius Conceptionis festivitatem solemni ritu *colentium et* celebrantiumj. »

Atque illud in primis solemne quoque fuit iisdem Decessoribus Nostris doctrinam de Immaculata Dei Matris Conceptione sartam tectamque omni cura, studio et *contentione tueri.* Etenim non solum nullatenus passi sunt, ipsam doctrinam quovis modo a quopiam notari, atque traduci, verum etiam longe ulterius *progre&i perspicuis declarationibus, iteratisque vicibus edixerunt, doctrinam, qua Immaculatam Virginis Conceptionem profitemur,* esse, suoque *merito* haberi cum ecclesiastico cultu plane consonam, eamque veterem, ac *prope universalem et* eiusmodi, quam Romana Ecclesia sibi fovendam, tuendamque susceperit, atque omnino dignam, quae in sacra *ipsa Liturgia, solemnibusque precibus* usurparetur. Neque his *contenti, ut ipsa de Immaculato* Virginis Conceptu *doctrina inviolata persisteret, opinionem huic doctrinae* adversam sive *publice, sive privatirn defendi posse severissime prohibuere,* eamque *multiplici veluti vulnere confectam* esse voluerunt. Quibus repetitis *luculentissimisque declarationibus, ne* inanes viderentur, adiecere sanctionem ; quae omnia laudatus Praedecessor Noster Alexander VIT his verbis est *complexus :*

« *Nos* considerantes, quod Sancta *Romana Ecclesia de Inte-*

Alcxander VII Const. *Sollicitudo omnium Ecclesiarum,* VIII Decembris r66r.

meratae semper Virginis Mariae Conceptione festum solemniter celebrat, et speciale ac proprium super hoc officium olim ordinavit iuxta piam, devotam et laudabilem institutionem, quae a Sixto IV Praedecessore Nostro tunc emanavit ; volentesque laudabili huic pietati et devotioni, et festo, ac cultui secundum illam exhibito, in Ecclesia Romana post ipsius cultus institutionem numquam immutato, Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum exemplo favere, nec non tueri pietatem, et devotionem hanc colendi, ct celebrandi beatissimam Virginem, praeveniente scilicet Spiritus Sancti gratia, a peccato originali praeservatam, cupientesque in Christi grege unitatem spiritus in vinculo pacis, sedatis offensionibus ct jurgiis, amotisque scandalis conservare : ad praefatorum Episcoporum cum Ecclesiarum suarum Capitulis, ac Philippi Regis, eiusque Regnorum oblatam Nobis instantiam, ac preces, Constitutiones, et Decreta, a Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris, et praecipue a Sixto IV, Paulo V et Gregorio XV edita in favorem sententiae asserentis, Animam beatae Mariae Virginis in *sui creatione, et in corpus infusione,* Spiritus Sancti gratia donatam, et a *peccato originali praeservatam fuisse,* nec non et in favorem festi, et cultus Conceptionis eiusdem \ irginis Deiparae, secundum piam istam sententiam, ut praefertur, exhibiti, innovamus, et sub censuris et poenis in eisdem Constitutionibus contentis, observari mandamus.

« Et insuper omnes et singulos, qui praefatas Constitutiones, seu Decreta ita pergent interpretari, ut favorem per illas dictae sententiae, ct festo seu cultui secundum illam exhibito, frustrentur, vel qui hanc eamdem sententiam, festum seu cultum in disputationem revocare, aut contra ea quoquo modo directe, vel indirecte aut quovis praetextu, etiam definibilitatis eius examinandae, sive sacram Scripturam, aut sanctos Patres, sive Doctores glossandi vel interpretandi, denique alio quovis praetextu seu occasione, scripto seu voce loqui, concionari, tractare, disputare, contra ea quidquam determinando, aut asserendo, vel argumenta contra ea afferendo, ct insoluta relinquendo, aut alio quovis inexcogitabili modo disserendo ausi fuerint ; praeter poenas et censuras in Constitutionibus Sixti IV contentas, quibus illos subiacere volumus, et per praesentes subiicimus, etiam concionandi, publice legendi, seu docendi, et interpretandi facultate, ac voce activa, et passiva in quibuscumque electionibus, eo ipso absque alia declaratione privatos esse volumus ; nec non ad condonandum, publice legendum docendum, et interpretandum perpetuae inhabilitatis

poenas ipso *facto* incurrere absque alia declaratione ; a quibus poenis nonnisi a Nobis ipsis, vel a Successoribus Nostris Romanis Pontificibus absolvi, aut super iis dispensari possint ; nec non eosdem aliis poenis, Nostro, et eorumdem Romanorum Pontificum Successorum Nostrorum arbitrio infligendis, pariter subiacere volumus, prout subiicimus per praesentes, innovantes Pauli V et Gregorii XV superius memoratas Constitutiones sive Decreta.

« Ac libros, in quibus praefata sententia, festum, seu cultus secundum illam in dubium revocatur, aut contra ea quomodocumque, ut supra, aliquid scribitur aut legitur, seu locutiones, conciones, tractatus et disputationes contra eadem continentur, post Pauli V supra laudatum Decretum edita, aut in posterum quomodolibet edenda, prohibemus sub poenis et censuris in Indice librorum prohibitorum contentis ; et ipso *facto* absque alia declaratione pro expresse prohibitis haberi volumus et mandamus. »

Omnes autem norunt quanto studio haec de Immaculata Deiparae Virginis Conceptione doctrina a spectatissimis Religiosis Familiis, et celebrioribus *Theologicis* Academiis ac praestantissimis rerum divinarum *scientia Doctoribus fuerit* tradita, asserta ac propugnata. Omnes pariter norunt quantopere *solliciti fuerint* Sacrorum Antistites vel in ipsis ecclesiasticis conventibus palam publiceque profiteri, sanctissimam Dei Genitricem Virginem Mariam ob *praevisa Christi Domini Redemptoris merita nunquam originali subiacuisse peccato, sed praeservatam omnino fuisse ab originis labe, et iccirco sublimiori modo redemptam.* Quibus illud *profecto* gravissimum, et omnino maximum accedit, ipsam quoque Tridentinam Synodum, cum dogmaticum de peccato originali ederet decretum, quo iuxta sacrarum Scripturarum, sanctorumque Patrum, ac probatissimorum Conciliorum testimonia statuit, ac definivit, omnes homines nasci *originali culpa infectos, tamen solemniter* declarasse, non esse suae *intentionis in decreto* ipso, tantaque definitionis amplitudine comprehendere beatam, et immaculatam Virginem Dei *Genitricem Mariam. Hac enim* declaratione Tridentini Patres, ipsam beatissimam *Virginem ab originali labe* solutam pro rerum temporumque adiunctis *satis innuerunt,* atque adeo perspicue significarunt, nihil ex divinis Litteris, nihil ex traditione, Patrumque auctoritate rite afferri *posse,* quod tantae Virginis *praerogativae* quovis modo refragetur.

Et re quidem vera hanc de Immaculata beatissimae Virginis Conceptione doctrinam quotidie magis gravissimo Ecclesiae sensu, magisterio, studio, scientia, ac sapientia tam splendide explicatam, declaratam, confirmatam, et apud omnes catholici orbis populos, ac nationes mirandum in modum propagatam, in ipsa Ecclesia temper extitisse veluti a maioribus acceptam, ac revelatae doctrinae charactere insignitam illustria venerandae antiquitatis Ecclesiae orientalis et occidentalis monumenta validissime testantur. Chnsti enim Ecclesia sedula depositorum apud se dogmatum custos, et vindex, nihil in his unquam permutat, nihil minuit, nihil addit, sed omni industria vetera fideliter, sapienterque tractando si qua antiquitus informata sunt, et Patrum fides sevit, ita limare, expolire studet, ut prisca illa coelestis doctrinae dogmata accipiant evidentiam, lucem, distinctionem, sed retineant plenitudinem, integritatem, proprietatem, ac in suo tantum genere crescant, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia.

Equidem Patres, Ecclesiaeque Scriptores coelestibus edocti eloquiis *nihil antiquius* habuere, quam in libris ad explicandas Scripturas, vindicanda dogmata erudiendosque fideles elucubratis summam Virginis sanctitatem, dignitatem, atque ab *omni peccati labe integritatem,* eiusque praeclaram de teterrimo humani generis hoste victoriam multis mirisque modis ccrtatim praedicare atque efferre. Quapropter enarrantes verba, quibus Deus praeparata renovandis mortalibus suae pietatis remedia inter ipsa mundi primordia praenuntians et deceptoris serpentis retudit audaciam, et nostri generis spem mirifice erexit inquiens : « Inimicitias ponam inter te et mulierem, semen tuum et semen illius », docuere divino hoc oraculo clare aperteque praemonstratum fuisse misericordem humani generis Redemptorem, scilicet Unigenitum Dei Filium Christum lesum, ac designatam beatissimam Eius Matrem Virginem Mariam, ac simul ipsissimas utriusque contra diabolum inimicitias insigniter expressas. Quocirca sicut Christus Dei hominumque mediator humana assumpta natura delens quod adversus nos erat chirographum decreti, illud cruci triumphator affixit, sic sanctissima Virgo arctissimo, et *indissolubili vinculo cum eo coniuncta una cum Illo, et per* Illum sempiternas contra venenosum serpentem inimicitias exercens, ac de ipso plenissime triumphans illius caput immaculato pede contrivit.

Hunc eximium, singularemque Virginis triumphum, excellentissimamque innocentiam, puritatem, sanctitatem eiusque ab omni peccati labe integritatem, atque ineffabilem coelestium omnium gratiarum, virtutum, ac privilegiorum copiam, et magni-

tudinem iidem *Patres viderunt* tum in arca illa Noe, quae divinitus constituta a communi totius mundi naufragio plane salva et incolumis evasit ; tum in scala illa, quam de terra ad coelum usque pertingere vidit Iacob, cuius gradibus Angeli Dei ascendebant, et descendebant, cuiusque vertici ipse innitebatur Dominus ; tum in rubo illo, quem in loco sancto Moyses undique ardere, ac inter crepitantes ignis flammas non iam comburi aut jacturam vel minimam pati, sed pulchre virescere ac florescere conspexit : tum in illa inexpugnabili turri a facie inimici, ex qua mille clypei pendent, omnisque armatura fortium ; tum in horto illo concluso, qui nescit violari, neque corrumpi ullis insidiarum fraudibus; tum in corusca illa *Dei civitate,* cuius fundamenta in montibus sanctis ; tum in augustissimo illo Dei templo, quod divinis refulgens splendoribus plenum est *gloria* Domini ; tum in aliis eiusdem generis omnino plurimis, quibus excelsam Deiparae dignitatem, eiusque illabatam innocentiam, et nulli unquam naevo obnoxiam sanctitatem insigniter praenunciatam fuisse Patres tradiderunt.

Ad hanc eamdem divinorum munerum veluti summam, originalemque Virginis, de qua natus est Iesus, integritatem describendam iidem Prophetarum *adhibentes* eloquia non aliter ipsam augustam Virginem concelebrarunt, ac uti columbam mundam, et sanctam Ierusalem, et excelsum Dei thronum, et arcam sanctificationis et domum, quam sibi aeterna aedificavit Sapientia, et Reginam illam, quae deliciis affluens, et innixa super Dilectum suum, ex ore Altissimi prodivit omnino perfecta. Speciosa ac penitus cara Deo, et nullo unquam labis naevo maculata. Cum vero ipsi Patres, Ecclesiaeque Scriptores animo menteque reputarent, beatissimam Virginem ab Angelo Gabriele sublimissimam Dei Matris dignitatem ei nuntiante, ipsius Dei nomine et iussu gratia plenam fuisse nuncupatam, docuerunt hac singulari solemnique salutatione nunquam alias audita ostendi, Deiparam fuisse omnium divinarum gratiarum sedem, omnibusque divini Spiritus charismatibus exornatam, imo eorumdem charismatum infinitum prope thesaurum, abyssumque inexhaustam, adeo ut *nunquam* maledicto obnoxia, et una cum Filio perpetuae benedictionis particeps ab Elisabeth divino acta Spiritu audire meruerit : *Benedicta Tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui.*

Hinc non luculenta minus, quam concors eorumdem sententia, gloriosissimam Virginem, cui fecit magna, qui potens est, ea coelestium omnium donorum vi, ea gratiae plenitudine, eaque innocentia emicuisse, qua veluti ineffabile Dei miraculum, immo

{ omnium miraculorum apex, ac digna Dei Mater extiterit, et ad Deum ipsum pro ratione creatae naturae, quam proxime accedens omnibus, qua humanis, qua angelicis praeconiis celsior evaserit. Atque iccirco ad originalem Dei Genitricis innocentiam, iustitiamque vindicandam, non Eam modo cum Heva adhuc virgine, adhuc innocente, adhuc incorrupta, et nondum mortiferis fraudulentissimi serpentis insidiis decepta saepissime contulerunt, verum etiam mira quadam verborum, sententiarumque varietate praetulerunt. Heva enim serpenti misere obsequuta et ab originali excidit innocentia, et illius mancipium evasit, sed beatissima Virgo originale donum iugiter augens, quin serpenti aures unquam praebuerit, illius vim potestatemque virtute divinitus accepta funditus labefactavit.

Quapropter nunquam cessarunt Deiparam appellare vel lilium inter spinas, vel terram omnino intactam, virgineam, illibatam, immaculatam, semper benedictam, et ab omni peccati contagione liberam, ex qua novus formatus est Adam, vel irreprehensibilem, lucidissimum, amoenissimumque innocentiae, immortalitatis, ac deliciarum paradisum a Deo ipso consitum et ab omnibus venenosi serpentis insidiis defensum, vel lignum immarcescibile, quod peccati vermis nunquam corruperit, vel fontem semper illimem, et Spiritus Sancti virtute signatum, vel divinissimum templum, vel immortalitatis thesaurum, vel unam et solam non mortis sed vitae filiam, non irae sed gratiae germen, quod semper virens ex corrupta infectaque radice singulari Dei providentia praeter statas communesque leges efloruerit. Sed quasi haec, licet splendidissima, satis non forent, *-propriis definitisque sententiis edixerunt,* nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habendam esse quaestionem de sancta Virgine Maria, cui plus gratiae collatum fuit ad vincendum omni ex parte peccatum ; tum professi sunt, gloriosissimam Virginem fuisse parentum reparatricem, posterorum vivificatricem, a saeculo electam, ab Altissimo sibi praeparatam, a Deo, quando ad serpentem ait : « Inimicitias ponam inter te et mulierem », praedictam, quae procul dubio venenatum eiusdem serpentis caput contrivit ; ac propterea affirmarunt, eamdem beatissimam Virginem fuisse per gratiam ab omni peccati labe integram, ac liberam ab omni contagione et corporis, et animae, et intellectus, ac **semper cum Deo conversatam, et sempiterno** foedere cum illo coniunctam, nunquam fuisse in tenebris, sed semper in luce, et iccirco idoneum plane extitisse Christo habitaculum non pro habitu corporis, sed pro gratia originali.

Accedunt' nobilissima effata, quibus de Virginis Conceptione loquentes testati sunt, naturam gratiae cessisse ac stetisse tremulam pergere non sustinentem ; nam futurum erat ut Dei Genitrix Virgo non antea ex Anna conciperetur, quam gratia fructum ederet ; concipi siquidem primogenitam oportebat, ex qua concipiendus esset omnis creaturae primogenitus. Testati sunt *carnem* Virginis *ex Adam sumptam maculas Adae* non admisisse, ac propterea beatissimam Virginem tabernaculum esse ab ipso Deo creatum, Spiritu Sancto formatum, et purpureae revera operae quod novus ille Beseleel auro intextum variumque effinxit, eamdemque esse meritoque celebrari ut illam, quae proprium Dei opus primum extiterit ignitis maligni telis latuerit, et pulchra natura, ac labis prorsus omnis nescia, tanquam aurora undequaque rutilans in mundum prodiverit in sua Conceptione Immaculata. Non enim decebat, ut illud vas electionis communibus lacesseretur injuriis, quoniam plurimum a caeteris differens, natura communicavit non culpa, immo prorsus decebat ut sicut Unigenitus in *coelis* Patrem habuit, quem Seraphim ter Sanctum extollunt, ita Matrem haberet in terris, *quae nitore sanctitatis nunquam cancerit.* Atque haec quidem doctrina adeo maiorum mentes, animosque occupavit, ut singularis et omnino mirus penes illos invaluerit loquendi usus, quo Deiparam saepissime compellarunt immaculatam omnique ex parte immaculatam, innocentem et innocentissimam, illibatam et undequaque illibatam, sanctam et ab omni *peccati* sorde alienissimam, totam puram, totam intemeratam, ac ipsam prope puritatis et innocentiae formam pulchritudine pulchriorem, venustate venustiorem, sanctiorem sanctitate, solamque sanctam purissimamque anima et corpore, quae supergressa est omnem integritatem et virginitatem, ac sola tota facta domicilium universarum gratiarum Sanctissimi Spiritus et quae, solo Deo excepto, extitit cunctis superior, et ipsis Cherubim et Seraphim, et omni exercitu Angelorum *natura Pulchrior, formosior et sanctior,* cui praedicandae coelestes et terrenae linguae minime sufficiunt. Quem usum ad sanctissimae quoque Liturgiae monumenta atque ecclesiastica officia sua veluti sponte fuisse traductum, ct in illis passim recurrere, ampliterque dominari nemo *ignorat,* cum in illis Deipara invocetur *et* praedicetur veluti una incorrupta pulchritudinis columba, veluti rosa semper vigens, et undequaque purissima et semper immaculata semperque beata, ac celebretur uti innocentia, quae nunquam fuit laesa, et altera Heva, quae Emmanuelem *peperit.*

I Nil igitur minim si de Immaculata Deiparae Virginis Con-
I eptione *doctrinam iudicio Patrum divinis Litteris consignatam,*
j tot gravissimis eorumdem testimoniis *traditam,* tot illustribus onerandae antiquitatis monumentis expressam et celebratam, ?: maximo gravissimoque Ecclesiae iudicio propositam et confirlutam tanta pietate, religione et amore ipsius Ecclesiae Pastores, populique fideles quotidie magis profiteri sint gloriati, ut nihil iisdem dulcius, nihil carius, quam ferventissimo affectu Deiparam Virginem absque labe originali conceptam ubique colere, venerari, invocare, et praedicare. Quamobrem ab *antiquis temporibus* Sacrorum Antistites, Ecclesiastici viri, regulares Ordines, ac vel ipsi imperatores et Reges ab hac Apostolica Sede enixe efflagitarunt, ut Immaculata sanctissimae Dei Genitricis Conceptio veluti catholicae fidei dogma definiretur. Quae postulationes hac nostra quoque aetate iteratae fuenint ac potissimum felicis recordationis Gregorio XVI Praedecessori Nostro, ac Nobis ipsis oblatae sunt tum ab Episcopis, tum a clero saeculari, tum a Religiosis Familiis, ac summis Principibus et fidelibus populis.

Nos itaque singulari animi Nostri gaudio haec omnia probe noscentes, ac serio considerantes, vix dum licet immeriti arcano divinae Providentiae consilio ad hanc sublimem Petri Cathedram evecti totius Ecclesiae gubernacula tractanda suscepimus, nihil certe antiquius habuimus, quam pro summa Nostra vel a teneris annis erga sanctissimam Dei Genitricem Virginem Mariam veneratione, pietate et affectu ea omnia peragere, quae adhuc in Ecclesiae votis esse poterant, ut beatissimae Virginis honor augeretur, eiusque praerogativae uberiori luce niterent. Omnem autem maturitatem adhibere volentes constituimus peculiarem W. FF. NN. S. R. E. Cardinalium religione, consilio, ac divinarum reruni scientia illustrium Congregationem, et viros ex clero tum saeculari, tum regulari, theologicis disciplinis apprime excultos selegimus, ut ea omnia, quae Immaculatam Virginis Conceptionem respiciunt, accuratissime perpenderent, propriamque sententiam ad Nos deferrent. Quamvis autem Nobis ex receptis postulationibus de definienda tandem aliquando Immaculata Virginis Conceptione perspectus esset plurimorum Sacrorum Antistitum sensus, tamen Encyclicas Litteras die 2 Februarii anno 1849 Caietae datas ad omnes Venerabiles Fratres totius catholici orbis Sacrorum Antistites misimus, ut, adhibitis ad Deum precibus, nobis scripto etiam significarent, quae esset suorum fidelium erga Immaculatam Deiparae Conceptionem pietas, ac devotio, et *quid ipsi* praesertim

Antistites de hac ipsa definitione ferenda sentirent, quidve exoptarent, ut, quo fieri solemnius posset, supremum Nostrum indicium proferremus.

Non mediocri certe solatio affecti fuimus ubi eorumdem Venerabilium Fratrum ad Nos responsa venerunt. Nam iidem incredibili quadam jucunditate, laetitia, ac studio Nobis rescribentes non solum singularem suam, et proprii cuiusque cleri, populique fidelis erga Immaculatum beatissimae Virginis Conceptum pietatem, mentemque denuo confirmarunt, verum etiam *communi veluti voto* a Nobis expostularunt, ut Immaculata ipsius Virginis Conceptio supremo Nostro indicio et auctoritate definiretur. Nec minori certe interim gaudio perfusi sumus, cum *NN. FF. NN. S. R. E.* Cardinales commemoratae peculiaris Congregationis et *praedicti Theologi Consultores* a Nobis electi pari alacritate et studio post examen diligenter adhibitum hanc de Immaculata Deiparae Conceptione definitionem a Nobis efflagitaverint.

Post haec illustribus Praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, ac rite recteque procedere optantes indiximus et habuimus Consistorium, in quo Venerabiles Fratres Nostros Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales alloquuti sumus eosque summa animi Nostri consolatione audivimus a nobis exposcere, ut dogmaticam de Immaculata Deiparae Virginis Conceptione definitionem emittere vellemus.

Itaque plurimum in Domino confisi advenisse temporum opportunitatem pro Immaculata sanctissimae Dei Genitricis Virginis Mariae *Conceptione* definienda, quam *divina eloquia, veneranda traditio, perpetuus Ecclesiae sensus, singularis catholicorum* Antistitum, ac fidelium conspiratio et insignia Praedecessorum Nostrorum *acta, constitutiones* mirifice illustrant atque declarant ; rebus omnibus diligentissime perpensis, et assiduis, fervidisque ad Deum precibus effusis, minime cunctandum Nobis esse censuimus supremo Nostro iudicio Immaculatam ipsius Virginis Conceptionem sancire, definire, atque ita pientissimis catholici orbis desideriis, Nostraeque in ipsam sanctissimam Virginem pietati satisfacere, ac simul in Ipsa Unigenitum Filium suum Dominum Nostrum lesum Christum magis atque magis honorificare, cum in Filium redundet quidquid honoris et laudis in Matrem impenditur.

Quare postquam nunquam intermisimus in humilitate et ieiunio privatas Nostras et publicas Ecclesiae preces Deo Patri per J-ilium Eius offerre, ut Spiritus Sancti virtute mentem Nostram

dirigere, et confirmare dignaretur, implorato universae coelestis Curiae praesidio, et advocato cum gemitibus Paraclito Spiritu, toque sic adspirante, ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, id decus et ornamentum Virginis Deiparae, ad exaltationem Fidei catholicae, et Christianae Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri lesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra *declaramus, pronuntiamus et definimus, doctrinam, fuae tenet beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suae Conceptionis juisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi lesu Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem, esse a Deo revelatam, rique tccirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam.* Quapropter si qui secus ac a Nobis definitum est, quod Deus avertat, praesumpserint corde sentire, ii noverint, ac porro sciant, se proprio iudicio condemnatos, naufragium circa fidem passos esse, et ab unitate Ecclesiae defecisse, ac praeterea facto ipso suo semet poenis a iure statutis subiicere si quod corde sentiunt, verbo aut scripto, vel alio quovis externo modo significare ausi fuerint.

Repletum quidem est gaudio os Nostrum et lingua Nostra exultatione, atque humillimas maximasque Christo lesu Domino Nostro agimus et semper agemus gratias, quod singulari suo beneficio Nobis licet immerentibus concesserit hunc honorem atque hanc gloriam et laudem sanctissimae suae Matri offerre et decernere. Certissima vero spe et omni prorsus fiducia nitimur fore, ut ipsa beatissima Virgo, quae tota pulchra et Immaculata venenosum crudelissimi serpentis caput contrivit, et salutem attulit mundo, quaeque Prophetarum, Apostolorumque praeconium, et honor Martyrum, omniumque Sanctorum laetitia et corona, quaeque tutissimum cunctorum periclitantium perfugium, et fidissima auxiliatrix, ac totius terrarum orbis potentissima apud unigenitum Filium suum mediatrix, et conciliatrix, ac praeclarissimum Ecclesiae sanctae decus et ornamentum, firmissimumque praesidium, cunctas semper interemit haereses, et fideles populos, gentesque a maximis omnis generis calamitatibus eripuit, ac Nos ipsos a tot ingruentibus periculis liberavit; velit validissimo suo patrocinio efficere, ut sancta Mater Catholica Ecclesia cunctis amotis difficultatibus, cunctisque profligatis erroribus ubicumque gentium, ubicumque locorum, quotidie magis vigeat, floreat, ac regnet a mari usque ad mare et a flumine usque ad terminos orbis terrarum, omnique pace, tranquillitate, ac libertate fruatur ut

rei veniam, aegri medelam, pusili corde robur, afflicti consolationem, periclitantes adiutorium obtineant, et omnes errantes discussa mentis caligine ad veritatis ac iustitiae semitam redeant, ac fiat unum ovile et unus pastor.

Audiant haec Nostra verba omnes Nobis carissimi Catholicae Ecclesiae filii, et ardentiori usque pietatis, religionis, et amoris studio pergant colere, invocare, exorare beatissimam Dei Genitricem Virginem Mariam *sine labe originali conceptam,* atque ad hanc dulcissimam misericordiae et gratiae Matrem in omnibus periculis, angustiis, necessitatibus, rebusque dubiis ac trepidis cum omni fiducia confugiant. Nihil enim timendum, nihilque desperandum Ipsa duce, Ipsa auspice, Ipsa propitia, Ipsa protegente, quae maternum sane in nos gerens animum, nostraeque salutis negotia tractans de universo humano genere est sollicita, et coeli terraeque Regina a Domino constituta, ac super omnes Angelorum choros Sanctorumque ordines exaltata adstans a dextris Unigeniti Filii sui Domini Nostri lesu Christi matemis suis precibus validissime impetrat, et quod quaerit invenit, ac frustrari non potest.

Denique ut ad universalis Ecclesiae notitiam haec Nostra de Immaculata Conceptione beatissimae Mariae definitio deducatur, has Apostolicas Nostras Litteras, ad perpetuam rei memoriam exstare voluimus ; mandantes ut harum transsumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides ab omnibus adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Nulli ergo hominum liceat paginam hanc Nostrae declarationis, pronunciationis ac definitionis infringere, vel ei ausu temerario adversari et contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo quinquagesimo quarto, VI Idus Decembris, Pontificatus Nostri anno nono.

PIUS PP. IX.

II

Adnotationes quaedam circa Formulam definitionis.

Declaramus, pronuntiamus et definimus : Doctrinam, quae tenet, Beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suae Conceptionis fuisse singulari Omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi lesu, Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpae labe praeservatani immunem, esse a Deo revelatam atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam. »

I 1

Praeservationls sublectum.

« Sujet du privilège. — C'est la bienheureuse Vierge Marie, considérée au premier instant de son existence humaine, *beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suae Conceptionis.* Sous ce rapport, la formule employée par *Pie IX* diffère de celle qu'avait employée, en 1661, *Alexandre VII.* Dans la Bulle *Sollicitudo omnium Ecclesiarum,* le sujet du privilège était directement l'âme de Marie, *eius animam in primo creationis instanti atque infusionis in corpus.* Les mêmes termes figuraient dans le premier schéma de la Bulle de définition, rédigé par le P. Perrone, *animam Beatissimae Virginis Mariae, cum primum fuit creata et in suum corpus infusa ;* iis furent maintenus dans un nouveau schéma et les multiples retouches qu'il subit, jusqu'au moment où se fit la réunion des évêques chargés de l'examiner. Alors Mgr Francesco Bruni, évêque d'Ugento, proposa de faire porter l'exemption non sur lame *seule,* mais sur *la personne : dc persona, non de sola anima, asserenda sit. Le* Cardinal Joseph Pccci, évêque de Gubbio, parla dans le même sens au Consistoire qui suivit ; il fallait, dit-il, éviter tous les termes susceptibles de ramener l'opposition mise par les scolastiques entre le corps et l'âme à propos de la conception de Marie, et, pour cela, faire tomber la définition sur la

personne même : *ita ut definitio respiceret personam Mariae.* La motion fut agréée, et l'ancienne formule disparut pour faire place à la nouvelle et définitive : *Beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suae Conceptionis* L

La conséquence de ce qui précède, c'est que dans le membre de phrase *in primo instanti suae Conceptionis,* le mot de *conception* s'entend, non de l'acte générateur, mais de son terme, et de celui-ci parvenu à sa perfection, au moment même où l'âme est unie au corps, puisqu'alors seulement il y a *personne humaine.* La conception ainsi envisagée s'appelle... *conception passive consommée.* Conception *passive,* par opposition à la conception *active,* qui est l'acte générateur des parents ; conception passive *consommée,* par opposition à la conception passive *commencée,* dans l'hypothèse philosophique où l'embryon ne serait vivifié par une âme humaine qu'après une certaine période de préparation et de développement. La définition de 1854 ne tranche pas cette question controversée, de savoir à quel *moment précis* se *fait l'animation ou* l'union de l'âme et du corps ; elle ne dit pas dans quelle condition se trouverait la chair de Marie dans la supposition d'une conception passive d'abord imparfaite, puis parfaite ; elle dit seulement qu'au premier instant de son *existence comme personne humaine,* la bienheureuse Vierge jouit du privilège affirmé.

II résulte des mêmes principes que, dans la formule : *Immaculée Conception, l'épithète* d'*Immaculée* tombe sur la conception de Marie, et non pas sur la *conception de* sainte Anne [3]»

Inde apparet in primis quoad hoc definitionis punctum mira concordia inter Bullam dogmaticam *Ineffabilis Deus* et theologicam doctrinam de prima sanctificatione Beatissimae Virginis, quam D. Thomas semper et ubique-docuit ac propugnavit. Inde ostenditur etiam profundus sensus illius a. 2. q. 27. III. Part. *Summae Theologicae : Utrum B. Virgo sanctificata fuerit ante animationem. Angelicus* namque Doctor constanter asseruit B. Virginem sanctificatam fuisse, non in suis parentibus, non in conceptione carnis in *die conceptionis* ipsius, non in ipsa

[1] Mgr Vincenzo Sardi, *La solenne definizionc det dogma dell' Immaculato Concepimiento di Maria Santissima,* t. II. pag. *33, 8/, 242-45,* 292, 312, Rome, 1904.

[3] X.-M. Le Bachelet, S. *J. Dictionnaire Apologétique. — Marie. — Immaculée Conception,* c. 210 et 211.

carne sua ante animationem, non in anima ipsa ante unionem ad carnem, sed *posl animationem, post constitutionem personae.* Iuxta D. Thomae doctrinam, quae nunc videtur veluti consecrata per ipsam *Immaculatae Conceptionis* definitionem, *subiectum* privilegii, in prima ipsius sanctificatione Beatissimae Virgini collati, est ipsamet Beatissimae Virginis persona iam constituta ; nam aliter, ait D. Thomas, Beatissima Virgo non indigeret *personaliter* salute ac redemptione quae est per Christum

Praeservationis obiectum.

« Objet du privilège. — Pie IX revendique pour la Mère du Sauveur l'exemption de toute tache de la faute originelle, *ab omni ortginalis culpae labe praeservatam immunem...* Mais que faut-il entendre par l'exemption de *toute* tache de la faute originelle, *ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem ?* Il ne semble pas nécessaire d'attribuer une portée spéciale à l'adjectif *omni,* à moins qu'on ne veuille considérer le péché sous son double rapport de tache physique, privation de la grâce sanctifiante, et de tache morale, état de culpabilité devant Dieu. Comme l'Eglise n'a pas pris part sur la nature intime du péché originel, on a voulu simplement exclure tout ce qui est vraiment péché, sans déterminer d'une façon précise en quoi cela consiste. D'ailleurs, au cours de la Bulle, le privilège marial est souvent exprimé abstraction faite de l'adjectif *omni,* par exemple : *ab ipsa originalis culpae labe plane immunis, § Ineffabilis ; sine labe originali conceptam, § Enimvero ; a macula peccati originalis Praeservatam, § Quoniam vero,* etc.

En particulier, on ne pourrait pas légitimement faire rentrer dans la formule : *ab omni originalis culpae labe praeservatam,* l'exemption de la concupiscence, du *jornes peccati ;* car, d'après la doctrine du Concile de Trente, sess. *V. can. 5.,* la concupiscence n'est pas vraiment péché. Il est vrai qu'en proposant de faire porter la définition sur la *personne,* et non sur *Vâme seule* de Marie, l'évêque d'Ugento avait ajouté cette réflexion : de la sorte, toute tache serait écartée de la Vierge, non pas seulement la tache du

[1] *Sum. Theol.* III. q. 27. a. 2. et alibi passim.

péché proprement, qui se dit de lame, mais encore *celle* du péché improprement dit ou de la concupiscence, qui se rapporte au corps ; aussi demandait-il qu'à défaut d'une définition tombant sur la personne, on déclarât au moins Marie préservée non seulement du péché proprement dit, mais encore de la concupiscence ou *foyer du péché : immunitas ab originali peccato, vel de persona, non de sola anima, asserenda sit; vel saltem declarandum, Beatissimam Virginem non solum ab omni reatu originalis peccati, sed etiam a fomite et concupiscentia praeservatam* \

Mais on se contenta de faire tomber la définition sur la personne de Marie, sans rien de plus. Quelle que soit donc la faveur dont jouit à bon droit la thèse qui soustrait Marie, dès sa naissance, à la loi du *fomes peccati,* quel que soit l'appui quelle trouve dans divers textes de Pères utilisés par les rédacteurs de la Bulle *Ineffabilis, cette doctrine ne peut* pas être considérée comme comprise dans la définition elle-même 2. »

Inde patet similiter nullam prorsus intéressé oppositionem inter dogmaticam Immaculatae Conceptionis definitionem et theologicam D. Thomae doctrinam III. q. 27. a. 3., ubi Angelicus Doctor concludit : « *Restat ergo ut dicamus quod vel totaliter fontes fuerit ab ea sublatus per primam sanctificationem, vel si remanserit, quod fuerit ligatus... Et ideo melius dicendum quod per sanctificationem in utero non fuerit sublatus B. Virgini fomes secundum essentiam, sed remanserit ligatus... Postmodum vero in ipsa Conceptione carnis Christi, in qua primo debuit refulgere peccati immunitas, credendum est quod ex prole redundaverit in Matrem, totaliter fomite subtracto* » ; ut supra declaratum manet cap. 13, pag. 206.

1 3

Praeservationis modus.

« Mode du privilège. — L'immunité revendiquée pour la Vierge Marie n'est pas une immunité quelconque. Elle ne ressemble ni à celle des saints anges, ni à celle d'Adam et d'Eve avant leur péché, ni à celle de Notre-Seigneur conçu virginalement par l'opération du Saint-Esprit, c'est une immunité par *préservation, praeservatam immuncm.* Il y a eu de la part de Jésus-Christ, Sauveur du genre humain, application non seulement *anticipée,* mais *spéciale* de ses mérites à sa Mère bénie. Aux autres, il applique le fruit de ses mérites pour les délivrer du mal où ils sont tombés ; à sa Mère, il applique ce fruit, c'est-à-dire la grâce, au premier instant de son existence, pour qu'elle ne tombe pas dans le mal. Marie est ainsi rachetée d'une façon plus noble que les autres: *sublimiori modo redemptam. § Omnes autem noruntl.* »

Etiam hic, quoad *modum* privilegii B. Virgini collati, fulget harmonia inter dogmaticam Immaculatae Conceptionis definitionem ac theologicam D. Thomae doctrinam circa primam Beatissimae Virginis sanctificationem. Etenim constanter asseruit : *d)* quod « *prae omnibus aliis maiora privilegia gratiae acceperit*2 » ; *b)* quod « *ampliorem sanctificationis gratiam obtinuit quam loannes Baptista et leremias* 3 » ; c) quod « *prae coeteris maiorem debuit a Christo gratiae plenitudinem obtinere* 4 » ; *d)* quod « *ideo sub Christo, qui salvari non indiguit, maxima fuit B. Virginis puritas* 6 » ; «) quod « *ipsa super omnes alios sanctos a peccato purior fuit, veluti Divinae Sapientiae Mater electa, in quam nihil coinquinatum incurrit, ut dicitur Sapient.* 7. 6 » ; /) quod « *in Christo ct in Virgine Maria nulla omnino macula fuit.* » (Exposit. in Psalm. 14.) Et alia plura D. Thomae testimonia iam antea allata ex quibus aperte liquet praeservatio B. Virginis ab omni peccati macula.

Tametsi vero Beatissima Virgo maiorem prae ceteris debuit a Christo plenitudinem gratiae obtinere, et ampliorem sanctificationis gratiam obtinuerit quam Adam et Eva in statu iustitiae originalis ante peccatum, et quam etiam ipsi angeli qui fuerunt simul conditi atque in gratia sanctificante creati, attamen Beatissimae Virginis prima sanctificatio differt a sanctificatione angelorum et primorum parentum ante peccatum, quia fuit sanctificatio per modum redemptionis. Fuit quidem Beatissima Virgo *sublimiori modo* redempta ; verumtamen vere et proprie loquendo *redempta.* Habuit namque debitum proximum in sua propria persona contrahendi originale peccatum ; nam aliter B. Virgo

1 Sardi, *of), cit.,* tom. II., p. 242.
Le Bachelet, *toc. cil.,* c. 211 et 212

1 Le Bachelet, *loc. cit.,* c. 212.
2 III. q. 27. a. i.
3 *Ibid.* a. 6. ad 1.
4 *Ibid.* a. 5.
6 *Ibid.* a. 2. ad 2.
e *III. Sent.* dist. 3. q *·· a· *·

non fuisset redempta, seu intuitu meritorum Christi a peccato praeservata immunis. In debito proximo seu *ratione personat* includitur debitum remotum seu *ratione naturae;* at debitum remotum, seu *ratione communis propagationis,* non pugnat cum sanctificatione ante animationem, in cuius hypothesi B. Virgo *personaliter* non esset redempta, quamvis fuisset a peccato originali praeservata. *Sanctificatio* autem angelorum et protoparentum et Hominis Christi non dicitur nec dici potest *redemptio ;* quia nullum omnino praesupponit peccatum, nec in actu, nec in potentia debitrice seu in necessitate habendi illud. *Sanctificatio* vero B. Virginis dicenda est *redemptio ;* quia in primo instanti suae animationis fuit culpae originali obnoxia ; id est, habuit necessitatem personalem incurrendi originale peccatum. Unde si B. Virgo in primo instanti suae existentiae fuisset sibi permissa secundum legem communem, nec ei applicata fuissent merita Redemptoris praevisa atque ex his meritis infusa gratia sanctificans, habuisset actu maculam culpae originalis, sicut omnes filii Adami ; et si sanctificata fuisset ante constitutionem suae propriae personae, non fuisset personaliter redempta. Et hoc est quod D. Thomas ait III. q. 27. a. 2 « *Si quocumque modo ante animationem B. Virgo sanctificata fuisset, non indiguisset redemptione et salute quae est per Christum* » ; ut supra manet ex professo declaratum ac ostensum.

§ 4

Praeservationis certitudo.

« Certitude du privilège. — La Conception Immaculée est définie, non pas simplement comme une vérité ou conclusion théologique certaine, mais comme une vérité divinement révélée, *a Deo revelatam.* ...Au lieu des simples mots : *a Deo revelatam,* on lisait dans le premier schéma : *constantem fuisse et esse catholicae Ecclesiae doctrinam cum Sacris Litteris et divina et afiostolica traditione cohaerentem* h » Dans le schéma qui remplaça le précédent, on mit : *fuisse et esse constantem catholicae Ecclesiae doctrinam a Deo revelatam :* assertion qui fut maintenue dans plusieurs rédactions ultérieures 2. Cependant un des théologiens consulteurs,

1 Sardi, oper. cit. tom. II. pag. 38.
- *Ibid.,* pag. 88, n6, i4o, 166, 192.

fra Paolo di S. Giuseppe, carme, avait fait observer qu'en présence des faits, oppositions vives et longues, réserve même des Souverains Pontifes, etc., il semblait difficile d'affirmer qu'il y eût eu, sur ce point, doctrine constante de l'Eglise x. Des évêques et des cardinaux furent du même sentiment. Mgr Kenrick conteste nettement l'existence d'une tradition primitive, en objectant que, pendant plusieurs siècles, il n'avait pas été question de la conception de Marie. Mgr Atanasio Bonaventura, évêque de Lipari, parla d'une croyance d'abord *implicite,* et plus tard seulement *explicite*2. Plusieurs évêques allemands revinrent sur le sujet avec plus d'insistance encore dans des observations motivées ; tels, Mgr de Reisach, archevêque de Munich, Mgr de Rauscher, archevêque de Vienne, le cardinal Schwarzenberg, archevêque de Prague, dont l'avis se résume en ces quelques mots : *Nescio quomodo possit saepe saepius asseri, quoad primis Ecclesiae temporibus claris et indubiis testimoniis manifestata fuerit pia sententia, quod traditio semper viguerit*3. En fin de compte, les termes contestés furent omis dans la formule de définition 4. Dans le corps de la Bulle, certaines expressions qui se rattachaient au même ordre d'idées furent modifiées et adoucies ; en particulier, il n'est plus question, § *Et re quidem vera,* de doctrine constante *de l'Eglise,* mais seulement de doctrine *qui a toujours existé dans l'Eglise* comme reçue des ancêtres, *in ipsa Ecclesia semper exstitisse veluti a maioribus acceptam.* Ce qui permet de conclure qu'en définissant l'immaculée Conception comme doctrine révélée et, à ce titre, contenue dans la Sainte Ecriture ou la Tradition, Pie IX n'a rien défini sur le *mode, explicite* ou seulement *implicite,* soit de la contenance de cette doctrine dans les sources de la révélation, soit de la profession ou croyance de cette même doctrine dans les premiers siècles du christianisme 5. »

Iuxta supra dicta, scholastici Doctores medii aevi, ut Albertus Magnus, Bonaventura, Thomas, ipsemet Scotus, omnes uno ore asserebant : *a) « quo tempore sanctificata fuerit B.* K, *ignoratur » ; b) « quando determinate fuerit, incertum est » ; c) « quid factum*

1 *Ibid.,* pag. 42 sq.
2 *Ibid.,* pag. 208, 209.
3 *Ibid.,* pag. 21$, 217 et 295.
4 *Ibid., pag.* 274.
5 Le Bachelet, *ibid.,* c. 214 et 215.

sit, Deus novit » ; *d) « quo die vel qua hora nescire quemquam hominem, nisi per revelationem.* » Et adhuc Gregorius XV in Litteris 4 Iulii 1622 respondebat ad eos qui Immaculatae Conceptionis definitionem incipiebant iam postulare ; « *Spiritus Sanctus accuratissimis precibus exoratus, nondum tanti Mysterii arcanum Ecclesiae suae patefecit* L » In vespere iam definitionis, aliqui Episcopi, dum respondebant ad Litteras Encyclicas Pii IX, ita his verbis loquebantur : « Nullum profecto in Scripturis testimonium reperitur, quod ita aperta traditio explicuerit, ut dogmatico ferendo iudicio par sit et stabile fundamentum, etiamsi in aliquo sensu quidam ceu germen in semine forsan delitescat... Neque enim micare dicenda sunt traditionis vehicula, Patrum nempe dicta, Ecclesiae praxis, Sacrae Liturgiae, et consensus seu persuasio fidelium de praecellenti adeo privilegio, quum ea occulatissimi *Bernardus et Aquinas,* clari Virginis praecones, non viderunt... 2 »

Verumtamen, *doctrina,* quae tenet Beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suae Conceptionis fuisse ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem, fuit solemniter definita tamquam « *a Deo revelata* ». Quomodo autem huiusmodi doctrina continetur in divina Revelatione ?

Quomodo

Immaculata Conceptio in divina revelatione contineatur.

« Conclusion : comment l'immaculée Conception a été révélée. — Parmi les théologiens de la Commission préparatoire, quelques-uns recoururent à une *Tradition objective,* datant des Apôtres et suffisant à elle seule pour entraîner une définition. La plupart n'allèrent pas si loin ; ils jugèrent seulement que la *Tradition active* se présentait dans des conditions qui garantissaient une

1 Apud Joannem A S. Thoma, *Curs. Theol.* tom. i°. —Commendatio doctrina; S. Thomae. ,·'α98|

Roskovany, *B. V. Maria in suo Conceptu Immaculata ex monumentis omnium saeculorum demonstrata,* tom. V. pag. 179 et seqq. *Episcopus Maioricensis.*

connexion objective entre la vérité transmise et le dépôt primitif ; ce qui se vérifie soit que la Tradition active se relie à une Tradition orale primitive, soit qu'elle représente l'expression d'une vérité *implicitement* contenue dans les oracles divins, interprétés sous la lumière de la foi et de la doctrine catholique. Rien de tranché là-dessus : l'*Immaculée Conception* nous est simplement proposée « *comme une doctrine qui, au jugement des Pères, est consignée dans les Saintes Lettres et qu'ils ont eux-mêmes transmise en de nombreux et graves témoignages.* » Dans la formule de définition, rien n'a été dit sur la valeur respective de preuves alléguées ni sur les rapports de dépendance mutuelle qu'elles peuvent avoir ; bien plus, aucune preuve n'a été spécifiée. Seuls quelques passages de la Bulle, celui par exemple : *Patres Pcclesiaeque Scriptores coelestibus edocti eloquiis docuere, etc.,* confirment ce qu'on a déjà vu de la volonté formelle de ne pas disjoindre l'Ecriture et la Tradition active.

Sans vouloir trancher ce que l'Eglise n'a point tranché, contentons-nous de dire que l'hypothèse d'une *tradition orale, primitive, formelle,* complètement distincte ou indépendante des Saintes Lettres, est sujette à de graves difficultés ; sans compter ce qu'elle a d'invérifiable et ce qu'elle semble avoir d'arbitraire, on ne s'explique guère alors ni l'absence de témoignages formels pendant tant dc siècles, ni les controverses si vives qui ont existé plus tard, soit en Occident, soit en Orient. Reste que le privilège marial ait son fondement dernier dans la Sainte Ecriture \ interprété par la Tradition active, mis en parallèle et éclairé l'un par l'autre, peut-être à l'aide dc données primitives sur le rôle de Marie comme nouvelle Eve.

La vérité plus générale où le privilège est contenu, semble être la notion de *Mère de Dieu,* non pas la notion abstraite qui énonce simplement le rapport de génération physique, mais la notion concrète de *Marie Mère dc Dieu,* telle que celle-ci nous apparaît dans la révélation intégralement, c'est-à-dire *Marie* traitée vraiment en *Mère* par son divin Fils et constituée, dans l'œuvre de la réparation, nouvelle Eve, associée au nouvel Adam. C'est cette notion concrète de *Marie Mère de Dieu,* suffisamment indiquée par la Sainte Ecriture et corroborée par le sentiment de l'Eglise, qui est devenue pour les anciens Pères comme une valeur première dont ils ont exploité l'inépuisable contenu.

' *Genes.* III. i$. et *Luc.* I. 28, 42.

Sous cet aspect, l'immaculée Conception rentre, comme un détail, dans la sainteté ou les perfections propres à la *Mère du Verbe incarné,* telle qu'il l'a voulue, et *décemment* voulue. C'est *Marie sainte* et *pure,* quand son âme sort des mains du Créateur et s'unit au corps qui devait *porter YHomme-Dieu ;* sainte et pure alors comme en sa naissance, comme au jour de l'Annonciation, comme dans l'ineffable nuit de l'enfantement divin, comme dans toutes les circonstances de sa vie unique. Suivant la juste réflexion de Scheeben, art. *Empjângnis* du *Kirchenlexikon, 2me éd., tome IV, col. 462* : « Pour bien apprécier la place de cette doctrine dans la Tradition, il ne faut pas la considérer comme une vérité isolée, mais comme faisant partie de l'idée générale que l'Eglise a toujours eue de la sainteté de Marie et de son rôle dans l'économie de la Rédemption 1 ».

Primo : Dicendum est, quod veritas revelata Immaculatae Conceptionis ; *id est. Beatissimae Virginis* ab omni prorsus originalis peccati labe immunitas, videtur : *a) Contineri* in verbo Dei scripto seu in Sacra Scriptura, *proxime* et *immediate;* licet *non expresse, non explicite;* sed *implexe, contracte* ac *subobscure.* Unde D. Thomas *III.* q. 27. a. *1.* : « Respondeo dicendum quod de sanctificatione Beatae Mariae, quod sc. fuerit sanctificata in utero, nihil in Scriptura Canonica traditur *{expresse,* videlicet), quae etiam nec de eius Nativitate mentionem facit. » Et *III. Sent.* 3. q. i. a. i. solut. 3. ad 3. : « Quamvis sanctificatio Beatae Virginis in utero *expresse* in Scriptura veteris et novi Testamenti non legatur ; tamen pro certo haberi potest ex his quae ibi leguntur. Si enim loannes et leremias, qui Christum praenuntiaverunt, sanctificati sunt, multo magis Virgo quae Christum genuit. » *b)* Habere magnum nexum atque omnino cohaerere cum admirabili Beatissimae Virginis puritate, ac sanctitate, atque praecelsa Dei Matris dignitate. Unde D. Thomas ibidem : « Rationabiliter enim creditur quod illa quae genuit *Unigenitum a Patre -plenum gratiae et veritatis* (Ioan. 1.), prae omnibus aliis maiora privilegia gratiae acceperit. Unde ct legitur Lucae r, 28 ; *Angelus ei dixit : Ave, gratia plena, » c)* Verbo Dei tradito etiam commissam fuisse; cuius quidem traditio apparet plus minusve *explicata, per* temporum decursum, sive in ipsa consuetudine aliquarum Ecclesiarum, sive in ipsa praesertim doctrina Patrum puritatem Virginis

1 *Loc. cii.,* coi. 273 et 274.

I constanter extollentium. Unde D. Thomas ibid., a. 2. ad 3. : « *Licet Romana Ecclesia conceptionem Beatae Virginis non celebret; tolerat tamen consuetudinem aliquarum Ecclesiarum illud jestum «librantium. Unde talis celebritas non est totaliter reprobanda. »*

Incepisse explicari et evolvi, dum in medio aevo S. Bernardus modos erroneos intelligendi Immaculatam Conceptionem damnavit ; et post S. Bernardum, SS. Albertus, Bonaventura et D. Thomas, reficientes sanctificationem B. Virginis *quocumque ▮iodo* ante animationem, pervenerunt ad hanc finalem conclu--ionem : Beatissima Virgo sanctificata fuit post animationem, post constitutionem personae, posterioritate temporis vel saltem posterioritate naturae.

Secundo : Sub magisterio Romanae Ecclesiae perventum est invia theologica SS. Bernardi, Alberti, Bonaventurae et Angelici Doctoris ad statuendam sanctificationem Beatissimae Virginis post constitutionem personae, post animationem, posterioritate naturae tantum, id est, in primo instanti temporis suae animationis. — Nam licet tempore D. Thomae Romana Ecclesia Conceptionem Beatae Virginis adhuc non celebraret : *a)* tolerabat tamen consuetudinem aliquarum Ecclesiarum illud festum celebrantium. Quapropter D. Thomas, HI. q. 2. a. 2. ad 3. scripsit : « *Talis celebritas non est totaliter reprobanda. » b)* Deinde Sixtus IV. Const. *Cum praecelsa* anno 1476 festivitatis huius celebrationem commendavit et ad eam celebrandam fideles indulgentiis et peccatorum remissionibus invitavit, c) Postea idem Pontifex Const. *Grave nimis* anno 1483 reprobavit tamquam falsam et erroneam assertionem eorum, qui affirmare praesumerent, Romanam Ecclesiam ex spirituali dumtaxat conceptione et sanctificatione eiusdem Virginis gloriosae festum celebrare, *d)* Posterius S. Pius V. Const. *Quod a nobis* anno 1568 festum idem inseruit Kalcndario et Breviario Romano, atque ita recensuit inter festa, quae de praecepto ab universa Ecclesia divinis officiis celebranda essent. Idem Pontifex officio veteri substituens officium Nativitatis, parem fecit cultum *Conceptionis* cultui *Nativitatis, e)* Idem Romanus Pontifex Pius V. inter Baii propositiones hanc ordine 73. Apostolico stigmate confixit : « *Nemo praeter Christum est absque peccato originali; hinc B. Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum l. » /)* Paulus V. decreto Inquisitionis anno 1617

1 In VII. atque in VIII. *Schcmalc* Bullae Dogmaticae *Ineffabilis*

interdixit, ne Immaculata Conceptio publice impugnaretur, g) Gregorius XV. decreto Inquisitionis anno 1622. praecepit, ut in festo hoc celebrando, tam Missa quam in Divinis Officiis, sive publice sive privatim, non alio quam *Conceptionis* nomine uti

Deus legebatur : « Huc certe quidem spectat damnata propositio *Neminem, praeter Christum, esse absque peccato originali* (Pius V. Const. *Ex omnibus afflictionibus* kal. Octob. 1567). In textu autem definitivo omissa fuerunt huiusmodi verba iuxta *Animadversiones* et *Vota : a)* Episcopi Anastasiopolitani in part, infidel., dicentis : « Tollerem propositionem damnatam : *Neminem esse praeter Christum absque peccato originali ;* quia damnata non in sensu Catholicorum, sed Baii. » — *b)* Cardinalis Morichini, aientis : « Insuper expungerem fragmentum propositionis damnatae a B. Pio V. ; etenim non fragmen aut pars, sed tota propositio ex integro ac prout iacet condemnata est. » (Sardi, *Atti e Documenti publicati nel cinquantesimo anniversario della stessa definizione,* vol. II, pag. 239 et pag. 285.) — Tota autem propositio ex integro ac prout iacet, sic se habet : « *Propos. 73. Nemo, praeter Christum, est absque peccato originali; hinc Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesqu; eius afflictiones in hac vita, sicut et aliorum iustorum, fuerunt ultiones peccati actualis vel originalis.* » — Et antea : « *Propos. 72. Omnes omnino iustorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum : unde et lob et martyres, quae passi sunt, propter peccata sua passi sunt.* » — Plurima sunt hic falsa et erronea ; nam, ut Ioann. 9., 2 et 3, legitur, cum de homine caeco a nativitate interrogaverint lesum discipuli eius : « *Rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes cius, ut caecus nasceretur* » — Respondit lesus : *Neque hic peccavit, neque parentes cius; sed ut manifestentur opera Dei in illo.* » — Quod quidem a radice declarat D. Thomas II-II q. 108, a. 4., dum inter alia plurima ait : *t Aliquis interdum punitur sine culpa, non tamen sine causa... Quandoque punitur aliquis in temporalibus bonis absque culpa; cuiusmodi sunt plurcs poenae praesentis vitae divinitus inflictae ad humiliationem tl probationem.* » — Adhuc etiam quoad *peccatum originale,* potest aliquis per gratiam Christi Redemptoris praeservari, quantum ad *culpam* et quantum ad *maculam,* ct non tamen quantum ad alias peccati originalis sequelas, sicut praesentis vitae poenalitates et ipsam quoque mortem. — Unde damnatum est dicere : 1® Omnes omnino iustorum afflictiones esse ultiones peccatorum ipsorum; 2° Omnes Beatae Virginis afflictiones in hac vita, sicut et alionim iustorum, fuisse *ultiones* peccati actualis vel originalis; 30 Beatam Virginem mortuam esse propter peccatum ex Adam *actualiter* in sua propria persona contractum ; 4® ac perinde, ex eo quod Beatissima Virgo multas habuit afflictiones et vere etiam mortua est, inferre inde

omnes deberent. Idem Pontifex, decreto Inquisitionis anno 1622. prohibuit, ne quis in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus aut aliis quibuscumque actibus publicis auderet asserere, quodB. Virgo fuerit concepta cum peccato originali. /l) Alexander

Beatissimam Virginem habuisse peccatum actuale, vel *actu* contraxisse culpam aut maculam peccati originalis. Hic enim est sensus Baii in quo propositiones 72 et 73 a Romano Pontifice S. Pio V. damnatae sunt. — At minime tamen damnatum est dicere : *Omnes homines, praeter solum Christum, peccatum originale ex Adamo contrahere,* in sensu Catholicorum. Nam, docente D. Thoma I.-II. q. 81. a. 3. : « *Secundum fidem catholicam firmiter est tenendum quod omnes homines, praeter solum Christum, ex Adam derivati, peccatum originale ex eo contrahunt ; alioquin non indigerent redemptione quae est per Christum : quod est erroneum.* » — « Quod dictum (ait Caietanus in hunc articulum) no» *intelligcndum est aliter quam dc morte, quae est poena peccati originalis; ita quod, sicut omnes incurrunt mortem, id est, necessitatem moriendi; ita omnes incurrunt peccatum originale, id est, necessitatem habendi peccatum originale. Et iuxta hunc sensum militat ratio Auctoris* iD. Thomae) ». En sensus Catholicorum l — Vide supra cap. 3. pag. 30 ct 38 ; et cap. 7. pag. 104 et seqq. ct cap. 16, pag. 319.

Ad rem Suarez : « Dico *propositionem illam* (73.) non damnari propter nudam assertionem dc Conceptione B. Virginis in originali peccato, sed propter *generalem modum asserendi* omnes afflictiones, quas in hac vita B. Virgo passa est, fuisse ultiones peccati actualis, vel originalis, in hoc aequiparando Virginem coetcris sanctis. In hac enim assertione, simul cum praecedenti (72.), in primis temere dictum est, omnes afflictiones iustorum et martyrum, et ipsius etiam lob, fuisse ultiones peccatorum suorum ; quia non solum sine fundamento asseritur, sed etiam Scripturis repugnat. Nam, licet peccatum originale fuerit *aliquo modo* origo et causa omnium pocnalitatum huius vitae, quatenus constituit hominem in *statu passibili,* non tamen omnes afflictiones huius vitae sunt propriae poenae illius peccati, praesertim postquam iustis remissum est. Neque etiam sunt poenae actualium peccatorum ; nam multae afflictiones ordinantur a Deo, vel permittuntur speciali providentia, non propter peccata commissa, sed vel ad probationem patientiae, sicut Tobiae dictum est ab Angelo, et a fortiori contingit in lob, vel propter gloriam Dei, ut de coeco dixit Christus (Ioan. 9.) ; ubi, ut Augustinus ct Chrisostomus advertunt, discipulos instruit, non omnes calamitates corporum esse poenas peccatorum... Deinde, multo magis damnabile est hoc attribuere Beatissimae Virgini ; et, quod gravius est, sub disiunctione de illa dicere, « *propter peccatum actuale vel originale* », quasi in dubium revocando an peccatum actuale commiserit. — Merito ergo illa

VII. anno 1661. decretum Gregorii XV. innovavit sua Constitutione *Sollicitudo omniutn Ecclesiarum* et authentice declaravit, ut nullus esset amplius dubitandi locus, *obtectum* cultus in celebratione festi esse *sanctitatem* Beatae Virginis in primo instanti suae existentiae. /) Clemens XI. ineunte saeculo 18. universae Ecclesiae festum Immaculatae Conceptionis celebrandum imposuit.

Iam vero : ut Cano de *Locis theol.* lib. VI. cap. 7. eleganter ostendit : *a)* Romana Ecclesia, Patrum fideliumque consensu, *Apostolica* dicitur, cum reliquae omnes iam inde a inultis annis hoc cognomen amiserint ; *b) Apostolica Sedes a fide non potest Christi deficere; c) in definienda fidei quaestione Romanus Episcopus errare non potest.* Ergo, adhuc ante solemnem definitionem Immaculatae Conceptionis factam a Pio IX. anno 1854. per suam Bullam *Ineffabilis Deus,* colligere licebat ratiocinio theologico, doctrinam Immaculatae Conceptionis esse veram ct esse *revelatam, ex* supradictis, quae ad tria possunt reduci : i° Ex eo quod festi celebratio praecepta erat a Romano Pontifice. 20 Ex eo quod declaratum fuerat a Romano Pontifice, *obiedum* cultus in celebratione festi esse *praeservationem* Beatae Virginis a macula originali, speciali Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Redemptoris. 30 Ex eo quod etiam prohibitum fuerat decreto Romani Pontificis, asserere in quibuscumque actibus publicis, deinde etiam in privatis colloquiis et scriptis, quod Beata Virgo fuerit concepta cum peccato originali. Si SS. Bernardus, et Albertus, et Bonaventura, et Doctor Angelicus vidissent Romanam Ecclesiam festum Immaculatae Conceptionis celebrantem, aut Romanum Pontificem audissent aliquo documento *obiectum* cultus in huiusmodi festo declarantem, hoc eis

propositio (73.), ut iacet, damnata est, etiamsi simpliciter affirmare B. Virginem originale peccatum contraxisse, damnabile non sit. ⁸ Haec Suarez. *De Gratia,* prolog. VI. cap. 2. Opera omnia, edit. Parisiis, 1857, tom. VII. pag. 292. — Hodie tamen, post Bullam dogmaticam *Ineffabilis Deus,* non licet simpliciter affirmare B. Virginem originale peccatum contraxisse, sed oportet determinare *illum duplicem sensum,* iuxta quem (ut explicat Caictanus) militat ratio D. Thomae I.-II. q. 81, a. 3.; videlicet, *non actu,* sed in *debito personali,* non *actualiter,* sed in *necessitate* peccatum originale *contrahendi et habendi;* ut supra ex professo declaratum manet (cap. 3, pag. 18 ct alibi passim.).

,-ufficcret et plus quam sufficeret ad concludendam absolute sanctificationem Beatissimae Virginis *post animationem,* posterioritate tantummodo naturae et ordinis ; id est, in primo suae animationis instanti temporis.

Tertio : Immaculata Conceptio Beatissimae Virginis Mariae prout habetur definita dogma fidei in Bulla dogmatica Ineffabilis Deus apparebat iam tamquam conclusio in doctrina theologica D. Thomae et constituit veluti corollarium illorum principiorum quae, ex D. Thoma deprompta, supra l allata sunt. Quod quidem suadetur ac ostenditur :

i° *Ex maxima B. Virginis puritate.* D. Thomas III. q. 27. a, 2. ad 2. : « *Sub Christo qui salvari non indiguit tamquam universalis Salvator, maxima luit Beatae Virginis puritas.* » Sed « *Christus nullo modo contraxit peccatum originale, sed in ipsa Conceptione luit sanctus* », vi ipsiusmet conceptionis. Ergo Beatae Virginis puritas, maxima sub Christo, requirebat quod etsi Beata Virgo contraxerit peccatum originale *aliquo modo,* id est, in *necessitate Personali* habendi illud, non tamen contraxerit *actu;* et licet non fuerit sancta vi ipsius conceptionis, fuerit tamen praeservata immunis a macula originalis peccati in ipso primo instanti suae animationis ex singulari gratia et privilegio. Aliter B. Virginis puritas, quae sumitur per recessum a peccato, non esset maxima sub puritate Christi.

2° *Ex sanctificatione ultra legem communem ei collata.* D. Thomas *III. Sent.* dist. 3. q. 1. a. 2. : « *Beatae Virgini aliquid ultra legem communem conferendum luit.* » Imo, etiam aliquid excellentius ultra privilegia ex lege speciali collata aliquibus sanctis. Unde D. Thomas ibidem, a. 1. : « Unde cum haec puritas in quibusdam fuisse inveniatur, ut ante nativitatem ex utero a peccato mundarentur, sicut de loanne Baptista, de quo legitur Luc. 1, 14 : *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suae;* et dc leremia de quo dicitur Hierem. 1, 5 : *Priusquam exires de ventre, sanctificavi te:* non est dubitandum hoc *multo excellentius* Matri Dei collatum fuisse. » Sed iuxta legem communem nemo sanctificatur nisi post nativitatem ex utero ; iuxta privilegium ex lege speciali Baptista fuit sanctificatus aliquibus mensibus ante nativitatem ex utero, ut apparet ex Luca, cap. 1. v. 36 ct 41. Ergo recte colligi exinde potest, quod Beata Virgo, cuius sanctificatio iuxta legem

' Cap. 7°. pag. 107 't 108.

specialem debet esse adhuc excellentior, sanctificata fuerit in primo instanti suae animationis, quae dicitur *nativitas in utero*.

3° *Ex eo quod B. Virgo debuit esse sublimiori modo redempta.* D. Thomas III. q. 27. a. 1. : « Rationabiliter enim creditur quod illa quae genuit *Unigenitum a Patre, plenum gratiae et veritatis,* prae omnibus aliis maiora privilegia gratiae acceperit. Unde, ut legitur Luc. 1, 28 : *Angelus ei dixit : Ave, gratia plena.* » Ergo B. Virgo prae omnibus aliis specialissimo modo debuit fieri salva a peccato. Sed esse praeservatam immunem a peccato originali ex morte Filii Dei praevisa, intuitu meritorum Christi Redemptoris, nihil aliud est nisi specialissimus modus redimendi ac salvandi a peccato originali, qui Christo attribuitur respectu suae Matris Rationabiliter igitur tenetur, Beatam Virginem, non ex vi conceptionis suae, sed ex gratia redemptiva singularissima, in ipso instanti infusionis animae in corpus, praeservatam fuisse per gratiam sanctificantem sibi infusam, a macula originalis peccati.

40 *Ex concordia inter esse redemptum et esse in primo instanti animationis sanctificatum.* D. Thomas *III. Sent.* dist. 3. q. 1. a. 1. : « *Credendum est ei* (B. Virgini) *collatum esse quidquid conferri potuit* » ; salva videlicet necessitate personali redemptionis in B. Virgine et dignitate Redemptoris in Christo respectu suae propriae Matris. Sed esse sanctificatum post animationem, post constitutionem personae, posterioritate solummodo naturae et ordinis, importat iam necessitatem personalem redemptionis et salutis quae est per Christum : ut declarat D. Thomas III. q. 27. a. 2. Credendum est ergo Beatissimae Virgini collatam fuisse gratiam sanctificantem in ipsomet primo momento suae animationis ; ideoque ab omni originalis culpae labe praeservatam fuisse immunem.

50 *Ex Divina Maternitate.* Beatissima Virgo fuit electa divinitus ut esset Mater Dei ; et non est dubitandum, quin Deus per suam gratiam eam ad hoc idoneam reddidit. Sed non fuisset idonea Mater Dei, si B. Virgo *peccassct aliquando :* ut D. Thomas triplici ratione ostendit III. q. 27. a. 4. Ergo simpliciter fatendum est, quod Beatissima Virgo nullum peccatum incurrit, nec mortale, nec veniale, nec originale. Etenim non fuisset idonea Mater Dei, si peccatum originale, prout in nobis habet rationem culpae et rationem maculae, aliquando actualiter habuisset.

Ex quibus omnibus Angelicus Doctor, declarans illam sententiam S. Anselmi [1] : « Decuit ut Virgo quam Deus Unigenito Filio suo praeparavit in Matrem, ea puritate niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi », concludit finaliter *I. Sent.* dist. 44. q. 1. a. 3. ad 3. : « Dicendum quod puritas intenditur per recessum a contrario ; et ideo potest aliquid creatum inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit ; et talis fuit puritas Beatae Virginis, quae a peccato originali et actuali immunis fuit, tamen sub Deo, in quantum erat in ea potentia ad peccandum. » Ac in *Summa Theologica,* III. q. 81. a. 5. ad 3. : « Oportebat, ut Mater Dei maxima puritate niteret ; non enim est aliquid digne receptaculum Dei, nisi sit mundum, secundum illud Psalm. 92, 5 : *Domum tuam, Domine, decet sanctitudo.* »

Veritas itaque Immaculatae Conceptionis, prout a Deo revelata, prout fidei catholicae dogma in Bulla *Ineffabilis Deus* est definitum, videtur esse tamquam initium ac pars integralis illius *maximae puritatis* qua Mater Dei nitere debebat ; nam puritas intenditur per recessum a contrario quod est peccatum et peccati macula. Maxima autem puritas, quae est immunitas a peccato et praeservatio ab ipsa peccati macula, contineri videtur virtualiter eminenter in plenitudine gratiae et sanctitatis quae Beatissimam Virginem decet et per quam Deus ipse Beatissimam Virginem ad hoc idoneam reddidit ut esset Mater Dei, et Mater Dei idonea. Unde *Immaculata Conceptio* Beatissimae Virginis Mariae continetur virtualiter eminenter in ipsamet Divina Maternitate. Quia ex Maria natus est Iesus, qui vocatur Christus ; ideo sub puritate quae debetur Homini Deo, maximam habere debuit Virgo Mater eius. Quia Mater Dei ; ideo ea puritate nitere debuit qua maior sub Deo nequit intelligi. Quia Deipara, inventa est *Immaculata.* Sic arguit S. Bernardus dum Horni!. 2. super *Missus est,* ait : « *Voluit itaque* (Mariam) *esse Virginem, de qua Immaculata Immaculatus procederet,* omnium maculas *purgaturus...* Quam tibi aliam praedixisse Deus videtur, quando ad serpentem ait : *Inimicitias ponam inter te et mulierem* (Genes. 3, 15). Et si adhuc dubitas quod de Maria non dixerit, audi quod sequitur : *Ipsa conteret caput tuum.* Cui haec servata victoria est, nisi Mariae ? » Sic arguit D. Thomas, dum ex eo quod Beatissima Virgo est Mater Dei, infert ac concludit quod Beatissima Virgo « *nullam habuit*

1 Lib. de Conceptu Virginali cap. 18.

obscuritatem peccati[1] » et quod « *nihil inquinatum in eam incurrit* b et quod « *in Virgine Maria nulla omnino macula fuitz* » et quod in ea impletur illud Cant. 4, 7 : « *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te* 3 ». Et sic communiter arguunt Patres ac Doctores, dum ponderantes plenitudinem gratiae eius atque summam eiusdem sanctitatem, omnes simul una voce ipsam beatam praedicant, dicentes quod « *aliis sanctis per partes gratia praestatur, Mariae vero simul se tota infundit plenitudo gratiae* »; quod « *in Maria totius gratiae, quae in Christo est, plenitudo venit, quamquam aliter* » ; et quod, cum sit ita gratia plena, est « *sanctis sanctior, et coelis excelsior, ct Cherubim gloriosior, et Seraphim honorabilior, et super omnem creaturam venerabilior* 5. »

Ex hac enim una de causa quod *Dei Mater sit,* repetenda sunt quaecumque singularia, quaecumque grandia ac excelsa, quaecumque sublimia et mira, quaecumque magnifica et-super-excellcntia de Beatissima \zirgine Maria praedicamus. Ideo enim *Sanctam* in nativitate et ante nativitatem ex utero ; ideo Matrem *Virginem* in partu et post partum ; ideo simpliciter fatendum, quod nullum actuale peccatum commisit, nec mortale, nec veniale ; ideo in gloriosa morte sua simul cum corpore et anima in coelum eam assumptam fuisse ; quia Dei Mater est, quia talem esse Verbi Divini Incarnati Matrem decebat : cur ergo una et eadem illa de causa ab omni prorsus originalis culpae labe non est proclamanda ex meritis Christi Redemptoris praeservata immunis ? Cur ergo si *sancta* in nativitate ex utero, *sanctam* quoque non credamus in primo momento suae animationis, quae est *nativitas in utero* ?

Abs dubio quod Immaculata Beatissimae Virginis Conceptio, prout ab Ecclesia fuit definita, continebatur virtualiter eminenter in summa eius sanctitate, in plenitudine eiusdem gratiae ac puritatis, in altissima ipsius dignitate, quatenus Mater Dei est ; at, quantumvis *Deiparae dignitas* postulet ac urgeat *Immaculatae honorem,* opus tamen erat praxi et consuetudine Ecclesiae, ac magisterio praesertim Romanorum Pontificum, ut huiusmodi

1 *Exposit in Psalm. 18.*
2 ***III.*** *Sent.* dist. 3. q. 1. a. 1. solut. 3.
3 *Expos, in Psalm, 14.*
4 *Sum. Thcol.* III. q. 27. a. 3. et *4.*
5 *S.* Hieronymus, *De Assumpt. Virg.* S. Germ, in Praesent. Deiparae, etc. In officio Iinmac. Concept, ct alibi passim.

theologica conclusio in Divina Maternitate virtualiter eminenter contenta pateret manifesta, et fulgeret formaliter expressa. Ad rem Melchior Cano : « Non omnia, quae ad doctrinam Christianam pertinent, esse etiam nunc in Sacris Litteris expressa. Nam perpetuam Beatae Mariae virginitatem, descensum Christi ad inferos, baptismum puerorum, conversionem panis et vini in corpus et sanguinem Christi, processionem Spiritus Sancti ex Filio, trium Personarum in una substantia aequalitatem, earumdemque per relativas proprietates distinctionem, non ita expressa in Libris Canonicis invenies ; sed adeo tamen certa in fide sunt, ut contrariorum dogmatum auctores Ecclesia haereticos iudicarit. Quemadmodum igitur articulus resurrectionis continebatur in illo : *Ego sum Deus Abraham et Isaac,* quod postea Christus Dominus minus intelligentibus exposuit ; ita nonnulla per Spiritum veritatis explicuit Ecclesia, quae in Sacris Litteris habentur obscura L »

1 Cano, *De Locis Theolog.* lib. III, cap. 3.

Divinity Library

INDEX

INTRODUCTIO

Doctrina D. Thomae circa primam Beatissimae Virginis sanctificationem.

Utrum Beata Virgo ante animationem sanctificate fuerit . . XI
2. Utrum B. Virgo Mater Dei fuerit sanctificata ante animationem XIII
Observationes circa hos duos articulos ad invicem comparatos XVI

II

Doctrina D. Thomae circa primani B. Virginis sanctificationem, poteritne cum Bulla Dogmatica «Ineffabilis Deus » concorditer componi.

1. Ex parte concordandam negantium..... XXI
2. Ex parte opposita concordandam affirmantium..... XXVII
3. Qui dicunt doctrinam D. Thomae adversari dogmati Immaculatae Conceptioni, videntur rem de qua agitur non satis considerasse nec mentem S. 7'homae penetrasse. . . . xxxiv

III

Doctrina ergo D. Thomae circa primam B. Virginis sanctificationem constituit praeambulum vere theologicum ad Bullam dogmaticam « Ineffabilis Deus ».

i. D. Thomas docet B. *Virginem tripliciter fuisse* peccato *originali* obnoxiam nempe : *a) in* parentibus ; *b) in carne* sua ante animationem ; *c)* cl in ipsomet primo instanti suae animationis XLV

2. Principia doctrinalia D. Thomae, et a Caietano declarata, iuxta quae mens Angelici Doctoris apparet manifeste aperta in hac celebri controversia de prima B. Virginis sanctificatione..... l ii
3. Quamnam igitur Immaculatam Conceptionem negavit D. Thomas..... l v

CAPUT PRIMUM

De statu innocentiae seu originalis iustitiae.

CAPUT SECUNDUM

De primo peccato primi parentis.

I. De peccato originali quantum ad eius traductionem - - - 8
II. De peccato originali quantum ad eius essentiam - - - - 17
III. De peccato originali quantum ad eius subiectum - - - - 20
IV. De peccato originali quantum ad rationem culpae et poenae in nobis..... 24

CAPUT TERTIUM

De peccato primi parentis quoad eius universalitatem.

I. Thesis. Secundum fidem catholicam firmiter est tenendum, quod omnes homines, praeter solum Christum, ex Adam derivati peccatum originale ex Adam contrahunt - - - 3i
II. Quonam sensu sit verum et ad fidem catholicam pertineat, quod omnes homines, praeter solum Christum, ex Adam derivati peccatum originale ex eo contrahunt..... 38
III. In eodem quippe sensu, quo iuxta fidem catholicam firmiter est tenendum omnes homines ex Adam derivatos peccatum originale ex Adam contrahere, tenendum quoque et omnes homines, praeter solum Christum, in Adamo peccasse atque in originali peccato conceptos fuisse, et maculam originalis culpae incurisse . 41

CAPUT QUARTUM

Quomodo originale peccatum divinitus tollatur atque per auxilium gratiae infectio naturae seu fomes peccati possit quoque ex toto tolli.

En quo conveniant et in quo differant duo pueri, quorum alter ex Adamo derivatus in originali nascatur, alter vero a Deo ex limo terrae formatus in conditione naturae suae esset relictus.....
II. Quomodo peccatum originale deleatur seu tollatur per gratiam quae confertur in Baptismo..... 53
III. Qualiter, absolute loquendo, per Dei gratiam ex toto possunt tolli vel impediri omnia quae in originali peccato importantur.....00.....

CAPUT QUINTUM

Cum D. Thomas tradit, quod Beata Virgo fuit concepta cum originali peccato, loquitur de conceptione quae animae infusionem praecedit.

Doctrina ct argumenta D. Thomae..... 65
II. Adnotanda..... 67
III. Observationes circa argumenta quae ex dictis Sancti Thomae formantur a Capreolo..... 70

CAPUT SEXTUM

D. Thomas reicit sanctificationem B. Virginis ante animationem tamquam quid disconveniens atque incompossibile cum redemptione et salute quae est per Christum.

I. Triplex modus possibilis sanctificationis ante animationem /3
II. Si quocumque modo ante animationem B. Virgo sanctificata fuisset, non indiguisset personaliter redemptione et salute quae est per Christum..... 77

CAPUT SEPTIMUM

De sanctificatione Matris Christi post eiusdem animationem.

I. Doctrina D. Thomae..... 85
II. Declaratio doctrinae D. Thomae per ipsum D. Thomam. . 87
HI. Quonam sensu concludit D. Thomas : « Unde post infusionem animae credendum est B. Virginem sanctificatam fuisse. » — « Unde relinquitur, quod sanctificatio B. Virginis fuerit post eius animationem. *.....92

CAPUT OCTAVUM

Duplex via theologica per quam perveniri potest ad stabiliendam praeservationem B. Virginis a peccato originali, et duplex exinde sensus quo huiusmodi praeservatio potest intelligi.

I. Duplex via theologica.....114
II. Duplex sensus praeservationis ab originali peccato - - - n8
111. Corollaria.....122

CAPUT NONUM

Via Scoti.

I. Doctrina Scoti circa Virginis conceptionem.....125
II. Observationes circa doctrinam Scoti atque eiusdem argumenta Î28
III. Doctrina D. Thomae et doctrina Scoti ad invicem comparata 132

CAPUT DECIMUM

Via Scoti, quae est via Raymundi Lulli, et Galatini, et Ambrosii Catharini, et aliorum plurium, logica deductione perducit usque ad Immaculatam Conceptionem ante mortem Filii Dei praevisam.

I. Diversae huius viae explicationes.....137
II. Terminus huius viae, cuius initium est Mysterium Incarnationis ac praedestinatio B. Virginis ad Christi Maternitatem ante praevisionem peccati, necessaria et logica deductione est Immaculata Conceptio B. Virginis ante mortem et passionem Christi a Deo decretam et praevisam. i5o

CAPUT UNDECIMUM

Via D. Thomae et via SS. Augustini, Bernardi Anselmi, B. Alberti et S. Bonaventurae.

Via D. Thomae..... 162
Via SS. Augustini, Anselmi, Bernardi, Alberti Magni et Bonaventurae..... 166

CAPUT DUODECIMUM

In via D. Thomae, sanctificatio B. Virginis fuit post eius animationem, posterioritate temporis vel naturae.

1. Praenotanda ad sensum Articuli secundi aperiendum . . 180
11. Sanctificatio B. Virginis poterat quidem fieri ante eius animationem; sanctificatio autem B. Virginis in sua propria persona non potest intelligi ante cius animationem . . >87
III. Corollarium. ‹ Unde relinquitur quod sanctificatio B. Virginis fuerit post eius animationem >..... 195

CAPUT DECIMUM TERTIUM

Via D. Thomae est recta via perveniendi ad Immaculatam usque Virginis Conceptionem ex morte Filii Dei praevisa.

I. Conspectus totius quaestionis XXVII..... 203
II. De plenitudine gratiae, quam B. Virgo per suam sanctificationem adepta fuit..... 2 15
III. Secundum doctrinam D. Thomae. B. Virgo fuit plena gratia, ct perfecte plena : Γ in ipsomet initio sive in termino a quo suae primae sanctificationis; 2* et iterum, quando Christum concepit; 3' et iterum, in termino ad quem suae gratiae sanctificantis, quando in gloriam est assumpta .

IV. Iuxta D. Thomae doctrinam, terminus a quo primae sanctificationis B. Virginis, est ipsainet Virginis persona iam constituta, prout habebat necessitatem incurrendi peccatum originale et se subiiciendi poenalitatibus in natura humana ex originali peccato causatis; ac perinde, ipsa Virgo, postquam cuncta eius perfecta sunt, scilicet et corpus et anima, indigens salute quae est per Christum et redemptione quae est per sanguinem crucis Christi . . 223
V. Iuxta doctrinam D. Thomae, sub Christo qui salvari non indiguit, tamquam universalis Salvator, maxima fuit B. Virginis puritas..... 232
VI. Corollaria..... 238

CAPUT DECIMUM QUARTUM

Quaenam et qualis sit Immaculata Conceptio B. Virginis solemniter ex cathedra ab Ecclesia definita dogma fidei.

I. Definitum catholicae fidei dogma de Immaculata Conceptione omnino cohaeret cum Mysterio Incarnationis Filii Dei decreto post praevisionem peccati primorum parentum 241
II. Definitum catholicae fidei dogma de Immaculata Conceptione non est conceptio B. Virginis ante infusionem animae rationalis, neque sanctificatio eius ante animationem, sed sanctificatio B. Virginis postquam cuncta eius perfecta sunt, scilicet et corpus et anima; id est, in primo momento suae animationis seu in primo momento suae existentiae personalis..... 244
III. Definitum catholicae fidei dogma de Immaculata Conceptione est ipsamet persona B. Virginis Mariae, ex substantiali unione animae et corporis iam perfecte constituta, atque in primo instanti suae propriae existentiae personalis ab omni originalis culpae labe praeservata immunis - - - 25'1
IV. Definitum Catholicae fidei dogma de Immaculata Conceptione est ipsamet B. Virgo Maria, in sua propria persona iam constituta atque in ipso primo instanti suae existentiae personalis, ab omni originalis culpae labe praeservata immunis ex meritis Christi lesu Redemptoris praevisis . 262

CAPUT DECIMUM QUINTUM

Immaculata Conceptio, prout dogma fidei habetur definitum in Bulla « Ineffabilis Deus », convenienter declaratur ex praedestinatione Christi post praevisionem peccati Adami, non autem ex praedestinatione Christi ante peccatum Adami praevisum.

I. Praedestinatio Christi et fundamentum totius ordinis supernatural! gratiae et gloriae.....276
II. Ex diversitate sententiarum circa praedestinationem Christi ac motivum principale Incarnationis Filii Dei exoritur consequenter diversa etiam doctrina theologica circa modum quo Christus, in quantum homo, influit gratiam angelis et hominibus..... 282
III. Duplex fundamentalis modus explicandi Immaculatam B. Virginis Conceptionem..... 290
IV. Corollaria..... 3oy

CAPUT DECIMUM SEXTUM

Per viam ergo D. Thomae, quae est via Sanctorum ac Doctorum, Augustini, Anselmi, Bernardi, Alberti Magni, Bonaventurae, et aliorum plurimorum, rationabiliter atque optime declaratur Immaculata Conceptio B. Virginis definita ex Cathedra a Pio IX, in Bulla dogmatica « Ineffabilis Deus ».

I. Processus theologicus in via D. Thomae..... 3ia
II. Sanctificatio B. Virginis post animationem, posterioritate non temporis sed Virginis Conceptio bilis Deus »

CAPI T DECIMUM SEPTIMUM

Epilogus ac totius operis conclusio.

I. Quot et quaenam in dogmatica Immaculatae Conceptionis definitione sint de fide expresse in terminis determinata . 336

IL Duo prima capita ex quatuor praedictis quae in dogmatica Immaculatae Conceptionis definitione essentialiter continentur, constanter docuit ct firmiter propugnavit D. Thomas..... 33g

HI. De tertio autem capite definitionis dogmaticae, videlicet de primo instanti temporis animationis B. Virginis, D. Thomas : Γ nunquam posuit quaestionem; 2' nun quam negavit; 3* semel atque iterum videtur expresse asseruisse; 4* principia et argumenta ab ipso stabilita et adducta in hac materia concludunt legitime pro sanctificatione B. Virginis in primo instanti temporis suae animationis..... 3q|

IV. De quarto tandem capite dogmaticae definitionis, nempe de praeservationc personali B. Virginis ab omni originalis culpae labe, D. Thomas satis clare et plus adhuc quam sufficienter loculus est..... 3.;6

V. Totius operis conclusio. Doctrina ergo D. Thomae circa primam B. Virginis sanctificationem constituit verum praeambulum theologicum ad Bullam dogmaticam « Ineffabilis Deus >> 347

APPENDICES

l. SS. D. N. Papae Pii IX Constitutio qua definitur B. Mariae Immaculata Conceptio..... 36ı

II. Adnotationes quaedam circa Formulam definitionis. . . 375

1 riburgi Hebetiorum. — Typis Consociationis Sancti Pauli. 18.